



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
39 MD
26





HERMENEUTICAE
BIBLICAE GENERALIS
PRINCIPIA RATIONALIA
CHRISTIANA
ET
CATHOLICA



SELECTIS EXEMPLIS ILLUSTRATA

USIBUS AUDITORUM EXHIBET

JOANNES RANOLDER

SS. Theologiae Doctor, in Lyceo Episc. Quinque-Eccles. Lingvarum Hebraeae et Graecae, et Studii Biblici utriusque Foederis Professor P. O.

Cum Approbatione Reverendiss. Ordinarii Episcopi Quinque-Ecclesiensis.

QUINQUE-ECCLESIIS,

Typis Lycei Episcopalis.

1838.

Quae vera esse perspexeris, tene, et ecclesiae catholicae tribue; quae falsa, respue, et mihi, qui homo sum, ignosce.

S. Augustinus, de vera relig. C. 20.

Juncta manu fides ac scientia incedant, et altera ab altera incrementa sua capiat, id quod s. mater ecclesia intendit et cupit. — — Haec est ancora, cui interpres adversus fluctuantem errorem in sacris paginis interpretandis innitatur.

C. L. Gratz, de codice s. interpretando. Campod. 1832.

Spicas legere post messores, et, quae illis casu exciderunt, in usum convertere, si non opulenti hominis est, diligentis tamen esse censetur.

J. L. Hug, de Pentateuchi versione alexandrina. Friburg. 1818.

APPROBATIO.

Opus praesens, cui titulus: *Hermeneuticae biblicae generalis principia rationalia christiana et catholica*, attente perlegimus, et velut doctrinae Catholicae Ecclesiae consentaneum, multa eruditione refertum, Sacrae Scripturae operam navantibus utilissimum auctoritate nostra ordinaria adprobamus admittentes: ut prelum subire atque publica luce, qua dignum est, donari possit. Quinque-Ecclesiis 11. Junii 1838.

B. Ignatius Szepesy m. p.
Episcopus Quinque-Ecclesiensis.

EXCELLENTISSIMO

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

IGNATIO

LIBERO BARONI

SZEPESY

de Négyes,

EPISCOPO QUINQUE-ECCLESIARUM,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI COMMENDATORI,

SACRAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO,

PHILOSOPHIAE AC SS. THEOLOGIAE DOCTORI,

AC ERUDITAE SOCIETATIS UNGARICAE COMMEMBRO,

DOMINO, PRAESULI, AC PATRONO

GRATIOSISSIMO.

D. D. D.

PRAEFATIO.

Perpauca, quae praefarer, scribendi huius libelli consilium iubet. Itaque, quid et quomodo praestiterim, aut certe praestitum vellem, hisce percipe.

Id praecipue in votis erat, ut Principia interpretandi genuino-catholica in luce, quo fieri posset, clariori collocarem, amplius imo quandoque apologetice firmarem, atque animis Lectorum impensius instillarem, quo sic libertinismo exegetico, si ubi pullulare coepisset, efficax poneretur obex, simulque Hermeneutica Rei Christiano-Catholicae ita proficua appareret, prout eam discrimini exponere quibusdam videbatur. Eapropter Praecepta et universalia et huc propius facientia, quae salubriter in praxin deduci, partim usu, partim Interpretum clarorum exemplo didicissem, nonnihil meliori, ut videtur, ordine digesta, suo quaevis loco, additisque rationibus et exemplis, exhibere adnisus sum, — idque in gratiam Auditorum; nam non Doctorum, utique longe plura doctorum, sed tironum unice commodum promovendum animo obversabatur, dum negotium hocce suscepissem. Atque horum, quisquis libellum legeris, amice meminisse velis, ne seu aliud seu plus, ac ipse intendissem, in eo fors propo-

situm quaesieris. — Quamquam autem inclytorum in arte hac Magistrorum desideriis digne explendis impar quid praestare tentaverim, conamina tamen haec eos non prorsus improbaturos esse vel ideo fidenter spero, quia forsan alii doctiores, si me magnis ausis excidisse viderint, ad vires suas in eodem laborum genere felicius exercendas incitabuntur, — et utinam incitarentur! digna est enim Hermeneutica sacra, in qua excolenda, qui Sacris operantur, omne studium maxime, quo vivimus, tempore collocent.

In Historia literaria paucis evincere studui restauratos in huius disciplinae parte inprimis practica progressus non a protestantibus, sed a Decretis Conciliorum Viennensis et Tridentini, item ab eximiis virorum, qui ante hoc Concilium floruerant, exemplis esse derivandos. — Opportunum videbatur innuere, qua ratione Interpres, usu loquendi signanter biblico rite stabiliendo, efficaciter occurrere valeat iis, qui hodie Biblia unice fere e profanis scriptoribus exponere adnisi, doctrinam coelestem et historiam biblicam divino charactere exutam cuperent. — Varias variorum de Vaticiniis V. Foederis in N. F. adductis sententias ita conciliare studui, ut omnibus quidem satisfieret, doctrina tamen maxime orthodoxa prae ceteris stabiliretur. — Nemo vitio vertat, quod in Parte Catholica adversus quasdam Virorum eruditionis laude merito insignium sententias quandoque calamum strinxerim; profecto laudi huic, quam in illis suspicio, de-

tractum volui nihil, unice veritatis studio notanda censui, quae Systemati Catholico minus congruere videbantur. — Assertum de praetensis mythis biblicis e professo examinare ad doctrinam de fide historica SS. Librorum, adeoque ad Introductionem in eosdem pertinet quidem, placuit tamen explanare, quid de mythica interpretatione ex aequo iudicandum sit, ut tirones potiora, quibus Biblia in variis disciplinis a mythis iam directe iam indirecte vindicantur, hic collecta uno velut obtutu recolere possent, sicque contra infaustum, ac historicae veritati biblicae adversum quorundam molimen firmius munirentur. — Psalmos numeris, quibus in Versione Vulgata computantur, adduxi. — Propter angustiores opusculo praefixos limites, de plerisque doctrinae huius partibus pauca nonnisi delibare licuit, quare meliorum subsidiorum apparatum, unde plura peti possent, censui subiiciendum. — Quaepiam asserta egregiis Virorum doctorum sententiis ornanda duxi, ut, quanti similia opera essent momenti, innuendo, eorundem legendorum desiderium excitarem optatissimum. — Quae ab aliis sapienter praecepta comperissem, in rem meam convertere haud verebar, quum nunquam non et principaliter quidem id egerim, ut libellus hic non tam novitatis gratia, quam utilitate commendaretur. Non tamen praesumsi aliena tamquam propria venditare, haud enim unquam fontem coronare neglexi. Atque Viris his, quorum adiumentis in labore hoc mihi uti licuit, omnibus me gratias habere

puta, quasi nominassem singulos. Unius tamen, virtute, eruditione et meritis pariter ac dignitate Illustrissimi Antonii Ócskay nomen palam ut recolam, animus svadet, utpote cuius sapientissimo moderamine mihi, ante octo abhinc annos Viennae in C. R. sublimioris educationis Presbyterorum Instituto disciplinam hanc summis lineis adumbranti, frui concessum fuerat, imo cui ipsam opusculi praesentis scribendi ideam deberi, gratus profiteor.

Ceterum magnopere laetor, persvasionem meam, his ipsis pagellis exarandis, de Principiorum Christiano-Catholicorum veritate redditam esse et certiorem et firmiorem. Ut vero tenues hi attamen ingenui conatus mei etiam tironibus Literarum Sacrarum studiosis quam plurimum prosint, ex animo opto, quae iusta vota si vel paucorum emolumentum expleverit, operae Adiutrice Dei Gratia locatae me poenitebit nunquam.

Scripsi Quinque-Ecclesiis die 16. Maii 1838.

J. R.

CONSPECTUS OPUSCULI.

PRAELIMINARIA HERMENEUTICAE.

CAPUT I.

INDOLES INTERNA ET EXTERNA HERMENEUTICAE.

CAPUT II.

SENSUS, EIUSQUE SPECIES.

HERMENEUTICAE BIBLICAE GENERALIS

SECTIO I.

DE SENSU INVENIENDO.

PARS I.

HERMENEUTICA RATIONALIS.

CAPUT I.

INVESTIGATIO SENSUS PHILOLOGICA.

CAPUT II.

INVESTIGATIO SENSUS LOGICA.

I. Occasio dicendi aut scribendi.

II. Consilium seu scopus auctoris.

III. *Contextus orationis.*

IV. *Loca parallela.*

V. *Substrata materia.*

VI. *Natura Rei.*

VII. *Forma seu genus dicendi.*

VIII. *Persona loquentis aliaque adiuncta.*

CAPUT III.

INVESTIGATIO SENSUS HISTORICA.

PARS. II.

HERMENEUTICA CHRISTIANA.

CAPUT I.

DE ANTILOGIIS.

CAPUT II.

DE ACCOMMODATIONE.

PARS III.

HERMENEUTICA CATHOLICA.

CAPUT I.

LEX PRIMA.

CAPUT II.

LEX SECUNDA ET TERTIA.

CAPUT III.

LEX QUARTA.

HERMENEUTICAE BIBLICAE GENERALIS SECTIO II.

DE SENSU INVENTO EXPLICANDO.

APPENDIX.

PSEUDO-INTERPRETATIONIS SPECIES.

PRAELIMINARIA HERMENEUTICAE.

CAPUT I.

INDOLES INTERNA ET EXTERNA HERMENEUTICAE.

§. 1.

Notio Hermeneuticae.

Hermeneutica [1]), vox originis graecae, proxime descendit ab ἑρμηνευς *interpres*, unde ἑρμηνευειν significat *interpretari*, *explicare*, *exponere*, speciatim vero *e lingva peregrina transferre in vernaculam*, vel

[1]) Qui de usu vocis hujus plura legere cupit, consulat J. S. Semler, Vorbereitung zur theol. Hermeneutik, I. St. p. 28 ss. — Creuzer, Symbolik, I. p. 9. ss. — G. W. Meyer, Hermeneutik des alten Testam. I. Th. Lübeck 1799. p. 25. — J. F. Schleusner, Lex. graec.-lat. in N. Test. T. I. P. I. ed. 4. Lips. 1819. p. 953. s. h. v. — Ceterum Hermeneutica nexu quodam etymologico iungitur voci Ἑρμης, nomini graeco Mercurii, dei commentitii, qui reliquorum deorum nuncius, et voluntatis eorum interpres habebatur; quapropter Lystrenses quoque, Barnabam et Paulum deos esse existimantes, illum quidem Jovem, hunc vero „Ἑρμην vocabant i. e. Mercurium, quoniam ipse erat *dux verbi*." Act. XIV. 11.

2

in eadem lingva dictorum sensum exponere clarius,—et ἑρμηνευτικη, dictio elliptica, adeoque supplenda per substantivum τεχνη vel επιστημη, denotat *artem*, *disciplinam*, vel *scientiam interpretandi* [2]).

Est vero *interpretari* nil aliud, quam efficere, ut auctor ab aliis intelligatur, seu, quid cogitaverit senseritve, adeoque, quemnam sensum singulis dicendi formulis subiecerit, docere, et id quidem secundum firmas regulas, ut aliis de veritate sensus constituti persvadeatur. Qui vero efficere vult, ut auctor ab aliis intelligatur, eundem ipse prius intellexisse debet [3]); quapropter interpretem duplici pollere oportet facultate, nempe sensum verborum auctoris inveniendi, et inventum aliis perspicue expo-

---

[2]) Hermeneutica et Exegetica nempe ars (ab ἐξηγεῖσθαι *educere*, *enarrare*, *explicare*, *interpretari*,) vi et significatione verborum vix differunt; usus tamen loquendi hanc invexit distinctionem, ut hermeneutica censeatur distincta quaedam, et exegetico studio inserviens, disciplina, quae theoriam interpretationis iusto in ordine exhibet, — exegetica autem, quae regulas propositas in usum convertit, et dicta auctoris iisdem conformiter exponit; verbo, illa, theoria, haec, praxis est interpretationis.

[3]) Quod ut certius obtineas, vide, quid intelligas, nec ne, et difficultates intelligendi, earumque caussas, ex arte animadverte, — tum autem, sensum eorum, quae difficilia sunt, rite indagando invenire satage. Postremo hoc in negotio praecedat dictionis, quam intelligere cupis, analysis in sua elementa, tum sequatur synthesis. Id quod pluribus exponit L. Schmid, einige Sätze über Schrifterklärung, als Anhang zu seiner Erklärung der h. Schriften I. Abth. I. B. 4. Hft. Münster 1835. p. 794. — et D. Theile, über Erklärung der bibl. Bücher, als h. Schriften, im neu. Krit. Journal der theol. Lit. von Winer, und Engelhardt. 4. B. Sulzbach 1825 p. 334. ss.

nendi. Atque ars, vel disciplina *), quae utrumque hoc docet, seu, quae regulas proponit, sensum verborum auctoris rite inveniendi, inventumque aliis perspicue exponendi, dicitur Hermeneutica. Itaque Hermeneutica sensu obiectivo est complexus rite dispositus, — sensu subiectivo vero cognitio regularum, iuxta quas sensus verborum loquentis aut scribentis rite inveniri, aliisque perspicue exponi queat.

§. 2.
Divisio Hermeneuticae.

Dividitur Hermeneutica in universalem et particularem, illa regulas tradit, interpretationi cuiuslibet, sacri pariter, ac profani, haec vero certi tantum generis librorum inservientes. Praesens, quam adumbrandam aggredior, particularis est, et quidem biblica (alias etiam sacra dicta, ut distingvatur a profana,),

*) Hermeneuticam majori iure artem dixeris, quam scientiam, sensu eminentiori; quod enim in plurimis, id quoad illam quoque obtinet, ut seris veniat usus ab annis; licet nempe principia hermeneutica certa sint, eorum tamen debita et felix applicatio, adeoque facultas rite interpretandi nonnisi indefessa exercitatione acquiritur, praeterquam quod subtilem aciem iudicii et ingenium liberaliter excultum requirat. Insuper supremo principio, quod disciplina, ad dignitatem scientiae adspirans, e mente eruditorum habere debet, caret; nisi ceu tale adoptetur: *unitas interpretis cum auctore;* inde enim omnia praecepta hermeneutica deduci, et illuc ultimo revocari possunt; quum interpres omnino eo eniti debeat, ut intuitu dictionis, de cuius sensu agitur, unius eiusdemque mentis cum auctore evadat. — Aliud principium stabilire nititur W. Kozelka, Versuch ein. Beantwort. d. Frage: Welcher Interpretations-Grundsatz ist bei d. Ausleg. d. h. Schrift d. N. T. als der einzig richtige zu befolgen? in der neu. theol. Zeitschr. v. J. Pletz. 5. Jahrgg. Wien 1832 p. 294.

seu, quae exhibet rationem sensus SS. Bibliorum eruendi, et explicandi.

Hermeneutica biblica subdividitur in generalem et specialem, prout nempe regulas proponit vel omnes utriusque, vel aut omnes aut certos tantum alterutrius Foederis Libros interpretandi. Hic loci generalis sistetur.

Quodsi unice regulae Hermeneuticae universalis ad Hermeneuticam biblicam applicando transferantur, non plene satisfit indoli Librorum Veteris et Novi Foederis, sunt namque hi divini, et ecclesiastici, adeoque praerogativa insigniti, qua, utpote nulli alii scripto documento competente, ab omnibus aliis libris essentialiter distingvuntur; quapropter, cum diversa, qua talia iisdem regulis subesse nequeant, praeter regulas universales, etiam peculiares quasdam proponere oportet, iuxta quas Libri hi pro singulari sua indole id est, qua divini, et ecclesiastici, spectati, intelligi queant et explicari [5]). Peculiares vero hae leges, ut ipsa rei natura loquitur, praesupponunt universales: unde triplex enascitur pertractanda Hermeneutica, nempe Rationalis, Christiana, et Catholica; quatenus Libri V. et N. F. considerantur vel ceu humani, vel ceu divini, (quod obtinet apud omnes Christianos, hoc nomine dignos,) vel ceu ecclesiastici, seu tales, e quibus Ecclesia Christiano-Catholica dogmata sua depromit, aut certe confirmat.

Denique, quoniam Hermeneutica duobus absolvitur, nempe sensus inventione et explicatione: integra haec disciplina in duas dispescetur sectiones, qua-

---

[5]) De necessitate peculiarium harum legum cf. inf. §§. 48.55.

rum priore regulae sensum inveniendi, altera regulae sensum inventum explicandi delineabuntur.

§. 3.

Termini Hermeneuticae.

Interpretis qua talis, ipso nomine et natura rei loquente, est docere, quae sit mens loquentis aut scribentis, adeoque investigare quid auctor verbis suis exprimere intenderit; si proinde verum dictorum sensum detexit: invenit, quod quaesivit, nempe veritatem hermeneuticam. Cum autem haec obtineri queat, priusquam de dictorum veritate obiectiva constet, patet, ad interpretis munus nequaquam spectare, in obiectivam inventi sensus veritatem inquirere; verbo, interpres assertorum sensum, non veritatem examinat [6]). Ceterum ab obiectiva veritate ad hermeneuticam nunquam valet conclusio, neque in divinis, neque in humanis libris; sed ab hermeneutica veritate ad obiectivam in effatis SS. Librorum, ad revelationem pertinentibus, iusta fit consequentia, hi enim Libri divinitatis praerogativa gaudent, adeoque in substantia doctrinae divinae nil falsi continere possunt. Ast in scriptis profanis, quod hermeneutice verum est, obiective falsum esse potest; cum auctor, altiori praesidio non munitus, errare possit. — Porro Hermeneutica, qua talis, non occupatur assignandis textuum usibus homileticis, nempe qualiter e sententiis biblicis salutares

[6]) Pluribus id evolvunt C. L. Gratz, Comment. de Codice S. interpretando, Campod. 1832 p. 12. — D. Theile l. c. (n. 3.) p. 338. s. — Censor anon. in d. Jenaisch. allgem. Liter. Zeitg. 1834 N. 21. p. 162. — add. D. Röhr, Krit. Pred. Biblioth. 13. B. 3. Heft. coll. F. H. Germar, Mängel der gram.-histor. oder Tact-Interpretation. Halle 1834 p. 8. ss.

doctrinae deduci valeant [7]). Denique nec aestheticum orationis examen, utrum nempe hic illeve tropus, haec illave similitudo, et quae sunt huiusmodi, congruo loco posita sint, intra ambitum Hermeneuticae pertinet, nisi fors ad sensum detegendum conferat.

§. 4.

Utilitas et necessitas Hermeneuticae biblicae.

Disciplina quaevis praecipuam ab obiecto suo dignitatem sortitur, itaque ars, quae regulas tradit Scripturam S. adeoque principalem credendorum, agendorumque normam rite interpretandi, gravissima omnino censenda est cuivis, inprimis autem theologo, maxime, si meminerit, se *pro Christo legatione fungi* ad populum (2. Cor. V. 20.), ut fidum se praestet supremae voluntatis interpretem. Nam sine peritia artis illius nec puram e sacro fonte doctrinam haurire, nec haustam adversus obtrectatorum criminationes efficaciter defendere quiverit [8]); et praesertim quidem ho-

[7]) Ceterum homileticum hunc usum egregie indicatum deprehendes in opere insigni J. Hirscher, Betrachtungen über d. Evangelien der Fasten; für Homileten. Tübing. ed. 5. 1837. et Betrachtg. üb. d. sonntägl. Evangel. 1. Th. Tübg. 1837. — Schwerdling, prakt. Anwend. d. h. Schrift. 14. Bde. Linz 1820. — item. J. Pletz, Anh. zur Abh. über Nothwendigkeit eines fleißigen Forschens d. h. Schrift. in theol. Zeitschrift v. J. Frint, 3. Jahrg. 2. Band. 1815. p. 231. ss.

[8]) Nihil itaque mirum, quod J. A. Ernesti, Instit. Intptis N. T. ed 4. Lips. 1792. p. 3. ad commendandam hanc disciplinam notet, principes theologorum semper numeratos esse eos, qui in hac arte excellerent. Imo J. Rambach, Instit. Hermen. S. Jen. 1743. p. 8. addit, scientia hac destitutum, ne nomen quidem theologi mereri. Quibus suffragatur A. Viser, Hermen. S. N.

die, ubi prout universim, ita in hac quoque disciplina maior cogitandi et scribendi libertas quamdam invexit non solum dubitandi, sed et iudicandi licentiam imo temeritatem, huic frena iniicere, alios meliora docere, suasque ipsius dubitationes arcere vix poterit, nisi firmis interpretandi praesidiis solide imbutus, quibus doceat, quid e SS. Libris recte eruatur, quid in eos tentare nefas sit. Quod ipsum ut theologus docere omnino valeat, ipsum momentum Codicis S. postulat, sicut enim nullibi utilius invenitur veritas, quam in Scripturis, ita etiam nullibi periculosius erratur, quam in iisdem Scripturis.

Negari quidem non potest, hermeueuticas regulas, sicut logicam naturalem, quodammodo insitas esse homini, et fuisse praeclaros viros, qui dudum ante stabilitam theoriam hermeneuticam, naturali ductu in hac arte excelluerunt, pariter, ac longe ante traditam verbis artem poeticam et rhetoricam eximii omuino poetae oratoresque exstiterant, ipsa natura duce et magistra; scilicet ingenii praestantia artis defectum quandoque supplere solet. Inde tamen haud sequitur Hermeneuticae rectam cognitionem minus esse utilem ac necessariam, prout nec quisquam rei peritus logicae artificialis, poeseos, aut rhetoricae rite coordi-

---

T. P. I. Bud. 1784. p. 10. ita scribens: „Si hermeneuticae cum omni theologia nexum advertimus, videbimus, absque studii huius principiis, neque articulorum fidei expositionem, et controversiarum evolutionem recte fieri, neque conscientiae casus apte resolvi, neque orationes s. fructuose haberi ad populum. Etenim omnes istae scientiae scripturam s. velut primum argumentorum suorum fontem respiciunt: ejus vero exponendae regulas non nos ab illis accipimus, sed illae a nobis repetere solent."

natas leges, velut minus utiles, parvi esse pendendas censuerit. Nam pauci sunt, qui subtili adeo ingenio, mentisque acumine donati essent, ut etiam sine artis praesidio in similibus feliciter versarentur. Quid? quod summi etiam viri ad aliquam perfectionem non sine repetitis lapsibus pervenerint, quos quidem facilius fugiet, qui firmis, ex ipsa indole Librorum SS. deductis, praeceptis instructus interpretationem aggreditur. Sane regulae, in iustum ordinem redactae, et congruis argumentis probatae, non solum sibi mutuo lumen affundunt, et convincendi vim largiuntur, sicque fundamentum, cui, si forte interpretatio in dubium vocetur, innitaris, praebent, sed et longe maiorem praestant securitatem, quam sola natura duce obscure et ambigue tantum cognitae; ut adeo artis huius recto usu facilior, certior, et tutior reddatur interpretatio, atque, periculis longius remotis, caveatur, quod gravissimum est, ne interpres e sacro codice quidquam precarie eruat, aut plane, ut S. Hieronymus [9]) ait, „depravet sententias, et ad voluntatem suam scripturam trahat repugnantem". Denique ipsa indoles SS. Librorum ita est comparata, ut, etiamsi in omni alia, in illorum tamen interpretatione regulis distinctis nequeas carere [10]): sunt enim non paucae

---

[9]) Epist. ad Paulinum, tom. IV. ed. Benedict. part. II. p. 571.

[10]) De utilitate Herm. cf. A. Arigler orat. academ. Vien. 1809. Et eius. Herm. bibl. gen. Vien. 1813 p. 39. — J. Frint, theol. Zeitsch. 4. Jahrg. 1. B. 1816 p. 9. ss. — P. D. Huetii op. de claris intptibus. Ven. 1757, p. 95. ss. — L. Sinner, de util. studii exeg. Bernae 1823. — J. Pletz, über Nothw. ect. (vid. not. 7.) 3. Jahrg. 1. B. p. 237 ss. — J. Scheiner, ein Wort zur Ehre d. Bibel, in neu. theol. Zeitsch. v. J. Pletz, 5. Jahr. 1. B. Wien 1832 p. 225. ss.

§. 5.

Difficultates interpretationis biblicae.

Has, quoniam diligens difficultatum consideratio ingenia liberaliora excitat, et diligentiam acuit, universim vero aperta impedimenta facilius superantur, — paucis notare iuvat; scilicet difficultatem in Libris SS. exponendis parit

1. Aetas eorundem, utpote quorum recentissimi ante fere bis mille annos abhinc conscripti, reliqui autem, et signanter quidem primi Libri V. F. omnibus aliis libris antiquiores sunt [11]). Erant autem antiquis illis temporibus, et in illis regionibus, in quibus Libri SS. scripti sunt, aliae rerum publicarum et ecclesiasticarum formae, alii mores, aliae consvetudines, publici item et privati ritus, aliae geographicae locorum rationes et compellationes, alia sentiendi et cogitandi ratio, atque innumera alia antiquorum populorum, temporum, locorum, rerum et personarum adiuncta a nostris admodum discrepantia, quae Scriptores SS. non exponunt, sed persaepe, utpote coaevis suis lectoribus aliunde nota ponentes, duntaxat obiter tangunt. Accedit, quod etiam permultae res, quae vocibus designantur, aut a quibus similitudines vel tropi depromuntur, aut ad quas alluditur, in tanto et temporum et locorum intervallo quam plurimum differant

[11]) Libri V. F. decursu sedecim seculorum ante Christum conscripti sunt, ut adeo antiquissimi eorum, antiquissimo Graecorum opere poetico, per Homerum nono seculo ante Chr. consignato, sex vel septem, — antiquissimo vero Graecorum opere historico, undecim seculis antiquiores sint, hoc quippe ab Herodoto sec. quinto ante Chr. adeoque ea circiter aetate fuit exaratum, e qua Malachiae, postremi prophetarum V. F. vaticinia descendunt.

ab iisdem rebus nostris, quas si antiquis et peregrinis illis lector substituerit, crebro errandi periculum adibit, aut opinabitur, se percepisse, quod auctor expressit, ubi tamen a vero longe aberraverat. Unde sequitur, ob remotam nimis Librorum SS. a nobis aetatem, interpretem eorundem summis saepe obvolvi difficultatibus. Auget has

2. Patria horum Librorum, et rerum gestarum, quae in iis describuntur, theatrum biblicum, nempe potissimum meridionales orientis provinciae, quae post egregia etiam recentiorum peregrinatorum studia, tantosque eruditorum conatus nondum ita cognitae nobis sunt, ut quam plurima in geographia et historia naturali clariorem lucem sibi non deposcerent. E situ quippe illarum meridionali intelligitur, dari ibidem, in regno tam animali quam vegetabili, naturae producta, nobis sine multis praesidiis solo nomine nota; diversa quoque climatis ratio diversos a nostris parit mores, diversamque vivendi rationem, ita, ut similia e nostris moribus aestimata saepe ridicula et absona videantur. Non minorem difficultatem creat

3. Lingva, qua Libri SS. praecipue V. F. exarati sunt, nempe non tantum peregrina et mortua, sed etiam magna ex parte deperdita, et nostrarum multum dissimilis. Nam in ea, forma vetusta, nulli in nominibus casus, comparationes saepe ambigue circumscriptae, vaga verborum determinatio; voces quam plurimae polysemae, et notiones aliae quidem abstrusae, aliae autem aliis, quam in nostris lingvis, limitibus circumscriptae; construendi ratio a nostra longe diversa; permulti tropi audaces, a nostris longissime distantes; longe petitae similitudines; denique poesis

occidentali tanto vividior, quanto ferventior est indoles accolarum meridionalis coeli. Quae omnia eo quoque augentur incommodo, quod in paucis his, qui e remota illa aetate supersunt, Libris, ipsa etiam lingvae, utpote dudum emortuae, cognitio maioribus laboret impedimentis, quam aliarum, uti graecae vel latinae, nec nisi cognatarum dialectorum subsidio lucem et communem cum ceteris firmitatem acquirat [12]). Accedit denique

4. Ipsum Librorum horum argumentum, utpote religiosum, item singularis de rebus religionis loquendi modus, et doctrinae N. F. sublimitas. Cum autem Libri hi simul norma sint credendorum et agendorum pro diversis, in religione ipsa ab invicem mire dissidentibus: saepe fit, ut dum quisque sensum, suis faventem placitis, ex iis eruere studet, caligine tandem involvantur etiam illa, quae animo, a praeiudiciis libero, primo obtutu patescerent. E difficultatibus his [13]) suapte sequitur, singulares necessario requiri

---

[12]) Haec lingvae hebraeae constitutio transivit etiam in Libros N. F. graece conscriptos; Auctores enim horum fere omnes erant Hebraei, vernaculam loquentes lingvam aramaicam seu syro-chaldaicam, hebraeae affinem et in plurimis similem, qui, dum cogitata quaevis, graece exprimenda, prius forma aramaica induta, mente complecterentur, adeoque aramaice cogitarent, graece scriberent, hebraismos ac aramaeismos graeco N. F. idiomati immiscent, sicque negotium eruendi sensus etiam in graeco difficilius reddunt.

[13]) De quibus cf. J. A. Ernesti, de diff. N. T. recte interpretandi; item de diff. interpretationis gramm. N. T. — in Ejus Opusc. philolog. crit. Lugd. Bat. 1764. p. 198 ss. 252. ss. — G. N. Freudentheil, de Codice S. intptdo, adiect. diff. N. T. propr. Chemn. 1791.

§. 6.

Dotes interpretis biblici.

Dotes, quibus interpretem biblicum, quo arduó suo munere recte fungi queat, instructum esse oportet, bifariam dispesci possunt; aliae nimirum naturae beneficio obtingunt, assidua exercitatione perficiendae, — aliae studio et industria acquiruntur. Et quidem

1. Inter dona naturalia eminet a) iudicium acre, quo inprimis polleat interpres sacer, ut circumstantias omnes rite expendat, — recte dispiciat dictorum scopum, — inter loca parallela selectum prudenter instituat, — aliorum interpretationes iustis aestimet ponderibus, ubivis vera a falsis, certas rationes a coniecturis sagaciter secernat, — ut denique cuncta ad analogiam doctrinae caute exigat.

b) Judicio manus amicas iungat ingenium felix, quod interpretem in indagando sagacem, in coniectando peritum ac providum, in induendis denique loquentium affectibus, ac sistenda rerum personarumque indole, facilem reddat [14]).

c) Accedat memoria firma ac fidelis, tum ut lingvas et disciplinas subsidiarias mente comprehendat, tum vero ut, quidquid de eodem argumento in Scriptura legerit alibi, feliciter recordetur [15]).

---

[14]) Quum autem praeconceptae opiniones intellectui maxime insidientur, sollicite sibi interpres ab illarum contagio caveat: et inprimis quidem proscribendum putet praeiudicium, quo aliorum sententiis coecum obsequium addicitur. Ceterum non minori studio oppositum vitium fugiendum est, habitus scilicet animi superbus, qui, contemtis aliorum omnium vel solidissimis explicationibus, non nisi sua ubique inventa, quamvis antehac inaudita, miratur.

[15]) Optimum enim interpretem merito dixeris, qui Scripturas per Scripturas explanare, locisque obscurioribus e clarioribus lucem affundere novit.

d) In animo interpretis tranquilla floreat serenitas; longe enim profundius mens pacata in divinarum veritatum sensum penetrare solet, quam animus turbulentus, et affectuum discordia concitatus. Denique

e) Hisce virtutibus addatur candida animi sinceritas, ut seposito partium studio, et obliquis finibus procul remotis, res exegetica tractetur. Veritas — interpretis suprema lex esto [16]).

2. Ad dotes, studio et industria parandas, a) ante omnia pertinet peritia lingvarum originalium, sine quo adminiculo interpres nec indagare verum Scripturae sensum, nec sine formidine oppositi aliis declarare, nec contra adversarios sartum tectumque praestare, neque vero falsas interpretationes refellere potest. Quum autem ars grammatica sit magistra illarum lingvarum, necesse est, ut solida eius quoque fundamenta interpres teneat. Neque praecepta rhetorica negligenda sunt, quae in dignoscendo charactere dicendi, tropisque ac figuris orationis diiudicandis, utiliter adhiberi possunt.

b) Cum ieiuna ac sterilis sit verborum interpretatio sine cognitione rerum, — adeoque interpreti, qui sensa Auctorum SS. plene percipere serio cupit, nunquam in solis verbis obiter acquiescere liceat, sed potius enitendum sit, ut res ipsas verbis designatas, quae et quales sint, perspiciat et comprehendat: opus est, ut illis disciplinis instrumentalibus reales iungat, scilicet vastissima historiae, chronologiae, geographiae, rerum naturalium, rituum, morumque priscorum, —

[16]) Pie S. Augustinus Confessionum L. XI. C. 2. „Sint castae deliciae meae, Scripturae tuae. Nec fallar in eis, nec fallam ex eis."

verbo earum omnium rerum historicarum, quas nomine antiquitatum complectimur, cognitione instructus sit [17]).

c) Requiruntur variae notitiae, quas historia et studium criticum de cuiusvis libri auctore et primis lectoribus, horumque pariter ac illius individualibus adiunctis, de occasione libri scribendi, de eius aetate, dispositione, lingva, stilo, antiquis versionibus, ceterisque vicissitudinibus suppeditat [18]). Huc spectat

---

[17]) Hanc suppellectilem antiquitatum suppeditat J. Jahn Archaeologia Biblica, Vienn. 1813 et 1826 ed. a Four. Ackermann; fusius vero ei. J. Jahn Biblische Archäologie, Wien 1796 — 1805. 5. PP. — Ceterum antiquitatum non tantum hebraicarum, sed passim graecarum quoque et romanarum notitia requiritur, et illa quidem non levis, sed accurata, e fontibus ipsis hausta. Nam literae similes leviter tactae ineptos faciunt et nocent, penitus perceptae modo prosunt. Labor amoenus, sed et gravis, qui tamen abs dubio haud recusabitur; „nam, si ii, qui libros humanos, graecos et latinos, tractant, non dubitant omnia excutere diligentissime, ad minutias usque, ut nihil neque in verbis, neque in rebus intactum et obscurum maneat, atque in eo se utiliter operam ponere putant, laudem quaerunt et inveniunt: certe turpe sit interpreti SS. Librorum, his non idem tribuere, et ignaviae atque inscitiae suae velamenta quaerere ex eo, quod earum scientia nihil ad doctrinam religionis valeat." J. A. Ernesti l. c. (n. 8.) p. 387.

[18]) Egregia harum notitiarum adiumenta inprimis subministrant: J. Jahn, Einleitung in die Bücher des alten Bundes vol. 4. Wien 1802 — 3. — Eius Introductio in Libr. SS. V. F. ed. a Four. Ackermann, Vien. 1825. — L. Bertholdt, Einleit. in d. Schriften des alt. u. neu. Testam. 6. Thle. Erlang. 1812 — 1819. — J. L. Hug, Einleit. in d. Schrift. d. N. Test. 2 Thle. ed. 3. Stuttg. 1826. — J. G. Eichhorn, Einl. in d. N. Test. 7. Thle. ed. 2. Leip. 1820 — 27. et Einl. in d. Alte Test. 5 Bde. ed. 4. Gött. 1823 — 4. — H. A. Schott, Isagoge in LL. SS. N. F. Jen. 1830.

Critica, cuius est inter lectiones variantes, quae genuinae, quae spuriae sint, diiudicare [19]).

d) Interpretem perpetuo manuducat accurata cognitio regularum Scripturam S. recte interpretandi; quibus praemittatur studium sanae logicae, quae interpretandi praecepta generalia suppeditat, ac sacrae exegeseos negotio substernit. Prout philosophia universim quoque interpreti, si ea recte uti didicerit, praecipue in modo rerum tractandarum emolumenta praestabit insignia [20]). His denique omnibus

e) Accedat usus et crebra exercitatio; audiendi nimirum sunt boni interpretes, legendi ponderandique diligenter commentarii, denique periculum interpretandi ipsum faciendum [21]).

---

[19]) Sine Critica saepe ne locum quidem habet interpretatio; frustra enim interpretari conaris, quod est spurium aut corruptum; unde recte Quinctilianus I, 4. primum in interpretando esse dicit, videre, an integer locus sit nec ne, et corrupta emendare: *Enarrationem*, inquit, *praecedat emendata lectio.*

[20]) Aliis quoque interpres opus habet subsidiis literariis; nec animus fuit, omnia persequi, sed per praecipua capita ire, itaque cf. J. Rambach, de idoneo SS. Liter. interprete, in eius exercit. herm. Jen. 1728.

[21]) Ad usum et dexteritatem in interpretando acquirendam opus est ingenio auctorum Graeciae Latiique lectione subacto, quo secus quoque negotium interpretationis adiuvabitur, quum nempe magna sit locorum copia, quae facilius intelliguntur, si lux iis ex auctoribus graecis et latinis affundatur; ut, nisi quis veteris eruditionis copia tamquam inundatum afferat animum, saepe haereat necessario. v. inf. §. 72. sed et §. 18. n. 75.

§. 7.

Historia literaria Hermeneuticae biblicae.

In adumbranda praesentis disciplinae historia literaria [22]), pars eius utraque, theoretica nempe (hermeneutica), et practica (exegetica) prae oculis habenda et velut iunctim sistenda est; illa enim, quum nonnisi abstracta sit ex hac, adeoque resultatum studii exegetici [23]), — neque nasci prius, neque ulterius provehi potuit, quam haec studiis doctorum interpretum exculta, usuque diuturniori firmata, ad maturitatem quamdam pervenisset. Quapropter primis Christianitatis seculis in penuria librorum stricte hermeneuticorum nemo aequus offendet. Nam, licet pars exegetica nuspiam prorsus neglecta iacuerit, velut frequentes omni aetate commentarii et versiones testantur, — licet SS. Patres oblata occasione quandoque leges eloquiorum divinorum qualiter rite exponendorum stabilirent, saepius vero regulas, quin eas distincte scribe-

[22]) Ad fontes, unde haec hauriri possit, maxime referre licet: G. J. Rosenmüller, Histor. intptionis Libr. SS. Hildburghusae et Lips. 1795 — 1814. PP. 5 coll. N. theol. Journ. v. J. P. Gabler, 17. Bd. 1801. p. 560 ss. — E. F. C. Rosenmüller, Handbuch für d. Literat. der bibl. Krit. u. Exeg. PP. 4. Götting. 1797 — 1800. coll. N. theol. Journ. v. H. E. G. Paulus, 10. Bd. 1797 p. 1116 ss. G. W. Meyer, Geschichte der Schrifterklärung, Götting. 1802 — 9. PP. 5. — Lücke, Grundr. der neutest. Herm. Gött. 1817. p. 34. ss. 197. ss. — Theile, s. v. Hermeneutik, in allg. Encyklopaed. der Wissenschaft. u. Künste, von Ersch, u. Gruber. 2. Sect. 6. Th. Leipz. 1829. p. 313. ss.

[23]) Verissime J. Pletz, in theol. Zeitsch. v. J. Frint, 12. Jahrg. 2. B. 1824. p. 76. „Der Inbegriff unserer hermeneutischen Regeln — ist nur ein Resultat des auf Interpretation angewendeten menschlichen Denkens.“

rent, sequerentur: magis tamen usu et exercitatione ducti, quam certis praeceptis adstricti, Literis SS. explanandis operam dederunt. Ast, quamquam nemo illorum interpretandi leges in iustam disciplinae formam redegerit, neque redigere potuerit, sed singula tantum praecepta velut in transitu scriptis suis insererent: hoc ipso tamen methodum, qua procedendum esset, successoribus monstrarunt, qui antiquiorum observationibus suas iam facilius addere, sicque haud temnendam materiam, ab illis relictam [24]), sensim augendo, firmando, rite disponendo, tandem forma quadam vestire poterant. Viros eximios, qui alterutrum etsi felicius praestiterant, omnes hoc loco laudare, nec attinet nec vacat, principes tamen illorum iuste indigitare ab instituti huius ratione haud alienum videtur.

In Ecclesia orientali seculo tertio disciplina haec praeclarum omnino cultorem, ingenio, eruditione, et solertia insignem nacta est in Origene, qui, inter Graecos primus, Scripturarum amore lingvae graecae, utpote vernaculae, hebraicae quoque intelligentiam adiunxit, suo exemplo docturus, sine lingvarum, ceterorumque subsidiorum cognitione interpretationem e votis cedere non posse. Itaque cunctis praesidiis, ad S. Codicem intelligendum requisitis, instructus, saluberrimo instituto interpretationem grammaticam inducere coepit [25]), simul tamen et allegorico sensui plus

[24]) De qua contulisse iuvabit, J. Kotz, Lehre der Kirchenväter üb. d. Wort Gottes, und dessen Interpretation. Sulzb. 1830. — D. Whitby, de SS. Lit. intptne secund. Patr. commentarios. Lond. 1714. — M. Flacius, Clav. Script. S. P. 2. tract. 2. p. 122. ss.

[25]) Cf. J. A. Ernesti, de Origene intptnis LL. SS. gramm. auctore; in Eius op. phil. crit. Lugd. 1764. p. 288. ss.

iusto indulsit [26]); quod eo inprimis dolendum magnopere, cum innumeri interpretes per plura secula eum in interpretando ducem sequerentur.

Seculo quarto eluxit eruditio et iudicium grave S. Joannis Chrysostomi, in Scripturarum scientia inter Graecos celeberrimi, qui etsi lingvae hebraicae ignarus, ideoque felicior in N. quam in V. Foedere, optimis tamen interpretibus accensendus est, tantam et olim iam nominis celebritatem et auctoritatem nactus, ut Graeci deinceps huius fere unius scriptis exegeticis uterentur; et merito: sectatur enim in suis homiliis, nam in his eloquia sacra illustrat, praecipue sensum literalem, etsi allegorico non prorsus spreto, multaque praecipit, quae ad rite eruendum sensum egregie faciunt [27]). Huius discipuli

Isidorus Pelusiota, fautor interpretationis grammaticae, scripsit de interpretatione Scripturae S. epistolas, in libros quinque dispositas [28]). Et

Theodoretus eximiae eruditionis, sagacitatis et diligentiae documenta reliquit in suis commentariis,

---

[26]) Cf. G. J. Rosenmüller l. c. (v. n. 22.) P. 3. p. 51. ss.

[27]) Sic Hom. in Jerem. Op. tom. 6. ed. Maur. p. 160. scribit: „Non locum (Jerem.) tantum excutiemus, — sed et contextus omnem seriem, et pro quibus dicta sint illa, a quo, ad quem, quam ob causam, quando et quomodo. Non enim sufficit, — temere avulsa, ac discerpta scripturae membra nuda, et a reliquo textu, serieque sermonis seiuncta sumere, — — — sed totam seriem legi oportet.“ Et Hom. 15. in Joan. tom. 8. p. 84. „Multa opus est vigilantia, ne nudis verbis insistamus. Ita enim haeretici errant, dum neque scopum dicentis, neque audientium affectum explorant. Nisi ergo haec adiiciamus, imo alia quoque, ut tempora, loca, auditorum animum, multa consequentur absurda.“

[28]) Edit. opt. Paris. 1638. fol.

in plerosque Libros SS. sensum literalem paucis et perspicue proponendo, conscriptis. Ceterum interpreti huic, inprimis epistolarum Paulinarum, excellentissimo, iniuria fit, si hic eius commentarius mera compilatio S. Chrysostomi habeatur: saepe enim non tantum diversas, sed et meliores exhibet interpretationes.

Qui posthac inter Graecos scripserant, plerique, Scripturas propria industria haud scrutati, tantum excerpta e maiorum operibus congesserunt; sic Theophylactus merito compilator S. Chrysostomi dici potest.

In Ecclesia latina seculum quartum protulit virum de sacra hac disciplina inter omnes optime meritum, nempe S. Hieronymum, qui veram perfecti interpretis exhibet imaginem, utpote lingvarum, latinae et graecae peritus, hebraicae vero et chaldaicae minime rudis, in scientiis humanioribus, critica, historia, geographia, inprimis sacra, antiquitatibus iudaicis, scriptoribus profanis, Bibliorum versionibus antiquioribus et commentariis haud mediocriter et versatus et exercitatus. Exponit S. Scripturam non tantum in commentariis, sed etiam, et quidem felicius in epistolis, sectatus potissimum sensum literalem, addito haud raro allegorico. Vitio illi vertitur, quod plerumque tantum aliorum referat sententias, suas rarius proponens, et quod nimis festinus scripserit, absque matura meditatione frequenter sua effundens, ideoque non semper sibi constet. Ceterum ubi in sensu literali indagando versatur, passim regulas quasdam hermeneuticas, quas secutus est, commemorat, sed praeter commentarios alia quoque scripsit, ad interpretationem Scripturae S. facientia [29]). Huic coaevus

[29]) Huc pertinet liber *quaestionum hebraicarum in Genesim*, item de *nominibus* et *locis hebraicis;* denique Epist. ad

S. Augustinus, pro singulari solertia, et ingenii acumine, haud dubie superasset omnes, si felicibus suis dotibus iunxisset studium philologiae sacrae, quod sane facili negotio potuisset praestare, cum lingva eius vernacula fuerit punica seu phoenicia, hebraeae cognata. Sic vero dialecticus maior, quam grammaticus, S. Scripturam ita exponit, ut e verbis versionis latinae, usu loquendi Latinorum sumtis, et ad analogiam doctrinae relatis, ratiocinando sensum eruat, et quidem pro subtilitate ingenii passim feliciter. Commentariis suis inspersit digressiones dogmaticas, et has quidem saepe valde bonas, verum frequenter mysticas quoque et allegoricas. Propius ad hanc disciplinam spectant eius libri IV. de *Doctrina Christiana*, in quibus (L. III. C. 30.) non tantum *Tychonii* Donatistae regulas VII. *ad investigandam intelligentiam Scripturarum SS.* recenset, sed et suas exhibet observationes, quibus interpres adiuvari posset [30]).

Seculo quinto et sexto tria occurrunt opuscula, aliquam Hermeneuticae speciem exhibentia, nempe *Adriani isagoge in S. Scripturam*, quae praecipue in exponendis tropis et figuris Scripturarum versatur, — *Marci Aurelii Cassiodori institutiones ad divinas lectio-*


Pammachium *de optimo genere interpretandi*, coll. Epist. ad Suniam et Fretellam, tum Praefat. in XII. Prophetas, in Joel. in IV. Evang. ad Damasum ect.

[30]) Notatu dignum est, S. hunc Patrem inter alia praecipere, in interpretando fontes pro fundamento, versiones autem, inter se conferendas, pro illustratione adhibendas esse: quamvis legem hanc, utique e S. Hieronymo haustam, ipse, lingvarum originalium ignarus, sequi nequiverit. Ceterum *Instit. hermeneutico-homileticam ex August. LL. IV. de Doct. Christ. conquisitam, illustratam et ad usum accommodatam edidit J. Breithaupt.*

nes, quae, praeter nonnulla praecepta interpretandi, complectuntur historiam literariam interpretum Scripturae S. — et *Junilii episcopi Africani de partibus Literarum sacrarum libri duo*, qui observationes quasdam exegeticas et doctrinam de stilo et argumento LL. SS. offerunt.

Abhinc usque ad seculum XIV. praeter Bedam, cognomento Venerabilem, et Alcuinum, quorum prior lingvarum latinae et graecae, alter hebraeae quoque peritus, uterque vero rara scientia tam sacra quam profana illustris fuerat, paucos numerare licet, qui in disciplina hac digne colenda eminuissent; quum nempe crebrius pullulantes haereses studia ad polemicam avocarent, tum vero barbarorum incursiones diuturniorem literis squalorem inducerent. Ut adeo plerique non iam novis observationibus, propria meditatione eruendis, sed fere unice *Glossis* et *Catenis*, seu expositionibus S. Scripturae contextis e Patrum aliorumque interpretum sententiis, colligendis et describendis intenderent. Sed

Instauratis sensim Sec. XIV. et XV. literarum studiis, etiam genuinae interpretationi biblicae melior lux affulgere coepit. Quum nempe imminente ac tandem revera insecuta imperii graeci ruina, complures, doctrina insignes, viri graeci e communi patriae naufragio in Italiam delati, graecarum literarum amorem pluribus instillarent: ingenuae artes et disciplinae, ante non prorsus neglectae, laetius, faventibus summopere Romanis Pontificibus, effloruerunt. Quod ipsum etiam in studium biblicum non poterat non beneficum exerere influxum; inprimis, cum iam dudum antea Concilium Viennense a. **1311.** saluberrime statuisset, ut in academiis cathedrae lingvarum, hebrai-



cae, chaldaicae et arabicae erigerentur. Atque excitata sic eruditorum studia multum fuerant promota per inventam tardius, quod peropportune accidit, artem typographicam, utpote cuius vehiculo textus originalis utriusque Foederis, saepius editus, minori pretio acquiri poterat.

E pluribus, qui hac epocha de disciplinis biblicis insigniter meriti sunt, Sec. XIV. eminuerunt, *Nicolaus* de *Lyra*, et *Paulus Burgensis*, qui, lingvarum originalium peritia adiuti, in sensum literalem felicius penetrarunt. — Sec. XV. vero eluxit eruditione sua et ingenii acumine *Laurentius Valla*, vir omni humanioris literaturae genere probe subactus, latino, graecoque sermone cultissimus, interpretationis literalis, ex ipsis fontibus adornandae, vindex strenuus, eo inprimis hic loci laudandus, quod in conscribendis operibus exegeticis N. F. meliores codices graecos sedulo conferendo, primam in Critica sacra N. F. lucem accenderit, et, qui eum sequerentur, ad simile aliquid tentandum excitaverit. — Hoc Sec. exeunte et initio Sec. XVI. floruit *Erasmus Roterodamus*, cuius praeclara merita, ut de re literaria universa [31]), ita inprimis de N. F. Critica et Exegesi, et signanter quidem de N. F. graece castigatius edendo, latine reddendo, et annotationibus ac paraphrasibus illustrando, nemo horum iustus arbiter erit, quin agnoscat et praedicet. Eius annotationes profecto viam recte interpretandi muniverunt, in quarum velut fundamentis omnes, qui post fuere boni interpretes, aedificavere. Pari iure

---

[31]) Nemo nescit, ab Erasmo praecipue instauratas esse humaniores literas, classicos auctores, et Patres Ecclesiae graecae et latinae editos incredibili labore et fide omnino laudanda.

et paraphrases eiusdem velut opus immortale laudantur, quod neque elegantia, neque ubertate, neque subtilitate interpretandi, superatum fuit unquam. — Quod hic Novo, idem fere praestitit Veteri F. *Joannes Reuchlinus*, dum inter Christianos omnium primus Grammaticam et Lexicon hebraicum a. **1506** edidisset, ad fontes V. F. hebraicos legendos atque cognoscendos. — Denique laudandus venit summus hisce temporibus literarum fautor Cardinalis *Franciscus Ximenes* Hispaniarum Primas, qui, lingvarum, latinae, graecae, hebraicae, chaldaicae, et arabicae peritus, primus insigne et inauditum hactenus edendorum Bibliorum polyglottorum opus molitus est, quod reipsa, comparatis undequaque emendatissimis Bibliorum codicibus manuscriptis, accitis quoque viris eruditissimis, eximio exemplo, laudabili consilio[32]), **60,000** aureorum sumtibus [33]), orbi literario, in summum rei biblicae emolumentum, donavit. Prodiit opus hoc Compluti (unde nomen *Polyglottorum Complutensium)* a. 1514 —17. in sex vol. in fol. quorum alterum complectitur lexicon hebraicum et chaldaicum cum grammatica lingvae hebraeae. — Viri hi eximii, qui methodum rectiorem interpretationis sacrae aut primi monstrarunt, aut expeditiorem reddiderunt, omnes sic dictam reformationem praecesserunt; non est ergo, cur neglectus Scripturarum hac epocha Catholicis oggeratur, quos

---

[32]) Quod in prologo, seu dedicatione, Leoni X. facta, sequens statuit: „Ut originalia in promtu haberet quicunque divinarum literarum studiosus, possetque non solis rivulis esse contentus, sed ex ipso fonte salientis aquae in vitam aeternam sitim pectoris exstingvere."

[33]) Cf. Alvares Gomez, de gestis Fr. Ximenii, Compluti 1569. (hispanice: Alcala de Henares) L. II. p. 47. ss.

nonnisi tardius ardor protestantium velut e profundo excitaverit somno [34]), cum iam dudum ante turbas Lutheri praeclara omnino exstent ingenii, omnigenaeque eruditionis sacrae monumenta, quibus si deinceps perfectiora sunt addita, meminisse oportet, inventis aliquid addidisse, facilius esse, quam a primis initiis percolere disciplinam [35]).

Sec. XVI. e dissidentibus magnopere Catholicorum et protestantium studiis ingens tam in novo illo heri orto, quam in veteri Christianorum coetu enata fuit contentio, tutandi sua, et perdendi aliena: quapropter fieri non potuit, quin magna disciplinis biblicis accederent incrementa, quae adversariis in suis rerum adiunctis pro palladio fuerunt, adeoque toto animo colendae; cum enim S. Scripturam, et quidem in fontibus, unicam normam statuerent, inprimis solliciti esse debebant de universis praesidiis ac subsidiis, quae ad illius illustrationem aliquid conferrent. — Catholici quidem repudiatam a sic dictis reformatoribus traditionis auctoritatem potissimum defendendam susceperant, attamen ut simul Bibliis quoque colendis paria studia sacrarent, controversiae illae diu ferventes, et interpretationes novae, antiquis oppositae po-

---

[34]) Velut praeter alios arguit J. E. Pfeiffer, Instit. Herm. Erlang. 1771. p. 35.

[35]) Liceat referre, quae J. Fessler, Ansichten von Religion und Kirchenthum, Berlin 1805 t. 3. p. 33. notat: „Nicht Luther, sondern der unerschrockne Mönchs- und Kirchenreformator Cardinal Ximenes hat die Lehrer der Kirche zuerst wieder auf die Bibel aufmerksam, (verius aufmerksamer) und ihnen das gründliche Studium derselben durch sein Polyglottenwerk möglich gemacht. Ich darf nicht unbemerkt lassen, daß er — schon 1515 in seiner Vorrede an Leo X. behauptet hat: das Heil der Kirche fordere es, die h. Schrift in den Ursprachen bekannt zu machen.“ ect.

stularunt, inprimis vero Patres Tridentini urserunt, dum versionem latinam, cuius pretium protestantes labefactare nitebantur, examini subiiciendam, corrigendam, et, quo fieri posset, emendatius edendam decernerent; quem in finem vetustissimi codices manuscripti consulti, Patrum testimonia collata, ipsi fontes hebraici et graeci in auxilium vocati, ceteraque philologiae et critices subsidia, iam antea sensim collecta, in usum deducta fuere; sicque felici successu factum, ut deinceps studium lingvarum orientalium, omnisque philologiae sacrae disciplina magis excoleretur, varia item adminicula, Literas SS. recte exponendi, uberius perpolirentur, atque ipsa interpretatio laetius iam et firmiore pede procederet, praecipua opera abhinc literali sensui data, utpote quo solo, et defendi propria, et repelli adversariorum impetitiones poterant.

His itaque incitamentis provocati Catholici ultro quoque pergebant, non modo subsidiorum, adusque oblatorum, strenuum usum facere, sed ea amplius etiam provehere, ut adeo singulis iam seculis plures numerarentur, qui egregiis commentariis, hisque passim praemissis praeceptis quibusdam hermeneuticis, imo et aliis operibus, ad theoriam interpretationis propius spectantibus, editis inclaruissent, inter quos Sec. XVI. eminent: *Santes Pagninus*, Dominicanus, qui *Isagogen ad SS. Literas*, Lugd. 1536. — *Sixtus Senensis*, Ord. S. Franc. dein Dominic. qui *Bibliothecam Sanctam*, et *Artem interpretandi Script. S.* Ven. 1566. — praeter alia scripta, pariter utilissima, publici iuris fecere. His iungendi sunt, *Maldonatus*, *Menochius*, *Tirinus*, et *Casparus Sanctius* hispanus, omnes e Soc. Jesu, quorum postremus circa finem huius et initium

seq. Sec. floruit, a singulari sermonis elegantia celebratus merito.

Sec. XVII. prae ceteris nominandi *Augustinus Calmet*, *Bernardus Lamy*, et *Joannes Morinus*; cunctis attamen huius Sec. interpretibus in hoc disciplinarum ramo dubiam palmam reddidit *Richardus Simon*[36]), presbyter congregationis Oratorii, quamplurimis operibus historico-criticis ad utrumque F. pertinentibus, editis clarus; vir singulari acumine ingenii, et limato iudicio praeditus, magna eruditionis copia, ac multarum lingvarum notitia instructus. In diiudicandis antiquiorum sententiis, ac in proponendis placitis suis liberior quandoque erat, eapropter nonnullorum sinistra iudicia expertus; methodum tamen luculentissimam, et, ut nunc loqui amant, liberaliorem primus aperuit et commonstravit.

Sec. XVIII. cum reliquis literis illae quoque, quae ad interpretationem S. Codicis pertinent, maiori studio fuerant perpolitae, ita, ut diversae disciplinae biblicae, olim mistim propositae, nunc apte seiunctae, in certa genera cogerentur, et non tantum Scholia ac Commentarii, sed etiam Institutiones hermeneuticae, Introductiones, seu historico-criticae in Librorum SS. seu omnium seu singulorum internam et externam indolem disquisitiones, Archaeologiae biblicae, Grammaticae et Vocabularia frequentius in lucem emitterentur. Atque sic theoretica quoque praesentis disciplinae pars uberius fuit exculta cum dispersae interpretandi leges colligerentur, et, rescissis partibus heterogeneis, iustum in ordinem redigerentur. Denique

---

[36]) Quem multis encomiis ornat E. F. C. Rosenmüller l. c. (n. 22.) T. 1. p. 115. ss. 157. ss.

Effrenis novatorum libido, recentioribus temporibus invalescens [37]), susdeque vertendi omnia, et impudens studium, reiiciendi cuncta, quae praeter consvetas naturae leges gesta narrantur in SS. Literis, aut certe explicandi ea naturaliter quacunque demum ratione, quamvis insulse ac ridicule, — Catholicos animavit ac impulit, ut in naturam interpretationis diligentius indagando, leges recte interpretandi pressius definirent, dilucidius explicarent, firmius munirent; et sic ad inconcussa principia reducerent. Atque conatus hi successive quamplurima pepererunt opera hermeneutica, e quibus prae ceteris commendari merentur:

Ferd. Kopf, Tirocinium S. Sripturae. August. Vind. 1763.

Jos. Math. Engstler, Institutiones S. Scripturae Vienn. 1775.

Steph. Hayd, Introductio hermeneutica in SS. N. T. Libros. Vind. 1777.

Sebast. Seemiller Instit. ad interpretationem S. Script. Aug. Vind. 1779.

Damian. Czerny Institut. hermeneut. N. T. Brun. 1780. Multa praeclare praecipit.

Jos. Jul. Monsperger, Instit. hermeneut. V. T. PP. 2. Vind. 1776. recus. 1784.

Adam. Viser Praenotiones hermeneut. N. T. Tyrn. 1777. et Hermeneutica S. N. T. PP. 4. Bud. 1784. et Poson. 1785.

---

[37]) De historia Hermeneuticae recentissima contulisse iuvabit: J. Pletz l. c. (n. 23.) p. 67. ss. — N. Krit. Journal d. theol. Lit. v. Winer u. Engelhardt, 9. Bd. Sulzb. 1829. p. 190. ss. — Kath. Kirchenzeitg. v. Dr. Sengler, 1832. Nro. 123. coll. Katholik v. D. Weis, 59. Bd. 1836. p. 93. ss. — Zeitschr. für Philos. u. Kath. Theol. v. Achterfeldt ect. 10. Hft. Köln. 1834. p. 132. ss. — G. Billroth, Comm. zu d. Brief. Paul. an d. Cor. Leipz. 1833. praef. coll. Jenaische allg. Lit. Zeit. 1834. Nr. 21. p. 161. ss. — add. J. H. Kistemaker, Comm. de nova exegesi pr. V. T. Monast. 1806.

Christoph. Fischer Instit. hermeneut. N. T. Prag. 1788.

Gregor. Mayer Institutio interpretis Sacri, Vind. 1789, peculiares laudes vel apud exteros consecuta, cf. Eichhorn allgem. Biblioth. 5. Bd. p. 1000. ss.

(Anon.) Hermeneuticae V. T. PP. 2. Pest. 1796—7.

Joan. Jahn Enchiridion Hermeneuticae Gener. Vien. 1812. Opusculum auctore doctissimo dignissimum.

Altman. Arigler Hermeneutica bibl. gener. Vien. 1813.

Alo. Sandbichler Darstellung der Regeln einer allg. Auslegungskunst von den Büchern des A. u. N. T. Salzb. 1813.

Joan. Alber Instit. herm. S. Script. A. et N. T. Pest. 1817. et 1818.

Hermann. Janssens Hermeneutica S. seu Introd. in Libros V. et N. F. PP. 2. Leodii 1818.

J. B. Gerhauser biblische Hermeneutik. 1. Th. Einleit. in d. Schriften des A. u. N. B. — 2. Th. Grundsätze der Schriftauslegung. 2. Bd. Kempten. 1829; a singulari claritate laudatur.

Casp. Unterkircher Hermeneutica bibl. gen. Oenipont. 1831. recus. 1834. cf. recensiones: N. theol. Zeitschr. v. Jos. Pletz, 5. Jgg. 2. Bd. 1832. p. 362. ss. — Katholik v. Dr. Weis, 44. Bd. 1832. p. 247. ss. — Kath. Lit. Zeit. v. Kerz. 7. Jgg. 1832. 1. Bd. p. 250. ss. et Jgg. 1835. 2. Bd. p. 87. ss. — Sed adde quoque, quae ipse Cl. Auctor (praemature e vivis ereptus) ad recensionem, postremo loco commemoratam, illustrandam et corrigendam, in iisdem ephemer. lit. Jgg. 1836. 3. B. p. 65—96. scripsit.

Georg Riegler biblische Hermeneutik, Augsburg 1835. cf. recens. im Katholik v. Dr. Weis. 59. Bd. 1836. p. 84. ss.

Reformationis praetensae auctores, remota in interpretando Ecclesiae auctoritate, abruptaque apostolicae interpretationis, Patrum testimoniis conservatae, linea, summam cuilibet in scrutandis Scripturis relinquere libertatem; ubi tamen ex hac mox gravissimae in praecipuis doctrinae capitibus controversiae inter ipsos antesignanos enatae fuissent: ne nova moles intestinis corrueret dissidiis, etiam inviti auctoritatem,

quam paullo ante repudiarunt, sub nova forma inducere sunt coacti, sancientes: nefas esse Scripturas interpretari adversus libros symbolicos, fundamentalia novae doctrinae capita continentes. Atque huic repagulo, novi huius coetus et exordio et spiritui adverso, quo priores e protestantium numero interpretes se contineri patiebantur, debetur unice concors doctrinae professio, quae apud illos usque ad seculi proxime praeterlapsi dimidium utcunque adhuc obtinuit. Ast postmodum, a quo nonnulli vincula illa perruperunt, ceteris exemplum eorum certatim sequentibus, cum arbitrio cuiusque, seu, ut volunt, rationis unius dictamini, negotium omne relictum esset, paene iuxta illud Virgilii: „qua data porta ruunt, ac terras turbine perflant." Etenim, dum, invalescente magis in dies novandi pruritu, extenuata primum, demum reiecta divina SS. Scripturarum auctoritate, eas nihil iam a quibuslibet profanis libris differre assererent, quas proin eadem pariter ac illos methodo liberaliori exponere et examinare, imo non modo antilogiarum realium, sed et errorum obvie ac palam arguere liceat, — dum operose conquisitas relationes profanas sacris similes imo pares esse praetenderent, praetensivamque hanc affinitatem ad substantiam pariter ac modum factorum insignium extenderent, — dum effrenem criticae licentiam, mythos, philosophemata, commenta psychologica, antiquorum populorum errores, hincque effictum accommodationis principium, et recentioris philosophiae placita, aliaque huius generis plura in arenam accerserent [38]), exegesin (si tamen hoc nomine di-

[38]) Haec monent, quae interpretandi principia diligentius evolvenda, magisque firmanda veniant, ut similibus moliminibus efficaciter occurratur.

gnam) pepererunt effrenis licentiae, prodigiis, vaticiniis, omnique positivae doctrinae infestam, quae successive, quoniam nempe, initio semel posito, latius grassatur libertas, et saepe disciputi praevertere magistros ac post se relinquere ambiunt gaudentque, — duo velut suprema obtulit hermeneutica principia, nempe in doctrina rationalismum, in factis vero naturalismum [39]). — Asserta haec exemplis comprobare, minime esset difficile, nisi res ipsa clare loqueretur; alioquin etiam operum dogmaticorum, a protestantibus hac aetate editorum, spiritus simul exegeseos quoque, utpote cui tota superstructa sunt, spiritum sufficienter declarat. Licet ceterum sint inter illos non pauci, qui meliora principia et ipsi sequuntur et aliis strenue commendant, laude proin iustissima minime fraudandi [40]).

Ceterum cum protestantes inde a primis sectae suae incunabulis studia sua fere unice provehendae Bibliorum interpretationi dicassent, plurimi illorum non tantum Commentariis editis inclaruerunt [41]), sed et theoreticam huius disciplinae partem magna alacritate excolendam sumserunt, et ex operibus quidem huc propius spectantibus inprimis notari merentur:

Math. Flacii Clavis scripturae S. Basil. 1567. usque ad a. 1719. saep. recus. Pars prior, philologica est, sed posterior varios exhibet tractatus ad Herm. S. pertinentes.

---

[39]) Seu, iuxta priorem, nullam in Scripturis admittendam esse doctrinam, quam ratio humana non perspiciat, — iuxta posteriorem vero nil esse probandum in factis, quod a consvetis naturae legibus recedit.

[40]) Quales prae ceteris laudandi sunt: J. A. Dathe, G. Ch. Storr, J. F. Flatt, F. G. Süskind, H. A. Schott, E. W. Hengstenberg, J. E. Osiander. ect.

[41]) Quorum praecipuos enumeratos reperies infra §. 73.

Volfg. Franzii, Tractatus theol. de interpretatione SS. Lit. Vitenberg. 1619. ed. 5. 1708.

Sal. Glassii Philologia Sacra, Jen. 1623. — his temporibus accommodata a J. A. Dathio et G. L. Bauero, Lips. 1776 — 1797. opus lectu utile.

Joan. Jac. Rambachii, Institut. Hermen. S. Jen. 1723. usque ad a. 1764. octies recus. Egregias interpretandi regulas observationibus potissimum dogmatice illustrat.

Joan. Turretini de S. script. interpretatione, Traj. 1728. et cur. Teller. 1776.

Christoph. Wolle Hermeneutica N. F. Lips. 1736.

Dan. Wyttenbach Elementa Hermen. S. Marb. 1760.

Joan. Aug. Ernesti Institutio Interpretis N. T. Lips. 1761. ed. 5. cur. Ammon 1809 [42]).

Joan. Sal. Semler Apparatus ad liberalem N. T. — et V. T. interpretationem Hal. 1767. et 1773.

Joach. Pfeiffer Instit. Herm. S. Erlang. 1771.

Georg. Laur. Bauer, Hermeneutica S. V. T. Lips. 1797. — et Entwurf einer Hermeneutik des A. u. N. T. Leipz. 1799.

Sam. Frid. Nath. Mori Hermeneutica N. T. ed. H. C. A. Eichstädt. 2. Vol. Lips. 1797 — 1802. cf. recens. im n. theo. Journal. v. Gabler, Jgg. 1800. 17. B. p. 443. ss.

Gottl. Wilh. Meyer Versuch einer Hermeneutik des A. T. 2. Th. Lübeck 1799 — 1800. cf. recens. im n. th. Jour. v. Gabler, 11. Bd. 1803. p. 248. ss. et 15. Bd. Jgg. 1800. p. 46. ss.

Georg. Friedr. Seiler bibl. Hermeneutik des A. u. N. T. Erlang. 1800.

Chr. Dan. Beck Monogram. Hermeneut. N. F. P. I. Herm. N. F. universa. Lips. 1803.

Karl. Gottl. Bretschneider historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Leipz. 1806.

Karl. Aug. Keil Lehrb. der Herm. des N. T. Leipz. 1810. — latine edit. Chr. Aug. Emmerling Lips. 1811.

---

42) Laudes praeclari huius operis ingenue et vere adumbratas vid. in Annalen der Literat. u. Kunst des In- u. Auslandes. Jahr. 1810. 3. Bd. Wien. p. 206. — A. Arigler Herm. bibl. gen. 1813. p. 45. s. S. F. Mori Herm. N. T. ed. Eichstädt, V. I. p. XXXII. ss.

Joh. Jak. Griesbach Vorles. üb. d. Herm. des N. T. herausg. v. J. C. S. Steiner. Nürnb. 1815. cf. recens. im Krit. Journ. der theol. Lit. v. Bertholdt 5. B. 1816. p. 324. ss.

D. Stark Beiträge z. Vervollk. der Herm. insbes. des N. T. Jen. 1817.

Gottl. Phil. Chr. Kaiser Grundriß eines Systems der neutestamentl. Herm. Erlang. 1817. cf. rec. Jen. Lit-Zeitg. 1818. Nr. 5. — Theol. Annalen 1818. p. 1002. ss. — Kr. Jour. v. Bertholdt 9. B. 1819. p. 284. ss.

Friedr. Lücke Grundriß der neutest. Herm. Gött. 1817. cf. rec. Hall. Lit. Zeitg. 1817. Nr. 200. ss. Nr. 295. s. — Jen. Lit-Zeit. 1818. Nr. 4. ss. — Theol. Annalen 1818. p. 1002. ss. — Kr. Jour. v. Bertholdt 6. Bd. 1817. p. 415. ss.

J. Chr. K. Döpke, Herm. der neutest. Schriftsteller. 2. Th. Leipz. 1829.

Liceat igitur post tot tantorumque virorum egregios labores aliquid in tradendis praeceptis hermeneuticis tentare. Quoniam vero Hermeneuticae scopus est, eruere et explicare sensum, prius opportune exponitur

---

CAPUT II.

SENSUS, EIUSQUE SPECIES.

---

§. 8.

Notio significationis et sensus.

Significatio est notio vocibus in se spectatis subiecta. Sensus est notio vocum, seu singularum seu plurium, ab auctore spectata, adeoque determinatus animi conceptus, quem loquens vel scribens vocibus expressit, et harum medio in auditoribus vel lectoribus excitare

voluit. Atque sensus hic, ex ipsa litera, secundum communem loquendi usum, logicas sermonis leges, et adiuncta historica, eruendus, dicitur grammaticus, id est, literalis, plenius, grammatico-logico-historicus [43]), unde interpretatio, pariter grammatico-logico-historica enascitur. E data significationis et sensus notione duo, velut corollaria, fluunt, nempe

§. 9.

a). Significatio differt a sensu.

Etenim 1. Significationes unius eiusdemque vocis etsi non semper, saepe tamen plures sunt; sensus vero semper est unica quaedam et certa notio ab auctore certo loco spectata.

2. Significatio semper immediate e verbis, sensus vero etiam e rebus, per verba designatis, cognoscitur; e. g. dum Christus lux dicitur; vel dum Joannes Bapt. Luc. III. 9. dicit: „Jam securis ad radicem arborum posita est". ect.

3. Oratio, pleno manente sensu, quandoque nonnulla relinquit cogitatione supplenda, dum nempe ver-

[43]) Scilicet: *grammaticus* (a γραμμα scriptum, litera), quia literae velut alligatus est, et per grammaticos ope grammaticarum, vocabulariorum ect. exhibetur et explicatur, — *logicus*, quia per logicas sermonis leges e vocum significationibus, frequenter pluribus, certa quovis loco figitur et determinatur, quas proin, velut prudens auctor secutus esse censetur, ita et interpres prae oculis habere tenetur, — *historicus*, quoniam in sensu plene eruendo, omnia auctoris, primorum lectorum, aetatis, ect. adiuncta historica in censum vocanda sunt, sed alioquin ipse quoque sensus, sermone expressus, res facti est, pariter; ac usus loquendi, utpote aeque in facto positus, ceu quid historici, historice investigandus est.

ba per figuram ellipsis exmittuntur [44]), itaque sensus adesse potest, quin adsint verba; significationes autem ibi nunquam praesto habentur, ubi verba non adsunt.

4. Significationes nonnunquam vagae sunt, et cogitatis hominum, varie cultorum, exprimendis inserviunt; ast sensus semper est certa notio, aut certus conceptus certi cuiusdam subiecti, in certo culturae gradu constituti, ita, ut pro eo, rite cognito, notio nec quoad ambitum, nec quoad gradum perfectionis vaga esse possit; e. g. vox *Deus* exprimit quoslibet hominum quorumvis, (ethnici, Muhammedani, Judaei, Christiani) de Ente supremo conceptus, ut adeo significatio eius vaga sit; sed aliud dicendum de sensu ciusdem, si spectetur prolata a Christiano, vel ab ethnico: quum conceptus Christiani de Deo perfectior et sublimior sit conceptu ethnici [45]).

Fieri itaque potest, ut quis significationes singularum vocum dictionis cuiusdam intelligat, quin sensum assequatur, id quod in vertendo, et in vita communi quoque frequenter evenit; unde patet, muneri suo minime satisfecisse censendum esse interpretem, qui unice docet, quae voci cuivis significatio respondeat, quum ipsi eo enitendum sit, ut sensum rite eruat et explicet. Tum

---

[44]) Exempla varia adfert G. B. Winer, Grammatik des neutest. Sprachidioms, ed. 3. Lips. 1830. p. 466. ss. — et J. C. G. Alt, Grammatica graec. N. T. Hal. 1829. p. 244. ss.

[45]) Ita etiam ambigua significatio vocis *Paradisus* determinatur, si spectetur adhibita vel a Muhammedano, qui illum pro loco deliciarum sensualium habet, — vel vero a Christiano, qui illum e verbis Christi, latroni converso paradisum promittentis, metitur.

§. 10.

b). Sensus literalis unicus ab auctore immediate [46]) intentus.

Voces permultae plures quidem admittunt significationes, loquens attamen aut scribens nonnisi unicam cuilibet voci subiicit notionem, quae per sermonis leges, variaque adiuncta determinatur. Postulat id ipse finis humani sermonis, qui in eo situs est, ut sensa et cogitata nostra cum aliis communicemus, et eadem sensa ac cogitata in aliis, quibus loquimur, aut scribimus excitemus. Qui igitur hunc finem assequi vult et ab aliis intelligi, debet, si modo serio agat, absintque ioci et doli [47]), — verbis suis unum certum et determinatum conceptum iungere et intendere. Et revera omnis prudens sedulo cavet, ne seu erronee, seu imperfecte intelligatur; alioquin verborum ambiguitas, ut recte docent dialectici, vitium est sermonis, quo fit, ut lector vel auditor de vero sensu reddatur incertus, — ex adverso autem nonnisi ille sermo perfectus habetur, qui certum ac determinatum fundit sensum. His suffragatur consensus interpretum, qui eo animo ad interpretandum accedunt, ut sensum verum, ab auctore intentum, et inveniant ipsi, et tradant

[46]) Nam praeter immediatum, dari in Bibliis etiam sensum mediatum, mox §. 12. dicetur.

[47]) Quodsi enim quis ingenio ludat et ex instituto ambigue loquatur aut scribat, — si consulto figuras sectetur, — si latere velit in aenigmate, aut etiam fallere, ut eligat studiose verba, quae alter possit vertere, quocunque modo ipsi libuerit, quin sensum certo definire valeat, — eum intelligi noluisse dicendum est. Cum eiusmodi autem sermonis interpretatione Hermeneuticae nihil negotii esse potest. Interpretari enim est efficere, ut auctor ab aliis intelligatur; quomodo autem id efficiat, ubi auctor ipse nolebat intelligi.

aliis; hinc ubi plures se offerre videntur sensus, atque diversos interpretes diversa sentire deprehendunt: non plures adoptant sensus, sed porro inquirunt, quem ex his intenderit auctor, facto suo ostendentes, unicum esse posse ab auctore immediate intentum.

Haec attamen non prohibent, quominus in nonnullis vaticiniis duplex sensus literalis admittatur, nempe *subiectivus*, qui menti Prophetae obversabatur, et *obiectivus*, qui a Deo revelante intendebatur [48]).

§. 11.

Divisio sensus.

Sensus dividitur in verbalem seu immediatum, et realem seu mediatum: ille, stricte literalis dictus, per ipsas vocum significationes proxime indicatur; si vero res, vocibus expressa, alterius porro rei est signum vel symbolum, haec significatio, quae rei est, non verborum, dicitur sensus realis vel mediatus, qui alias mysticus, symbolicus vel typicus appellatur [49]).

---

48) Sed de hoc discrimine ex professo agendum in Introd. in LL. SS. V. F. itaque cf. Jahn l. c. (n. 18.) 2. Th. p. 372 — 7. — Ackermann (ibid.) p. 223 — 5. — Item G. F. Seiler, Herm. Erlang. 1800. §. 195 — 9. p. 225 — 33. — Theile l. c. (n. 3.) p. 350. ss.

49) *Mysticus* a *μυω claudo*, unde *μυστηριον arcanum*, et *μυστικος arcanus*, *secretus*, *occultus*; *symbolicus* a *συμβολον signum*; *typicus* a *τυπος figura*; et typicus quidem strictius adhibetur de significatione rei futurae, strictissime autem de significatione rei ad Messiam vel regnum eius pertinentis. Sed, si exacte loqui velis, hanc mysticam vel symbolicam rerum significationem sensum proprie vocare non poteris, cum sensus, presse loquendo, e verbis resultet, non e rebus; quia tamen nomenclatio haec usu recepta est, claritatis caussa retinenda videtur.

Sensus itaque realis est, qui non e vocibus, sed e rebus, per voces designatis, resultat.

Sensus verbalis est vel proprius, vel improprius; prout etiam significationes vocabulorum vel propriae sunt, vel impropriae. Sunt autem significationes propriae notiones, quae primitus cum vocibus coniunctae fuerant; impropriae vero, quae vocibus, primitus ad aliam notionem indicandam destinatis, tardius demum vel necessitatis, vel naturalis nexus, vel cuiusdam similitudinis caussa, vel e delectationis ornatusve studio adiectae fuerunt [50]); e. g. dum doctor *lux* dicitur. Sensus itaque proprius est, quem verba secundum propriam, — improprius vero, quem secundum impropriam suam significationem sumta fundunt; e. g. dum Deus, hominum protector, dicitur clypeus, petra, propugnaculum, id nonnisi improprie intelligi potest, sensusque, inde resultans, improprius est [51]). — Quodsi impropriae significationes, seu tropi vel metaphorae per integram sententiam continuentur, oritur

---

[50]) Recte scribit Cicero de Oratore L. III. 18. „Modus transferendi late patet, quem necessitas genuit inopià coacta et angustiis : post autem delectatio , iucunditasque celebravit. Nam, ut vestis frigoris depellendi caussa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem; sic verbi translatio instituta est inopiae caussa, frequentata delectationis." — De variis troporum fontibus egregie disserit Ernesti l. c. (n. 8.) P. I. S. I. C. 2. §. 4 — 13. p. 32. ss.

[51]) Ad sensum improprium reduci potest sensus proverbiorum, in quibus ut plurimum est aliqua verborum translatio, ut in illo proverbio, quod Deus se aboliturum promisit Jerem. XXXI. 29. et Ezech. XVIII. 2. „Patres comederunt uvam acerbam; et dentes filiorum obstupuerunt."

allegoria [52]); e. g. Luc. III. 9. „Jam securis ad radicem". ect. Matth. V. 13. „Vos estis sal terrae; quodsi sal evanuerit", ect. 14—16. „Vos estis lux mundi", ect. Quodsi allegoria tamquam factum narretur, habetur narratio, quae fabula, in N. F. vero parabola [53]) audit, et est: narratio rei confictae, tamquam vere gestae, eo consilio proposita, ut veritas vividius proponatur, efficacius commendetur, aut defendatur.

Sensus realis seu mediatus dividitur in historicum, moralem, et propheticum, prout nempe res, verbis expressae, res, vel gestas, vel ad mores pertinentes, vel futuras respiciunt et significant. Et postremus quidem strictissime typicus dicitur, cum res vel personae in V. F. obviae Jesum Messiam, eiusque fata et beneficia portendunt, ac quasi sub involucro quodam repraesentant. — Quoniam vero nunc sensus mediatus, inprimis typicus, a multis tamquam inanis lusus ingenii exploditur [54]), iuvat nonnullis exemplis

---

[52]) αλληγορεω, i. q. αλλο αγορευω *„aliud dico, aliud verbis significo",* vel iuxta Quinctilianum Instit. Orat. L. VIII. C. VI. 44. „aliud verbis, aliud sensu ostendo."

[53]) Parabola (a παραβαλλω *„confero, comparo, assimilo,* unde παραβολη *similitudo, collatio)* iuxta Ciceronem L. I. de Inv. C. 30. (quem fere sequitur A. F. Unger de Parabolarum Jesu natura ect. Lips. 1828. p. 8—16.) est: „oratio, rem cum re ex similitudine conferens." Solet tamen, praeeunte Aristotele L. II. Rhet. C. 20. parabola a fabula discerni eo, quod in parabola ut *possibilis* tantum animo concipiatur res, quae alterius imago est, cum contra fabulae rem, tamquam certo tempore *gestam*, narrent. vid. G. C. Storr Opuscula academ. vol. I. Tub. 1796. p. 90. ss.

[54]) Praeiverat J. W. Rau, freymüthige Untersuchung über die Typologie. Erlang. 1784.

biblicis illustrare, et hac ratione simul paucis firmare assertum [55]):

§. 12.

Datur sensus mediatus.

Sensum mediatum in Bibliis dari, eo tutius defendere licet, quod in eo quaerendo ac stabiliendo interpretis cura et ingenio non opus sit, sed Scriptorum SS. ipsorum, ipsius adeo Spiritus S. sensus huius auctoris eminentissimi, ergo et interpretis optimi, indicio ac testimonio patefiat, adversus cuius admonitum profecto in hoc genere, nemo sapere voluerit. Saepius nempe in ipsa Scriptura S. sensus hic exponitur, et in specie quidem

I. Historicus, in quo symbola revocant memoriam rerum *gestarum:* sic Exod. XII. describitur institutio coenae paschalis, quae primum in Aegypto celebrata, quotannis recoli debuit in memoriam accepti ibidem a

---

[55]) Quo in negotio fere sequi iuvat, quae hanc in rem praeclare scripserant: J. Rambach l. c. (n. 8.) p. 67—82. et: de sensus myst. Criteriis. ed. 2. Jen. 1731. — S. Glassius, Philologia S. ed. G. L. Bauer, t. II. Sect. poster. Herm. S. Lips. 1797. p. 18—21. D. Czerny, Instit. Herm. N. T. Brun. 1780. L. 1. p. 130—7. — G. C. Storr, l. c. (n. 53.) p. 86—8.— Hugo Grotius Comm. in Matth. I. 22. Opp. theol. t. II. Basil. 1732. p. 11. s. — Viser l. c. (n. 8.) P. II. p. 64—9. — Dr. Theile, Christus und Philo, im n. Krit. Journal v. Winer, 9. B. 1829. p. 390. ss. — J. A. Ernesti, Opusc. theol. ed. 2. Lips. 1792. p. 476—7. — F. Ackermann l. c. (n. 17.) p. 346. 426.— F. Freindaller, Quartalschrift, 1. Jgg. 2. B. p. 266 — 91. — Olshausen, ein Wort über tieferen Schriftsinn. Königsb. 1824. et 1825. — inprimis vero J. Jahn, l. c. (n. 17.) 3. Th. p. 102 — 6. 241. et Enchir. Herm. Gen. 1812. p. 43 — 8.

Deo beneficii, cum peremtis una nocte Aegyptiorum primogenitis, primogeniti Hebraeorum incolumes mansissent. Sic cetera quoque festa in V. F. historicam quamdam habebant significationem, et rem aliquam gestam symbolice in memoriam revocabant [56]). — Sed et in N. F. coena Domini symbolum historicum est, quo cruentam Christi mortem recolimus, velut patet e verbis Christi dicentis Luc. XXII. 19. „Hoc facite in meam commemorationem"; apertius vero e dicto Pauli, quod narrationi de coenae huius institutione subiungit 1 Cor. XI. 26. „Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat."

II. Moralis, quo spectant actiones, aut ritus, qui incitamenta virtutis continent: sic Levit. XXVI. 41. Deut. X. 16. XXX. 6. commemoratur circumcisio cordis et mentis, quae circumcisione carnali significetur. — Moses Lev. I. 4. praecipiens, ut victimam offerens manum suam capiti eiusdem imponat, symbolice docuit, offerentem esse poenae obnoxium, eiusque loco substitui victimam, ut sic ritu hoc sensibili offerens retraheretur a vitiis [57]). Huc pertinent ritus lustrales, quorum ea erat indoles symbolica, ut peccati foeditatem, quae tollenda esset, oculis quasi subiicerent. — Pariter, quae in N. F. de sacramentis praecipiuntur, immediate quidem ritus sacros, reapse observandos, significant, simul tamen et symbolica horum rituum significatio, et quidem moralis exponitur: sic Rom. VI.

[56]) Cf. Jahn l. c. (n. 17.) 3. Th. p. 307. ss. — Ackermann l. ibid. c. p. 394. ss.

[57]) Plura te docebit Jahn l. nunc cit. p. 400. ss. — Ackermann p. 418. 425.

3 — 11. 1 Cor. VI. 11. Eph. V. 26. Coloss. II. 12. 1 Petr. III. 21. dicitur baptismus, per immersionem in aquam, significare non modo moralem peccatorum ablutionem, sed etiam quasi mortem et sepulturam hominis rei in aqua, — per emersionem autem ex aqua, eiusdem resurrectionem ad vitam probam, et virtutis studiosam.

III. Propheticus, quo pertinent actiones et res, quibus velut signis et symbolis eventus futuri adumbrantur; occurrunt quippe a.) narrationes Prophetarum de actionibus suis singularibus, et extra communem ordinem a se susceptis, quibus mediate res futuras, his actionibus adumbratas, significari, nemo unus negaverit; huius generis actiones referuntur: Hos. I. 2—9. Jes. XX. 1—4. Jer. XXVII. 2. 3. XXVIII. 12—14. Ezech. III. 22.— IV. 17. V. 1—4. XII. 2—16. Et postremo quidem loco, Propheta iussu Dei, populo inspectante, colligit suas sarcinas, velut alio migraturus; sub vesperam ipse pertundit parietem domus suae, et, sarcina onustus, per rimam a se factam, in caligine, velata insuper facie egreditur. Quibus in actionibus, prout ipse Propheta clare edicit, perspicua est adumbratio eorum, quae postea Zidkiae (Sedeciae), adversus Chaldaeos rebellanti, acciderant. Obsidionem enim porro amplius ferre non valens, noctu, perruptis moenibus, fugam ingressus, a Chaldaeis comprehensus, et oculorum lumine privatus, Babylonem translatus est.—In N. F. quoque Matth. XXI. 18—20. refertur, Jesum, ficui, cum fructum in ea non invenisset, maledixisse, quae etiam exaruit; iam actio haec, nisi eam sine scopo positam velis, (quod tamen in Christum non cadit, et minime quidem in facto pro-

digioso) — ulterius significavit, rempublicam Judaeorum, in qua Jesus dignos poenitentiae et probitatis fructus quaesivit et non reperit, sortem huius ficus esse subituram.

b.) Recurrunt quoque in V. F. symbola prophetica, ad Messiam, regnumque eius spectantia, seu datur sensus strictissime typicus. Quod enim hoc in genere coniiciendum providentia et sapientia divina svadent, id Auctores N. F. aperte declarant. — Scilicet aequus quisque haud difficulter largietur, Dei providentiam, quae omnia gubernat, ritus quosdam, per Mosen statutos, aliasque res in V. F. quocunque modo divinitus praeordinatas ita dirigere potuisse, imo revera direxisse, ut rerum, in N. F. futurarum imaginem exhiberent. Atque hoc eo magis probatur et confirmatur, quia per id ipsa Dei sapientia insigniter commendatur, utpote quae hac ratione Auctoribus quidem N. F. filum praebuisse videtur, quo, perfectissimam novae religionis oeconomiam exponentes, Novum Foedus Veteri quasi attexerent, — Judaeos autem, pro eorum indole, qua religioni patriae tenaciter adhaerebant, et ubique imagines sensibus subiectas quaerebant, aptissime praeparare voluit, ut novam religionem, antiqua praefiguratam, facilius amplecterentur, minusque in humili conditione, et adversis fatis Jesu Messiae offenderent, si haec in V. F. iam pridem adumbrata esse comperissent. —

Hoc argumento ipse Christus usus est, discipulos morte sua consternatos consolaturus, dum eis Luc. XXIV. 13—27. 44—46. e Mose et Prophetis ostenderet, Messiam oportuisse primum pati, et postea glorificari. Quia vero in Libris Mosis nulla fit mentio Mes-

siae patientis in sensu literali argumentum tantum e sensu mystico duci potuit, nimirum e certis symbolis, Messiae passionem prophetice adumbrantibus. Quorsum autem in specie Christus respexerit, indicat Paulus Hebr. IX. 1—14. ubi sacrificium, magno die expiationis offerri solitum, quo sangvis sacrificii per summum sacerdotem inferebatur in adytum seu Sanctissimum, de morte Christi violenta, eiusque in coelos ingressu interpretatur; ut adeo immolatio victimae illius et postmodum subsecuta ingressio summi sacerdotis in Sanctissimum cum sangvine victimae fuerit symbolum propheticum seu typus Messiae immolandi, et cum proprio sangvine in Sanctum Sanctorum coeleste ingressuri, i. e. Christi prius passuri, dein glorificandi. Pariter in eadem Ep. X. 1—10. Paulus docet, Christum sui immolatione nobis impetrasse id, quod victimae praestare non poterant. — Atque haec idea, symbolicis illis substitutionibus victimarum in locum offerentis (v. sup. II.), adumbratam fuisse veram et efficacissimam substitutionem Messiae in locum peccatorum, ac proin Christum, per mortem suam violentam, esse excellentissimam victimam, — ita pervulgata est in N. F. ut ad meras allusiones referri non possit. Sic Christus ipse in institutione S. coenae Matth. XXVI. 28. de calice, seu, de eo, quod in calice continebatur, dicit: „esse sangvinem N. F." in oppositione ad sangvinem, quo V. F. sancitum fuerat Exod. XXIV. 8. Hoc ipsum tradit etiam Paulus 1 Cor. V. 7. inquiens: „Pascha nostrum immolatus est Christus." Item Hebr. IX. 28. „Christus semel oblatus est ad multorum [58]) exhaurienda peccata." — X. 10. „Sanctifi-

[58]) i. e. *omnium*, vid. infr. not. 208.

cati sumus per oblationem corporis Jesu Christi." — 12. „Hic (Christus) unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei." — Petrus quoque 1 Ep. II. 24. aperte dicit, quod Christus „peccata nostra pertulerit in corpore suo super lignum," i. e. luerit peccatorum nostrorum poenas [59]), quod Paulus 2 Cor. V. 21. eadem imagine exprimit, dicens: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum, i. e. sacrificium pro peccatis [60]) fecit," seu, velut Ephes. V. 2. dicitur: „oblationem et hostiam Deo in odorem svavitatis." — Unde etiam Joannes Bapt. Jesum ad primum conspectum Joan. I. 29. vocavit „Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi." — E quibus satis intelligitur, quonam Christus respexerit, dum e Mose probavit, oportuisse Messiam prius pati, dein glorificari. Sed ipse

Salvator etiam in specie typos quosdam de se exposuit: sic serpentem aeneum a Mose contra morsus serpentinos erectum Num. XXI. 9. typum gessisse Messiae, in cruce exaltandi, qui a morsibus serpentis infernalis sanaret credentes, docet Joan. III. 14. dicens: „Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis." Item Jonam fuisse typum

---

[59]) *Ferre peccatum, portare iniquitatem,* significat: *luere poenam peccati,* uti patet e Lev V. 1. „Si peccaverit anima, — portabit iniquitatem suam;" coll. Lev. XIX. 7. 8. „Si quis post biduum comederit ex ea (hostia pacifica), — portabit iniquitatem suam, et peribit anima illa de populo suo." cf. XX. 17. 19. 20. — v. infr. §. 32. nr. 4.

[60]) Id enim h. l. significat *ἁμαρτια* חַטָּאָה, vid. inf. not. 208. et Schleusner l. c. (n. 1.) p. 139. s. h. v.

Messiae, per triduum mortui et postea gloriose redivivi, tradit Matth. XII. 40. XVI. 4. — Pariter Paulus, praeter loc. cit. Hebr. V. 6. ss. VII. 1. ss. Melchisedecum sistit ceu typum Messiae; — denique Joannes, agnum paschalem fuisse typum Messiae, docet, dum XIX. 36. scribit, Christi crura non fuisse fracta, „Ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo." Exod. XII. 46. [61]).

Ceterum sensus mediatus non temere fingendus, sed firmis rationum momentis evincendus est, ne ad arbitrium confictus potius, quam ad Spiritus S. consilium referendus videatur; itaque observanda veniunt certa

---

[61]) Exempla plura exhibet Glassius l. c. (n. 55.) p. 19. s. Universim, omnis Mosaicus apparatus portendit aliquid futurum, simile quidem, longe tamen praestantius; prout id Prophetae iam olim perspexerant, dum hoc futurum, multo felicius, aevum, quo Dei cognitio et religionis constitutio perfectior introducenda, et ad omnes gentes propaganda foret, saepe vivacissimis depingerent coloribus. Sic e. g. templi atrium cum altari victimarum exhibebat quidem veram indolem cultus Mosaici; sed Sanctuarii conclave primum, *Sanctum*, cum vino et pane propositionis, adumbrabat Ecclesiam Christianam, in qua non iam victimae concremarentur, sed tantum panis et vinum Deo offerretur, — signanter candelabrum aureum, quod Sanctuarium collustravit, clariorem in N. F. rerum religionis cognitionem indicabat, quapropter occasione mortis Jesu velum Sanctuarii scissum fuerat, quia Sanctuarium, huc adusque laicis occlusum, abhinc patere debebat; — adytum vero, seu Sanctissimum erat imago glorificatae Ecclesiae in altero seculo; velut in Ep. ad Heb. indicatur. cf. Jahn. I. c. (n. 17.) 3. Th. p. 241.

§. 13.

Criteria sensus mediati.

Sensus mediatus, pro ipsa sua indole, nonnisi admittendus est, ubi ipse se indubitatis offert indiciis, quae sequentia sunt:

1. Si ipse sacer Auctor sensum mediatum explicet.

2. Si usus, apud illam nationem receptus, significationem symboli declaret: velut dum Jesaias XX. 1—4. per triennium nudus, i. e. solo Ihhram arabico cinctus, et discalceatus incedebat, — vel dum Jeremias XXVII. 2. 3. catenas collo suo imponebat, et vicinis regibus mittebat, — per usum receptum, adumbrata fuit imminens subiugatio, captivitas et servitus.

3. Si actio quaedam a viro gravi et prudente ponatur, aut poni iubeatur, quae, nisi ulterius quidpiam significaret, inanis, omnique consilio destituta foret: uti factum Christi, ficulneae maledicentis [62]).

4. In symbolis propheticis, ad N. F. spectantibus, certitudo habetur, si signum aut factum quodpiam, in V. F. occurrens, a S. quopiam Scriptore N. F. explicationem nanciscatur. Fluit regula haec ex ipsa rei natura: cum enim symbola talia arcano Dei consilio fuerint instituta, utique nemo, nisi cui Deus revelavit, ea certo intelligere potest; quoniam autem similia per Scriptores V. F. non fuerant explicita, eis

---

[62]) Fieri tamen potest, ut in rebus vetustioribus fines hi, quorum significandorum caussa res illae aut actiones positae fuerunt, nos lateant, qui coaevis erant cogniti; quarum proin genuina significatio vetustate perierit, ita, ut nil praeter coniecturam relictum sit, prouti plurium rituum Mosaicorum significatio antiquitatis tenebris sepulta est.

lux unice e N. F. accedere potest. — Cavendum tamen, ne nuda allusio pro expressa symboli declaratione habeatur [63]).

[63]) Enumerata criteria clare docent, a genuino sensu et interpretatione mystica probe distingvendam esse eam SS. Literas exponendi rationem, qua effata sacra, saepe tantum pertenui similitudine semet offerente, ad illustrandam aliquam doctrinam, inprimis moralem, citra intentionem SS. Auctorum accommodantur et applicantur. Genus isthoc allegoricum, in synagoga natum, subinde ad antiquos Christianos, utpote primis temporibus praecipue magistris origine Judaeis usos, fluxit, plerumque in exponendis pericopis historicis frequentatum; idque adjunctis, in quibus positi fuerant, omnino convenienter. Scilicet in Bibliis, si argumentum eorum a potiori spectetur, proponuntur a) praecepta moralia; b) sermones dogmatici, quibus accensere licet etiam vaticinia; c) facta. Priora duo genera mysticis coloribus exornare, haud necesse erat; factis vero enarrandis moralem quoque applicationem et usum addere, variis de caussis, adnisi sunt. Nimirum a) sensum literalem nonnunquam, quacunque demum de caussa, haud assecuti (id tamen illis conformiter sumendum est, quae infra §. 61. nr. 4. §. 64. dicuntur), allegorias necessario consectabantur; quod de se iuvene fatetur S. Hieronymus, Praef. ad Abdiam inquiens: „Allegorice interpretatus sum Abdiam, cuius historiam nesciebam," eiusque inscitiae veniam rogat. — b) Quia non raro, idque merito, sensum literalem clarum atque manifestum existimarunt adeo, ut superfluum ducerent, ei pluribus exponendo inhaerere; quare scopo, sermonibus et institutionibus popularibus praefixo, conformiter, doctrinam moralem inde deducere conabantur; praecipue cum adverterent, Apostolorum, signanter S. Pauli, hac in re vestigia minime deesse. — c) Contulit usus, id temporis obtinens, Scripturam a Genesi ad Apocalypsim usque exponendi publice in Ecclesiis. Cum nempe Libri V. F. plures, praesertim historici, si sensu solum literali exponerentur, sterilem saepe materiam viderentur praebere dicentibus ad concionem, factum est, ut ad allegorias

confugerent, idque eo pronius, quo magis usu compertum habebant, parabolarum, in utroque F. obviarum, sensum hac nonnisi via erui posse. — Denique d) mysticos sales aspergere solebant eloquiis sacris, quia sic mos sic gustus aetatis illius ferebat non in sacris modo, sed etiam profanis disciplinis. — Prout vero ex his liquet, Patres multimode excusabiles imo laudandos esse, utpote bono e fine hoc medio usos, nempe ad instruendos, aedificandos, delectandosque auditores vel lectores: ita simul patet, hanc SS. Literas exponendi methodum interpretationis genuinae nomine non esse compellandam, qua proin orator sacer merito quidem, minime vero interpres qua talis, cuius est, sensum literalem quaerere, uti possit. cf. Czerny l. c. (n. 55.) L. 2. p. 135—8. Glassius l. c. (n. 55.) p. 29. ss. — Morus l. c. (n. 42.) V. 2. p. 205. ss.

HERMENEUTICAE BIBLICAE GENERALIS

SECTIO I.

DE SENSU INVENIENDO.

PARS I.

HERMENEUTICA RATIONALIS.

---

§. 14.

Principia generalia et divisio Hermeneuticae Rationalis.

Ut sensus, quem auctor verbis suis iunxerat, detegatur, 1. videndum, quid verba auctoris singula, in se spectata, significent; 2. e legibus loquendi definiendum, quam in specie e notionibus vocum, fors pluribus, auctor spectaverit; 3. determinanda venit notionis vel rei, verbis designatae indoles universa; — id quod triplici investigatione praestatur, nempe *philologica, logica,* et *historica;* quarum prior sistit significationes, per communem loquendi usum, voci-

bus iunctas, quas proin auctor quoque universim spectare debuerit; altera secundum logicas sermonis leges ex illis vocum notionibus, plerumque pluribus, unam certam ab auctore reipsa, et quidem proprie vel improprie, latius vel strictius, absolute vel relative ect. spectatam pandit; denique tertia ex historicis aetatis, personarum, locorum, rerum, culturae ect. adiunctis rem ipsam, ab auctore designatam, eiusque qualitatem, aut notionis maiorem minoremve perfectionem, intensionem, ceteramque indolem definit. Seu paucis: prima notionem, quam auctor e pluribus spectare potuerit (significationem), — secunda notionem, quam reipsa spectaverit (sensum), — tertia notionis huius indolem docet. Primum assequi poteris, si modo auctoris lingvam, huiusque usum loquendi cognitum habueris, — alterum requirit cognitionem adiunctorum sermonis logicorum, uti contextus orationis, occasionis dicendi, scopi, substratae materiae ect. — ut vero tertium rite intelligas, sicque mentem auctoris antiqui plene assequaris, ingenium cunctis historici generis disciplinis subactum adferas, oportet. — Ex his una intelligitur, pro triplici illa sensus investigatione, partem hanc commode *in tria capita dividi.* Itaque

---

CAPUT I.

INVESTIGATIO SENSUS PHILOLOGICA.

§. 15.

Eius notio et necessitas.

Philologice sensum investigare, est videre, quid verba auctoris singula, in se spectata, significent, id quod ex usu loquendi discere licet, ut adeo philologica sensus investigatio consistat in examinando usu loquendi; hinc agendum de usu loquendi, inprimis biblico: exponenda scilicet eius notio et vis probandi, tum vero enumeranda adiuncta, eum figentia, et fontes eiusdem cognoscendi; quae omnia principale interpretis munus constituunt: qui enim scire et definire cupit, quam in specie notionem auctor cum verbis suis singulis *revera* coniunxerit? ei prius sciendum, quam e pluribus, fors uni eidemque vocabulo respondentibus, spectare *potuerit*, adeoque, quae notiones vi usus communis vocibus, in se spectatis, conveniant?

§. 16.

Usus loquendi notio et in interpretando momentum.

Intellectuale commercium, quo homines mentem animique sensa cum aliis communicare cupiunt, hac in terra locum unice habere potest per signa externa, per sonos, aut characteres in scriptum coniectos, aut quacunque ratione signatos. Hunc in finem praecipue adhibita sunt vocabula, quibus homines tam obiecta

externa, quam interna cogitata designabant; hinc igitur enatus est nexus quidam inter vocabula et notiones rerum aut cogitationum, quae vocabulis illis significabantur. Nexus hic in prima origine erat quidem arbitrarius, prout ipsa quoque vocabula signa sunt rerum aut cogitatuum non naturalia aut necessaria [64]), sed arbitraria, ab arbitrio enim primorum lingvae cuiusque auctorum pendebat, res et cogitata his vel aliis vocabulis denotare; at vero ubi vocabula illa, semel recepta, usu ipso invalescere, et ad certas notiones designandas usurpari coeperunt, — atque homines medio eorundem horum vocabulorum mentem aliis communicare, et se invicem intelligere voluerunt: cum iisdem vocabulis easdem perpetuo notiones coniungere debebant; sicque factum est, ut nexus ille inter vocabula et notiones, origine arbitrarius, iterum iterumque repetitus, in usum et consvetudinem abiret, atque saltem hypothetice necessarius evaderet ita, ut nemini, quisquis intelligi et intelligere voluisset, integrum esset, alias coniungere notiones cum vocabulis, quam usus probavisset. [65]) — Et hic ipse constans et firmus nexus inter vocabula et notiones dicitur usus loquendi, qui alias definitur: consvetudo, certam notionem certo vocabulo exprimendi.

[64]) Quodsi vocabula omnia essent signa naturalia notionum, unica tantum foret lingva, prout una est hominum natura; quaedam tamen recte censentur naturalia, uti exclamationes ah! oh! quae naturalem habere videntur cum sensu respondente coniunctionem, unde fit, ut sponte in eas erumpamus. His accedunt vocabula ονοματοπεποιημενα, quae sono rem ipsam, ejusque naturam imitantur; e. g. latina: *murmur, sibillus, susurrus, tonitru.*

[65]) Qui tardius notiones novas novis designavit vocabulis, haec explicando vel circumscribendo determinare debebat.

Quemadmodum vero usus loquendi cuilibet in loquendo ac scribendo supremae legis instar esse debet, si finem humani sermonis, ut nempe intelligatur, assequi cupit: ita interpres in eruendo sensu ante omnia ad eundem usum loquendi recurrere debet, is enim docet, quam significationem verba hoc illove tempore aut loco habuerint; ut adeo usus loquendi primorum lectorum et ipsius auctoris primum sit Hermeneuticae principium; et licet solus non sufficiat ad sensum detegendum, cum multa vocabula sint polysema i. e. plurium significationum, praestat tamen negativum criterium sensus falsi, vi cuius ille nequit esse verus sensus, qui usui loquendi adversatur. Nam Scriptores Sacri non minus ac profani, lingva hominum suae aetatis scribebant, et ab hominibus coaevis intelligi volebant, quare leges loquendi eo tempore vigentes observare, et vocibus eas notiones nectere debebant, quas usus illius aetatis et gentis probaverat.

§. 17.
Adiuncta, quibus usus loquendi determinatur.

Usus loquendi pro variis adiunctis, quae in modum usurpandorum vocabulorum influunt, variat, quum eidem saepe vocabulo alia alio tempore et loco, alia in vita communi, alia in philosophorum scholis, alia in reipublicae, alia in ecclesiae constitutione significatio subiiciatur; quapropter interpres, ut usum loquendi auctoris sui felici successu consulat, nunquam non prae oculis habere debet adiuncta, quibus definitur, unaque cavere, ne vocibus seu plus seu minus substernat, quam usus loquendi, praevie rite determinatus, exigat. Sunt vero adiuncta haec sequentia:

1. *Tempus*, pro cuius diversitate usus loquendi vel antiquus est, vel recens. Omnis enim lingva lapsu temporis quasdam mutationes subit; aliae vocum notiones successu temporis intercidunt, aliae novae nascuntur, sicque vocabula quaepiam diverso tempore diverso significatu usurpantur [66]). Sic e. g. vox *pascere*, *pastor*, in V. F. de regibus; in N. F. autem de iis adhibetur, qui docerent, regerent et gubernarent fideles. Ita porro נְתוּנִים *dati*, *donati*, Mosi sunt Levitae, (Num. III. 9. VIII. 17. 19.); ast post exilium hoc nomine sub forma נְתִינִים veniunt mancipia templo donata, (Ezr. II. 43—59. 70. VIII. 17—21. ect).

2. *Regio* et *locus*; nam una eademque lingva in diversis regionibus magis minusve variat, ita, ut iisdem vocibus pro diversitate regionum quandoque diversae notiones tribuantur. Sic חַרְטֻמִּים Aegyptiis, ut LXX. testantur, erant *επαοιδοι*, *incantatores* (Gen. XLI. 8. 24. Ex. VII. 11. 22.); ast Daniel, in Babylonia degens (I. 20. II. 2.), vocem hanc pro persico *chardamand*, *sapiens*, de eruditis regis Nebucadnezaris usurpat.

3. *Religio*; nam ubi de religione sermo est, vocabula saepe aliam habent vim, quam in vita communi. Sic עָשָׂה denotat, *fecit*; sed, ubi de cultu divino sumitur, *sacrificavit*; prout et apud graecos *ποιεω*, *ῥεζω*, *facio*, pro *θυω*, *sacrifico* ponitur [67]). Ita etiam *para-*

66) Velut canit Horatius de arte poetica v. 70—72.
„Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi."

67) Ipsi Romani quoque dicebant *facere*, pro *sacrificare*; eg. Virgil. Bucol. Eclog. III. v. 77.
„Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito."

disus, proprie *hortus*, *vivarium*, in N. F. pro loco coelestium gaudiorum sumitur.

4. *Disciplinae* variae [68]), quibus nunquam desunt peculiares vocum notiones; ita ut vocabulum idem vel phrasis aliud denotet, ubi e disciplina scholae, et aliud, ubi e consvetudine vitae communis sumitur. Hinc oritur usus loquendi *philosophicus* et *popularis*. Exemplo sunt termini technici.

5. *Reipublicae civilis et ecclesiasticae forma*, pro cuius diversa ratione diversae vocum notiones enascuntur; unde recte distingvitur usus loquendi *vitae privatae*, et *vitae publicae*, sive sacra sive politica spectetur. Sic *fornicari*, *adulterari*, vi theocraticae regiminis formae in V. F. significat a Jehova (Deo vero, simulque Hebraeorum rege) *deficere*, *idola colere*. Pariter gradationem, quae habetur Matth. V. 22. „Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, raka (sputabilis): reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis;" — non intelliges, nisi memineris, aetate Christi apud Hebraeos diversa tribunalia iudicialia viguisse, quorum inferiora negotia levioris momenti dirimebant, supremum vero, synedrium dictum, de rebus arduis iudicabat, et extrema quoque supplicia reis dictabat, quamvis ea citra assensum procuratoris Romani executioni dare, integrum non fuisset.

6. *Mores*, *ritus*, *consvetudines*, ceteraque *historica*, quae nomine *antiquitatum* veniunt, ex his enim

---

[68]) Addere fors licet *sectas* varias, quae nonnunquam vocibus significationem tribuunt, a communi divergentem; sic liber αποκρυφος (*absconditus*, a publico usu remotus), Catholicis est *spurius*, *suppositus*, sed protestantibus talis, qui a nobis deutero-canonicus dicitur.

si metiaris dictiones biblicas, longe alium frequenter fundent sensum, quam e nostris moribus consideratae. Huc inprimis spectant tropi orientales, a vita nomadica et re pecuaria depromti, quos nemo rite intelligere et digne aestimare noverit, nisi orientalium mores, et de his rebus iudicia habuerit perspecta.

7. *Dictio* seu *stilus auctoris;* itaque sedulo disquirat interpres, an in sermone prosaico, an in poetico exponendo versetur? nam non temere inter usum loquendi *prosaicum* et *poeticum* distingvi solet. — Insuper, qui scribunt stilo eleganti, sublimi, acuto, velut plerique Prophetae et poetae hebraei, saepe rariores usurpant vocum notiones, quas stilus planus non fert; igitur et hoc discrimen serio advertendum est.

8. Generatim *natio*, e qua quis scriptor oriundus est, et *modus cogitandi*, nationi illi usitatus, ac proin diligenter respiciendus; quaelibet enim natio suum habet cogitandi modum de rebus sacris pariter ac ceteris, qui varie afficit lingvam, et diversum reddit usum loquendi. —In specie vero *Scriptoris ipsius cultura* et *ingenium*. Nam fere quilibet auctor utitur nonnullis vocibus, vocumque notionibus, sibi tantum propriis, ipsamque lingvam nonnihil variat, prout plus minusve excultus, atque singulari forte ingenio et indole praeditus est; unde historia auctoris, deficientibus aliis monumentis ex ipsius scriptis eruenda, interpreti cognita sit, oportet, conetur que scriptorem quemque ex ipso interpretari. Sic λογος, quo significatu a Joanne adhibetur, nempe de Jesu, apud reliquos Scriptores SS. non occurrit.

9. Denique *Argumentum*, quod, si sit singulare aut novum, etiam terminos quosdam et phrases pe-

culiares, et voces novo, aut certe a communi plus minus abludente, significatu sumendas deposcit.

Adiuncta haec, quae simul sumta constituunt *characterem orationis* vel *scriptoris*, si sermoni biblico applicentur, enascitur peculiaris

§. 18.

Usus loquendi biblicus.

Hic, velut praemissa in genere loquuntur, inprimis determinatur: lingvarum biblicarum antiquitate et singulari conformatione [69]), rerum, uno nomine archaeologicarum, quae attinguntur, peculiari indole, stilo iam simplici et plano, (uti in partibus historicis et epistolis), iam eleganti et poetico (velut in canticis, Psalmis, nonnullis vaticiniis, libris Salomonis et Job), Scriptorum SS. diverso ingenio, praecipue vero materiae sublimitate et partim novitate, partim maiori perfectione. Et e postremis quidem his proprietatibus explicandae veniunt diversae illae significationes, quae signanter in N. F. vocibus graecis praeter usum loquendi, ceteris scriptoribus graecis communem, tribuuntur. Sic e. g. *παλιγγενεσια regeneratio*, graecis est insignis, pristini alicuius rei status, mutatio in melius, uti quum terra tempore veris reviviscit, respublica in meliorem statum restituitur; at in N. F. denotat resurrectionem a mortuis Matth. XIX. 28. [70]), item integram mutationem hominis moralem, ritu baptismi adumbratam, quem Jesus ad dignitatem Sacramenti

[69]) E professo de lingvis biblicis agendum in Introductione in LL. SS. itaque cf. opp. sup. cit. not. 18.

[70]) „Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos ect."

elevavit, Joan. III. 5. Tit. III. 5. [71]). — Ita etiam λογος *verbum*, praeter alia significat, verbum hypostaticum, aeternum, Filium Dei. Huc porro pertinent: δικαιοσυνη, δυναμις, ζωη, μετανοια, ὁδος, παρακλητος, φῶς, πνευμα και σαρξ [72]). Sed usus loquendi biblicus etiam intuitu particularum notandus est; sic e. g. licet praepositio επι non tantum *in*, *super*, sed etiam *ad*, *iuxta*, significet, attamen, quod in phrasi επι της θαλασσης, non *iuxta*, sed *in*, *super* denotet, inde indubium evadit, quod in simili nexu *iuxta* in N. F. perpetuo praepositione παρα exprimatur [73]). Atque nonnisi hac ratione, scilicet rite examinato ac stabilito *biblico* usu loquendi, fiet, quod inprimis hodie summopere optandum est, ut interpres efficacem obicem opponere queat iis, qui, doctrinam biblicam positivo ac divino suo charactere exutam cupientes, ubique nonnisi vulgares, saepe operosius quaesitas sectantur notiones, neglectis aliis, quas perpetuus licet usus loquendi biblicus, ceteris quoque interpretandi adiumentis suffragantibus, offert [74]). — Ex his gravis fluit regula, vi cuius inter-

[71]) „Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei." — „Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus S."

[72]) Alia exempla offert S. Hayd Introd. Herm. in N. T. Vind. 1777. p. 186. ss.

[73]) Velut Matth. IV. 18. XIII. 1. Mar. II. 13. IV. 1. Luc. V. 1. Act. X. 6. XVI. 3. Perperam itaque H. E. G. Paulus, philol. krit. hist. Kommentar über d. N. T. Lübeck 1804 — 5. et Exegetisch. Handb. über die drei ersten Evang. 1831. asserit, Jesum Matth. XIV. 25. ss. non *in*, *super* mari, sed *iuxta* mare, i. e. in littore maris ambulasse. cf. (Hug) Zeitsch. für d. Geistlichkeit d. Erzb. Freyburg, 1828. 1. H. p. 152. 7. H. 1834. p. 119. — Storr l. c. (n. 53.) V. III. 1803. p. 287. ss.

[74]) Sic J. A. Jakobi, die Geschichte Jesu, Gotha 1816. p. 222. verba institutae coenae SS. εις αφεσιν ἁμαρτιῶν, reddit:

pres biblicus biblicam vocum significationem a classica et communi semper sedulo distingvere, atque Biblia potissimum e Bibliis exponere tenetur, scriptis, profanis nonnisi caute adhibitis [75]). — Id vero muneris facilius explebit, si genuinos et legitimos scite consuluerit

§. 19.

Fontes cognoscendi usus loquendi.

Usus loquendi lingvae vivae facile cognoscitur ex institutione seu orali, seu literaria, et ex conversatione cum illis, qui eam vernaculam loquuntur; omnes quippe hi praesens, constans, ac omni exceptione maius perhibent testimonium de singulis vocibus, qua notione sumendae sint. Mortuae autem lingvae usus loquendi innititur facto historico, quapropter ad testimonia pariter historica confugiendum est; quaeritur enim, quas vocibus notiones iungere soliti sint illi, qui hac lingva olim ceu vernacula utebantur. Solvitur autem quaestio haec

1. Testimoniis *directis*. Audiendi quippe prae ceteris sunt ii, qui lingvam, de cuius usu loquendi agitur, aut vernaculam loquebantur, aut saltem a ta-

„damit Viele Verzeihung ihrer Irrthümer erhalten;" ast versio haec, vocis ἁμαρτια notionibus biblicis adversatur adeo, ut nullum exemplum, quod illi patrocinaretur, proferri possit. cf. Zeitsch. v. J. Frint, 7. Jgg. 1. B. 1819. p. 164.

75) Igitur magnopere peccant, qui, vel levissima similitudine, inter effata sacra et profana, obtinente, utraque ad eandem prorsus decempedam exigunt. Sapienter id animadvertit Joan. Clericus, Artis Criticae Lips. 1713. P. II. S. I. C. 15. p. 303. inquiens: „Non sunt temere conferenda ethnicorum dicta cum SS. Scriptorum sermone, nam saepe, ubi videntur eadem dicere, diversa proferunt." Plura adversus hunc abusum docte praecipit Kistemaker l. c. (n. 37.) p. 29. ss.

libus, quibus ea vernacula fuit, didicerant; atque hi vocantur testes usus loquendi directi. Tales quoad utrumque quidem, sed inprimis quoad V. F. cum lingva hebraea nonnisi in sacro volumine ad nos pervenerit, sunt ipsi Scriptores SS. qui passim vim verborum suorum mox in contextu orationis exponunt, vel per substratam materiam, consilium scribendi, et alia adiuncta innuunt, quidnam exprimere velint, vel etiam in locis parallelis eadem voce aut phrasi de eadem re, quoquo modo clarius determinata, utuntur, dum eandem historiam, rem, doctrinamve aliis clarioribus verbis exponunt; sicque et se mutuo et se ipsos illustrant. Quoniam vero hac ratione de usu loquendi, in specie sibi usitato, adeoque biblico gravissimum perhibent testimonium, ab interprete biblico ceteroquin omnibus aliis testibus longe praeferendi sunt; quamquam eiusdem huius loquendi usus legitime hauriendi fontem pariter minime temnendum etiam scripta SS. Patrum graecorum constituant, in quibus multa, huc attinentia, egregie illustrantur [76]).

Insuper quoad usum loquendi lingvae graecae, qua plerique Libri N. F. conscripti sunt, in quantum illa pura est, praesto sunt complures scriptores graeci, qui lingva graeca ceu vernacula utebantur. Et ex his praeferendi sunt ii, qui viciniores fuerunt seu aetati seu patriae Apostolorum, et qui stilo ac oratione, ad familiarem quotidianae vitae loquendi modum proxime accedente, usi sunt. Tales prae ceteris com-

[76]) Cf. Baschii dissert. de intptione N. T. e Patribus apost. Lips. 1726. — E. A. Frommann Interpretationes N. T. ex Hippol. — Iren. — et Clem. Rom. Coburg. 1765 — 8. — F. Vogl, die h. Schrift, u. ihre Interpretation durch die h. Väter. Augsb. 1836.

mendantur: Polybius [77]), Diodorus Siculus [78]), Arrianus [79]), et Herodianus [80]). In Ap. Paulo eruditi maiorem aliquam cum Thucydide [81]) stili similitudinem deprehendisse sibi visi sunt; quo tamquam vero posito, hic scriptor potissimum ad illustrandam Pauli dictionem adhibendus erit. [82]) — His tamen merito praeferendi sunt Josephus Flavius et Philo, utpote qui non

---

[77]) Megalopoli in Arcadia natus a. 205. ante C. illustribus natalibus insignis, variis ad exteros principes legationibus functus, tandem 80. aetatis anno de equo lapsus, mortuus est. Scripsit historiam Romanorum in XL. libris, e quibus tantum V. supersunt.

[78]) Vixit aetate Julii Caesaris, et Augusti, post 30. annorum sudores in lucem protulit Bibliothecam historicam in XL. libris, e quibus XV. aetatem tulerunt.

[79]) Nicomediae natus, philosophus, geographus, historicus, sacrificulus Cereris et Proserpinae, discipulus Epicteti, tandem Consul Romanus, et sub Hadriano Proconsul Cappadociae, scripsit libros VII. de gestis Alexandri magni. — Libr. IV. dissertationum Epicteti, huiusque vitam; item de venatione ect.

[80]) Alexandrinus, floruit inter an. 170—240. post C. scripsit Romae, in palatio imperatorum, historiam a morte Antonini philosophi usque Maximum Pupienum; eminet stili simplicitate.

[81]) Vixit sec. V. ante C. — civis Atheniensis, bellidux in Thracia, summe opulentus. Scripsit de bello Peloponnesiaco, quod 27. annis inter Athenienses et Spartanos gerebatur. Hunc librum, perhibentibus antiquis, Demosthenes tanto amore est prosecutus, ut eum octies describeret. De his scriptoribus cf. C. G. Jöcher Gelehrten-Lexicon. Leip. 1751. s. h. vv.

[82]) Cf. K. V. Hauf, über den Gebrauch der griech. Profanschribenten zur Erläutrg. d. N. T. Lpz. 1796. coll. theol. Journ. v. Hänlein u. Paulus, 9. Bd. 1797. p. 131. ss. — Rambach l. c. (n. 8.) p. 554. ss. de adminiculis prof. auct.

solum aetate Scriptoribus N. F. proximi fuerunt, sed simul, qua domestici, eadem fere lingva graeca, et quidem in rebus potissimum sacris describendis, usi sunt, adeoque haud pauca in scriptis suis offerunt, quae praesens interpretis sacri negotium insigniter promovere possint.

Horum directorum testium defectum quoad Vetus [83]), imo et quoad N. F. quantum nimirum hoc hebraizans est, compensant scriptores alii, qui quidem non ipsam hebraicam, attamen dialectum, illi affinem vernaculam loquebantur. Convenit enim apud omnes, hebraearum vocum significationes e dialectis sororiis, inprimis arabica [84]), chaldaica et syriaca magno cum fructu et laboris compendio illustrari; scilicet hebraeae lingvae penus angusta nimis est, seque ipsam sufficienter dilucidare nequit; nam permultae voces, vocum notiones et phrases amissae sunt, et quae supersunt, non habent testem idoneum, lexicographum, interpretem, vel scholiastam ex illo aevo, quo lingva adhuc vernacula erat: recurrendum igitur ad illas cognatas dialectos, e communi stirpe natas, quae, utpote longe ditiores, et saltem ex parte adhuc vivae, defectus hos largiter sarciunt, dum usum loquendi hebraicum, iam aliunde cognitum, auctoritate sua confirmant, — voces et dictiones, quarum significatio obscura aut dubia est, illustrant, — deperditas radices

[83]) De universis usus loq. hebr. fontibus, digna est, quae conferatur W. Gesenii commentatio: Von den Quellen der hebräischen Wortforschung; praemissa ei. hebr. chald. Handwörterbuch. ed. 3. Lpz. 1828.

[84]) Haec ditissima est, et certitudine quoque ceteris praestat, utpote adhuc dum in amplissimo orbis tractu vernacula, et libris omnis generis, etiam poetici, abundans.

hebraicarum vocum restituunt, — primitivas radicum significationes, unde secundariae derivantur, reducunt, — et integris quoque phrasibus lucem affundunt [85]). Sic e. g. sententiam Prov. XXV. 21. 22. „Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius, et Dominus reddet tibi"; multi sic exposuerunt, tamquam simili beneficio confundendus et veluti urendus esset inimicus. Verum hac ratione sub pallio beneficii vindicta lateret; quod tamen maxime alienum est a spiritu Pauli, qui eandem sententiam Rom. XII. 20. sic adfert, ut, docente contextu, omnem vindictam excludat. Sed, quid sibi velit proverbialis haec sententia: „congerere carbones super caput inimici", intelligitur e collatione radicis hebraicae צָלָה, cum arabica صَلَا quae significat: „assavit, adussit, in ignem immisit, torruit, medio prunarum, carbonum candentium", dein: „emollivit, flexibilem reddidit, precatus fuit Deum, quasi flexilem reddere contendit." Adeoque prisco usu loquendi, in sorore arabica prostante: „carbones in alicuius caput congerere", denotat, aliquem flectere, emollire; consequenter, transferendo haec ad inimicos: animum illorum flectere, reconciliare, et quidem beneficiis; quod etiam contextui convenit, nam additur, fore, ut Deus similia beneficia retribuat; est quippe insigne, Deoque acce-

[85]) Haec, aliaque emolumenta pernoscere cupienti, proderunt: Glassii Philologia (v. n. 55.) p. 110—8. — Vindiciae Joannis Jahn, Lps. 1822. p. 43. ss. — Theol. Journ. v. Hänlein u. Paulus, 7. B. 1796. p. 253—90. — P. Speranza, de infall. Eccles. Vind. 1817. p. 42—6. — add. P. Bohln, Erläutg. d. bibl. Sprachgebr. aus d. Persischen, in utriusque Rosenmüller-s bibl-exeg. Repertorium, 1. B. Lpz. 1822. p. 96. ss.

ptum charitatis exemplum, inimicos beneficiis demulcere. [86])

2. Si testimonia prioris ordinis deficiant, recurrendum ad testimonia *indirecta*, seu ad traditionem philologicam, ad nos usque propagatam; invenitur autem haec in glossariis, scholiis [87]), lexicis [88]), et versionibus Bibliorum immediatis [89]). Quo autem testes

---

[86]) Pariter phrasis יְהוָה צְבָאוֹת (in Vulg. „Deus Sabaoth") illustratur e correspondente radice arabica صَبَا quae notat: „imminuit hosti, prodiit in hostem," item „orta est, seu prodiit stella, prodiit dens, ungula"; unde צְבָאוֹת non solum sunt „agmina exercitus," sed etiam „omnia in coelo et in terra prodeuntia, seu omnes creaturae"; itaque phrasis illa reddenda: Deus omnium creaturarum, seu omnipotens, παντοκρατωρ, prout LXX. passim vertunt. — Habitis notionibus verbi arab. ظَلَّ quod in f. 4. non solum, „obumbrare", sed etiam „accedere, habitare" significat, illud Luc. I. 35. „Virtus altissimi obumbrabit tibi", clarius reddere licebit: Dei celsissimi potentia te accedet, et in te quodammodo habitabit.

[87]) De Scholiastis et Glossographis, dignus est, qui conferatur, Morus l. c. (n. 42.) p. 110—31.

[88]) Praestantia eminent: G. V. Gesenii Thesaurus philol. crit. ling. hebr. et chald. V. T. Lps. 1829. contin. et germ. v. n. 83. — add. Buxtorf Lex. chald. talmud. rabbin. Basil. 1639. — Schleusner op. cit. (n. 1.) — Vahl, clavis philol. N. T. 1829. Lips. — Sed in his, similibusque lexicis grammatica a dogmaticis scite discernenda, et posteriora nonnisi caute in usum transferenda sunt. — Prima vero rudimenta lingvarum bibl. te docebit J. Jahn, gramm. ling. hebr. ed. 3. Vien. 1809. — W. Gesenius, hebr. Gramm. ed. 11. Halle 1834. — Item Alt et Winer ll. c. (n. 44.)

[89]) Qui enim librum archetypum e lingva, in qua scriptus est, in aliam transfert, utramque lingvam calleat necesse est. E versione igitur perspici potest, quam vim voces, in lingva archetypi positae, habuerint, aut saltem, quam potestatem translator iis tribuerit. Quo magis autem versio ali-

hi rite aestimentur, examinanda est eorum aetas, et lingvae, de cuius usu loquendi quaeritur, cognitio; eoque maioris fidei censendi sunt, quo sunt antiquiores, et quo maiorem habebant lingvae peritiam [90]).

3. Quodsi cuncta desint de usu loquendi testimonia, confugiendum est a.) ad Etymologiam; scilicet ex elementorum ac primitivae radicis, vocabuli alicuius, potestate inquirendum, quid vocabulum illud primigenie significaverit, tum e similitudinis nexu in quo secundariae significationes relate ad primigeniam positae sunt, videndum, qua ratione idem vocabulum ad

---

qua verbis inhaeret, quo pressius auctorem sequitur, quo magis etymologiam sectatur, primasque vocum origines exprimit: eo magis huic usui inservit, ut significationes vocabulorum lingvae emortuae inde intelligantur.

[90]) Instar cautelae monendum, hos, similesque, si qui proferantur, testes severe esse ponderandos, an fide digni sint, et, utpote indirectos, pro hac ipsa sua indole nonnisi admittendos esse, si vocis notio ex ipsis Bibliis, vel aliis testimoniis directis erui nequeat; secus vero non sunt audiendi. Sic e. g. illud Matth. III. 17. „Et ecce vox de coelis dicens: Hic est filius meus ect". Dr. Paulus l. c. (n. 73.) ad h. l. non de externa, viva voce, sed de *interna* voce explicat, ita, quasi Joannes ex eo, quod praecesserat, (iuxta Drem Paulus, tonitru) velut symbolo, eam *in animo* sequelam deduxerit: „en illud velut loquendo indicat mihi, Jesum esse Messiam." Provocat vero ad Thalmudem, in quo similis symbolorum explicatio, בת קול „filia vocis" dicatur. Ast, ubi de usu loqu. biblico quaeritur, Thalmudistae testes sunt parum idonei, uti docet Jahn l. c. (n. 17.) I. Th. I. B. p. 11. Accedit, quod phrasis: „vox de coelis; vel vox de nube," ex ipsis Bibliis clare explicari possit, quum perpetuo de voce *viva, externa* occurrat, uti Matth. XVII. 5. (ubi ipse quoque Dr. Paulus sonum *auditum* admittit, Commentar. II. Th. p. 542.) Joan. XII. 28. cf. J. Pletz über die Versuchungsgeschichte, in theol. Zeitsch. v. Frint, 5. Jgg. I. B. 1817. p. 240—4.

alia demum significanda translatum sit. Jam si significationis primigeniae et derivatae sat manifesta est similitudo et ad invicem nexus, et inprimis, si plura exempla similia adferri valeant, exceptiones vero aut perpaucae aut nullae locum habeant, notio, ex etymologia hausta, magnam nanciscitur probabilitatem. Usus autem etymologiae in illis praecipue obtinet vocibus, quae rarius occurrunt. Sic e. g. Matth. VI. 11. habetur vox *επιουσιος*, quae praeter hunc l. et Luc. XI. 3. nuspiam legitur; quapropter significatio eius, cum ex usu loquendi probari nequeat, ex etymologia haurienda est: derivatur autem (non e verbi *επειμι* „adsum, sequor", feminino participii *επιουσα*, ut sit „sequens, futurus", sed) ab *ουσια*, quod „essentiam, substantiam, vitam, et facultates" ad hanc sustentandam requisitas denotat, adeoque *επιουσιος* significat id, quod ad vitam sustentandam sufficiens ac necessarium est, sensusque prodit egregius: „Victum (nam *αρτος* ut לֶחֶם non tantum „panem", sed omnino „victum" denotat,) ad vitam tuendam necessarium largire nobis (*καϑ' ἡμεραν* Luc. l. c.) quotidie" [91]). Apparet ergo, etymologiam ab interprete non esse negligendam,

[91]) Confirmat hanc interpretationem: auctoritas S. Chrysostomi (hom. in orat. dom.) S. Basilii M. (in reg. brev. 252.) Theophylacti (ad h. l.) et Suidae, — tum analogia lingvae, nam e. g. *επιληνιον* est, „quod ad torcular", — et *επιταφιον* „quod ad sepulturam pertinet," — denique versio syriaca, quae reddit: ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ „panem necessitatis nostrae," i. e. quo nobis opus est. cf. C. T. Kuinoel Comm. in LL. N. T. hist. t. I. Ev. Matth. ed. 4. Lps. 1837. ad h. l. — Schleusner l. c. (n. 1.) s. h. v. — Linzer th. pr. Monatschr. 7. Jgg. 2. Bd. ed. 3. Prag. 1822. p. 293. ss. — J. G. Eichhorn, allg. Bibl. d. bibl. Lit. X. B. Lpz. 1801. p. 860. ss. — Journal f. th. Lit. v. Gabler, 3. B. Nürnb. 1802. p. 417—9.

quamquam omnino cavere debeat; ne ex illa contra usum loquendi, historice notum disputet [92]). Postremo

b.) Consulenda venit Analogia tum unius eiusdemque tum plurium lingvarum, e comparandis analogis seu similibus vocibus et loquendi formulis, earumque simili potestate, resultans. Et huius quidem, si notio certi vocabuli sufficientibus analogis exemplis nititur, egregius, isque eo maior est usus exegeticus, quo maior obtinet similitudo, et quo maior est numerus formularum, quae parem habent significationem [93]). Fructum hunc non tantum cognatarum, sed etiam diversarum lingvarum comparatio profert; e. g. 1. Cor. III. 15. „Salvus erit: sic tamen quasi *per ignem*", illustratur e tropice sumto latino „ambustus, semiustus"; dicitur autem ita, qui aegerrime evasit periculum [94]). — Meminisse tamen oportet, quod analogia lingvarum usum loquendi illustret potius, quam determinet, eiusque nulla sit vis, ubi significationem offert, quibuscunque demum adiumentis hermeneuticis repugnantem [95]).

[92]) Cautelas v. apud Ackermann l. c. (n. 18.) p. 81—6.

[93]) Exemplum v. n. 91.

[94]) Huc facit Livii L. XXII. C. 35. ubi quis dicitur „prope ambustus evasisse," et C. 40. ubi quis ait, „se populare incendium semiustum evasisse." Classicus vero locus est Ciceronis, Verrin. I. 27. „ex sociorum incendio ambustus, ex illo tamen incendio periculoque evolavit." cf. Ac. Forcellini, Lexicon totius latinitatis, Pat. 1771. s. h. v. Simile est germ. „wie ein Brand aus dem Feuer gerissen."

[95]) Plura te docebit Morus l. c. (n. 42.) V. I. p. 168—85.

CAPUT II.

INVESTIGATIO SENSUS LOGICA.

§. 20.

Eius notio, necessitas et momentum.

Quemadmodum prudens quisque sermonem suum logicis ac rhetoricis loquendi legibus, et adiunctis variis, quae in orationem influunt et sensum verborum determinant, conformare solet; scilicet, vocum, saepe polysemarum, notionem spectat — adeoque *sensum intendit* — his adiunctis et legibus *conformem*, iisdemque omnibus conformiter vult intelligi: ita interpres haec omnia prae oculis habere, et illis *conformiter sensum eruere* debet [96]), ita, ut sedulo perpendat: quid auctori, ut loqueretur aut scriberet, praebuerit occasionem, — qualem sibi praefixum habuerit scopum, — quid praecedat, quid sequatur sententiam, de cuius sensu quaeritur, — quomodo alias (in locis parallelis) vox vel res eadem explicetur, — quod et quale sit orationis argumentum seu substrata materia, — quid ipsa rei natura secum ferat, aut plane postulet, ut ab auctore dictum censeatur, — quale sit genus di-

[96]) Est quippe Hermeneutica — inversa Rhetorica; pront enim haec docet, propria cogitata rite disponere et proponere (προφορα): ita illa docet, data cogitata alterius ex eiusdem propositione eruere, relate ad ideam auctoris disponere, atque explicare (ἐξήγησις). Hermeneutica itaque est ars philologica, quae tamen philosophia, et in specie quidem logica et rhetorica velut subsidiis utitur: Rhetorica autem est ars philosophica, quae tamen philologia carere nequit. cf. Journal d. theol. Lit. v. Bertholdt, 6. B. 1817. p. 430.

cendi, — denique quae et qualis sit persona tum loquens, tum, ad quam oratio dirigitur, quis eius character, an et quis affectus, ceteraque adiuncta individualia; nam pro horum omnium diversa ratione, sensus quoque diversus — prout ab auctore intenditur, ita ab interprete eruendus est. Atque ex his intelligitur, non tantum, quid sit, logice sensum investigare, sed etiam, quod pensum h. l. absolvendum veniat: enucleanda nempe sunt *adiumenta interpretandi logica*, uti: occasio dicendi vel scribendi, consilium seu scopus auctoris, contextus orationis, loca parallela, substrata materia, natura rei, forma seu genus dicendi, persona loquentis, aliaque adiuncta. Et in specie quidem, singuli ex his adiumentis exponenda erit 1. *notio*, 2. *usus*, qua ratione nimirum sensus inventionem promoveat, 3. *fontes*, e quibus adiumenti cuiusque cognitio hauriri possit, et 4. *cautelae*, in eius usu observandae.

Necessariam autem esse sensus investigationem logicam, per se liquet: philologica enim (etiamsi usus loquendi rite determinari queat, quod tamen saepe haud leve facessit negotium,) tantum docet, quae cuivis voci respondeat significatio; haec autem non raro multiplex est, hinc ex usu loquendi plerumque nonnisi intelligitur, quam e pluribus notionem auctor potuerit spectare, minime vero, quam revera, et qua ratione spectaverit, nempe an proprie vel improprie, latius vel angustius ect. Oportet itaque logica adire adiumenta, quae nos doceant illam cuilibet voci subiicere notionem, quam auctor intenderat.

Momentum horum adiumentorum omnium et singulorum in veri sensus investigatione idem est, ac usus loquendi. Sensus nempe eis, vel etiam uni alterive

repugnans, certo falsus est: sensus vero uni alterive eorundem conveniens, tum nonnisi ceu verus admitti potest, si reliquis quoque adiumentis philologicis, logicis et historicis non adversetur. — Ceterum omnia haec sensus inveniendi principia non solum immediate, sed etiam mediate veri sensus cognitionem adiuvant; singulum enim ex his adiumentis simul etiam aliorum adiumentorum usum, nec non philologicam et historicam investigationem faciliorem reddit.

I. OCCASIO DICENDI AUT SCRIBENDI.

§. 21.

Notio.

Occasio dicendi aut scribendi dicitur ratio, vel circumstantia quaecunque, qua auctor movebatur, ut diceret aut scriberet, et quidem haec vel illa, hoc vel illo modo diceret aut scriberet. Auctores scilicet haud semper in universum, sed, prout adiuncta, necessitasque aut utilitas seu sua seu aliorum exigebat, pro ratione temporis, locorum et personarum, mentem aperiunt; id quod inprimis ab auctoribus Psalmorum in Psalmis, et ab Apostolis in Epistolis, et in ipsis etiam libris historicis factum videre est. Prout autem quisque loquens et scribens verba sua ad illa adiuncta historica exigit, et illis convenienter intelligi cupit: ita interpres eandem dicendi vel scribendi occasionem, tam quoad integram orationem aut librum, quam etiam singulas partes, investigare et prae oculis habere tenetur.

§. 22.

Usus.

Occasio sermonis non raro sensum dictorum immediate aperit, nam

1. Saepe determinat, quae significatio e pluribus sit seligenda, quae vero repudianda: notio enim occasioni repugnans certo falsa est. Sic Job. I. 11. in verbis satanae: „Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi", an significatio „benedicendi", aut potius „valedicendi, deserendi", vocabulo hebr. בָּרֵךְ aeque correspondens [97]) tribuenda sit, occasio sermonis indicat: inducitur nempe satanas verba illa protulisse, dum Deus Jobum, tamquam perfectissimum humanae virtutis exemplum proposuerat, eiusque insignem probitatem et constantiam in cultu veri Dei laudaverat; hanc igitur suspectam redditurus satan, asserit, Jobum talem hucadusque fuisse propter felicem sortem, qua a Deo donatus fuerat, ut adeo vili satis animo, lucri nempe cupiditate, operam dederit virtuti et pietati erga Deum: ast vero simul pollicetur fore, ut Job, si ei adversa evenerint, in sinistra hac fortuna, mutato mox animo, continuo „in faciem" seu palam abdicaturus sit Jehovam, tamquam Numen unice adorandum, transiturusque ad polytheismum, qui lucri commodique proprii studio praecipue invaluit, quoniam agris, campis, aliisque distincta praeponebantur numina, quorum cultu beneficia impetranda essent. Cum itaque satan

---

[97]) Verbum hoc notat: „in genua procubuit, Deum invocavit, fausta apprecatus est, benedixit, salutavit," quare hodiedum Arabibus بَرَّكَ, uti olim Hebraeis adhibetur in adventu, occursu, discessu et valedictione, ubi sibi mutuo fausta apprecantur; hinc autem nata est altera significatio „discedendi, deserendi, abdicandi", sicut latini quoque dicunt: „iussi valere hominem," i. e. abdicavi, deserui. cf. Gesenii Thesaur. ect. n. 88. s. h. v. Pariter recentissimus F. W. C. Umbreit, das Buch Hiob, Übers. und Auslg. Heidelb. 1832. ed. 2. I. 11. vertit: „Gewiß er wird dir frech in's Angesicht den Abschied geben."

apertum promittat crimen, a Jobo committendum, quod vilem eius animum proderet, patet, h. l. significationem „benedicendi" minime, ex adverso „valedicendi, deserendi" omnino congruam esse. [98])

2. Docet, an dictio proprie, an improprie sit sumenda. Sic an Jesus verba Joan. VI. 54. 56. „Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sangvinem, non habebitis vitam in vobis. — Caro enim mea, vere est cibus, et sangvis meus vere est potus"; proprie de carne sua in cibum danda, an vero improprie, de doctrina sua salutifera, vel de fide sibi habenda intellexerit, docet occasio sermonis. Praecedebat enim scandalum Judaeorum, qui his dictis scandalizati fuerant; itaque Jesus, si haec improprie intelligenda voluisset, procul dubio scandalum hoc sive hic sive in consequentibus adiecta explicatione et modificatione verborum sustulisset. Attamen adeo non retractavit dictorum suorum quidquam, ut potius idem, insuperhabito scan-

[98]) Hic sensus, Deum nempe abdicandi, manifeste inest dicto uxoris II. 9. „Benedic Deo, et morere," utpote quae verbis immediate praecedentibus: „adhuc tu permanes in simplicitate tua," illi constantiam exprobrat, qua penes tot calamitates in cultu Dei perseveraret; suffragatur responsum Jobi v. 10. „Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus". — Hoc sensu I. 5. metuit Job, ne forte aliorum exemplis seducti filii in conviviis „benedixerint Deo," seu abdicent Deum verum, et transeant ad polytheismum.—Hoc sensu Job ceu exemplum patientiae, ac adhaesionis soli vero Deo proponitur, estque imitatione dignum patientiae et constantiae exemplar: utpote, qui in arduis quoque illis adiunctis, in quibus, satana firmiter pollicente, certissimo videbatur, pietate, qua hucadusque Deo vero adhaeserat, deponenda, ad cultum aliorum deorum transiturus, tamen in eadem probitate constans firmusque perstiterat.

dato, gravius adhuc affirmaverit, sicque assertum sensu proprio sumendum clare docuerit. — E pari sermonis occasione colligere licet, verba: „Ego et Pater unum sumus", ceteraque, quibus Jesus Joan. V. 17. ss. X. 30—39. divinam naturam sibi vindicat, proprie, et non improprie de morali cum Deo coniunctione, intelligenda esse. Licet enim his Judaei scandalizati fuerint adeo, ut Jesum interficere vellent: Jesus tamen scandalum hoc non tantum non removit, ut potius assertum suum adhuc pluribus confirmaverit.

3. Indicat, an quid absolute an relative dicatur. Sic quia monitum Matth. X. 5. „In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis", i. e. ad hos nolite vos conferre, ut iis doctrinam divinam annuncietis, — a Jesu occasione primae missionis Apostolorum provide [99]) datum fuit, patet, illud non absolute, de omni futuro tempore, sed relative tantum de hac prima missione intelligendum esse. Jesus enim ipse ad Samaritanos divertit, eosque edocuit Joan. IV. 4. 40. et professus est, plures gentes religionem suam amplexuras esse Matth. VIII. 11. Joan. X. 16. denique dum ultima vice discipulos suos emitteret, eos edocuit, omnibus gentibus longe lateque suam doctrinam esse annunciandam. Matth. XXVIII. 19. Mar. XVI. 15.

4. Ostendit, in quantum verba loquentis premenda, et seu extendenda, seu restringenda sint. Ita, dum Jesus Matth. XII. 32. ait: „Qui dixerit verbum

[99]) Scilicet Judaei gentiles aeque ac Samaritanos acerrimo odio persequebantur: hinc Jesus, ut Judaei eo prius doctrinam suam susciperent, neve dissensioni occasionem daret, legatos suos, prima vice eos emittens, monuit, ut solummodo Judaeis doctrinam divinam praedicarent.

contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro"; verba haec de non remittenda blasphemia in Spiritum S. seu in divinam Jesu, miracula patrandi, virtutem, non esse intelligenda de prorsus impossibili consecutione veniae, sed de admodum difficili, et non facile exspectanda, aperit occasio sermonis. Inductus enim erat Jesus ad haec proferenda blasphemia Judaeorum, criminantium, Ipsum virtute principis daemoniorum eiicere daemonia; iam autem qui Christi miracula virtuti satanae adscribit, ut fecerunt Pharisaei, ille Christum qua legatum divinum, qua Messiam recipere nequit, neque per illum, in quem non credit, veniam peccatorum sperare et obtinere potest, sicque omnia salutis media ipse sibi praescindit. Est ergo sententia haec sic restringenda, quatenus de talibus, qui virtutem Jesu prodigiosam satanae attribuunt, vix spes aliqua adsit, eos ad meliorem frugem redituros, erroremque suum correcturos esse, cum eiusmodi criminatio summam animi impietatem et pervicaciam prodat [100]).

5. Saepe pandit rationem, cur auctor haec vel illa statuerit, aut hoc et non alio modo in opere suo scribendo versatus sit. Hinc e. g. diiudicanda venit lex Deut. XXIV. 1—4. ubi viris ampla conceditur potestas uxores suas dimittendi, et alias ducendi; cum tamen talis dimissio semper cum iniuria uxoris coniuncta fuerit, prout lex ipsa etiam saluti reipublicae haud est proficua. Ast, si advertatur, legem latam esse hominibus effrenis licentiae, apud quos abusus uxores repudiandi dudum invaluit, mox patebit, eandem nil

[100]) De his contulisse non poenitebit Linzer theol. prakt. Monatschrift, 1. Jgg. 1. B. ed. 3. Prag. 1821. p. 221—30.

contininere offensionis: inter tales enim lex, divortium penitus prohibens, aut optato caruisset effectu, aut plane auxisset malum, nempe ut veneno, aut quacunque demum ratione perimerent uxores exosas, a quibus pristino more liberari non possent. Itaque nonnisi invitus id legislator indulsit, simulque pravam consvetudinem appositis conditionibus temperavit, sicque, quantum fieri potuit, minus noxiam reddere studuit. Quare etiam Jesus Matth. XIX. 8. ait: „Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis, dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic" [101]). Denique

6. Occasio sermonis etiam negative negotium interpretis adiuvat; cum enim sensum verborum determinet iuxta rationem adiunctorum, quae sermonem eliciunt: si nulla adsit occasio, loquentem externe movens ad haec vel illa proferenda, sed ille proprio motu aliqua per modum assertionis proponat, (quod inde potissimum concludi potest, si eadem saepius diversis locis, et coram diversimode sentientibus proferat), inde satis fundatum prodit indicium, in eiusmodi casu loquentem e sua persvasione, non autem ex aliorum sententia dixisse, quae protulit. Quia si nulla necessitate externa inductus fuit, ut sermonem de his potius, quam aliis rebus faceret, vel tacuisset vel alia proposuisset, si de iis, quae protulit, non ipse convictus fuisset. Hinc quae Jesus de mortuorum resuscitatione et iudicandis per ipsum in fine mundi hominibus Joan. V. 21—30. disserit, tamquam propria eius sensa spectanda, et minime per accommodationem ad similes Judaeorum opiniones prolata censenda sunt: sua sponte enim citra externam occasionem haec, utpote certissima divinae omnipotentiae opera, propo-

[101]) De lege hac vid. infr. §. 50. nr. 7.

nit, ut suam intimam cum Patre connexionem ostenderet.

§. 23.

F o n t e s.

Cognitio huius adiumenti hauriri potest:

1. Ex ipsa loquentis, scribentis, aut alterius, inprimis qui sermoni intererat, declaratione: velut Evangelistae saepius occasiones sermonum Jesu assignant; Paulus vero 1 Cor. VII. 1. aperte dicit, sibi a Corinthiis quaestiones de matrimonio, divortio et coelibatu fuisse propositas: quae autem in specie, et quales illae fuerint, ex iis, quae Paulus respondet, eruere licet.

2. Ex historia auctoris et auditorum, quae proin, in defectu apertae declarationis, diligenter consulenda est, et si quibusdam adiunctis, sic erutis, auctoris dicta respondeant, ex illis occasio satis probabiliter colligi poterit. Sic plurium Psalmorum occasio ex historia persecutionum, a Saulo et Absolon adversus Davidem susceptarum, haud inverosimiliter intelligitur.

3. E relationibus generalibus aliorum scriptorum, qui auctori coaevi aut aetate vicini fuerunt, et circumstantias temporum, locorum et personarum, item rationem cogitandi sentiendique, denique mores, vitia, opiniones, politicam et religiosam illius aetatis constitutionem descripserunt. Cum similibus itaque datis historicis, rite excutiendis, vel argumentum libri, vel singula dicta comparentur, et, si congruant, illa occasionem praebuisse, statuere licebit. Sic libri historici V. F. egregio usui sunt in intelligendis Prophetis seu vaticinantibus seu obiurgantibus: plerumque enim se accommodant populi necessitatibus, ac commodis,

quae nonnisi ex historia coaeva discenda sunt. Pari fere adiumento sunt Acta Apostolorum intuitu Epistolarum Apostolicarum. Denique in horum omnium defectu

4. E repetita saepius libri lectione; quo in negotio interpres quandoque quidem, velut inprimis in Epistolis Apostolicis [102]), non tamen semper optatam lucem consequetur; quod ipsum in Psalmis quibusdam contingit, cum nempe occasio eorum certo determinari nequeat, intelligentia quoque eorundem difficilior manet.

II. CONSILIUM SEU SCOPUS AUCTORIS.

§. 24.

N o t i o.

Consilium seu scopus auctoris dicitur, quod loquens vel scribens sermoni vel scripto suo, seu integro, seu singulis eius partibus tamquam finem, quem assequeretur, proposuit, et ad quem proin quaelibet fere dicta collineant. Jam vero quisque auctor prudens censendus est, nihil a consilio suo alienum dixisse aut scripsisse, sed potius voces singulas eo significatu sumsisse, eumque intendisse sensum qui scopo suo obtinendo certe congrueret. Unde consequitur, notionem et sensum pro varia scopi ratione non raro variare, — per cognitum vero scopum, multiplicem aut vagam vocabulorum significationem plerumque saltem ad unam satisque determinatam notionem restringi, atque negotium interpretis insigniter adiuvari [103]).

[102]) Ceterum de harum occasione agitur in Introductione in N. F. itaque vide opp. n. 18. cit.

[103]) Recte Hermann. von der Hardt in Elementis exeges. univers. C. 6. p. 48. monuit: „Auctoris scopum nosse, est, maximam libri partem intelligere. Est enim scopus anima to-

§. 25.

Usus.

Cognitio scopi ad eruendum, aut saltem illustrandum sensum, alias obscurum vel ambiguum, immediate confert sequentibus modis:

1. Definit, quae in vocabulis polysemis e pluribus significationibus sit adoptanda. Sic Hebr. I. 7 „Qui facit angelos suos *πνευματα* spiritus". Quod h. l. *πνευμα* non spiritum stricte talem, seu ens rationale spirituale designet, sed, velut correspondens hebr. רוּחַ, *ventum*, docet scopus auctoris, ad quem obtinendum haec Psaltis verba adducuntur; iam vero Paulus h. l. non intendit, proprietates Angelorum exponere, sed ostendere, Jesum longe eminentioris esse dignitatis, quam Angelos, idque ut comprobet, verba Psaltis adducens, asserit, Deum Angelis non minus, quam ventis et fulminibus tamquam legatis et ministris uti, ad voluntatem suam exsequendam: hac scilicet ratione naturam Angelorum respectu eminentioris naturae Christi deprimit.

2. Determinat, an dictio proprie, an improprie sit sumenda. Sermone quippe generatim utimur ad docendum, movendum vel delectandum: illius iam vero, qui in docendo versatur, i. e. aliquem facti, rei, do-

---

tius libri. Cognito scopo (non tantum libri integri, sed et singularum partium), singula vel minutissima rationem habent, cur sint a scriptore posita atque adhibita vel rerum vel verborum momenta. Ignorato scopo omnia obscura, vel planissima alias atque apertissima. Vera enim lux verborum est meta, ad quam collimavit auctor. Sicut enim omnis actio ex certo animi proficiscitur consilio (atque eatenus diiudicanda est): ita et scriptio aestimanda ex hoc suo principio."

ctrinae, aut praecepti notitia imbuere vult, officium est, perspicuitatem et claritatem sermonis sectari; et huic quidem officio is vel maxime respondere censendus est, qui ipse vir gravis honestusque est, et aliorum studio ducitur, talesque proponit veritates, quas ab omnibus exacte intelligi cupit. Cum autem dictae sermonis perspicuitati tropi, metaphorae, allegoriae, insolentiores, a longe petitae, et a communi sermone multum abludentes, quam maxime officiant, ideoque ista omnia a simili didactico sermone abesse oporteat [104]): sequitur, si a tali viro doctrinae, leges, praecepta tradantur, sermonem eius proprie esse intelligendum, nisi fors ipse aut verba sua aliter exposuisset, aut tropice sumenda esse declarasset, aut talia alibi clare et omnimo perspicue proposuisset, quibus stantibus haec proprie intelligi nequirent. Atque hinc intelligitur, quantopere adversetur regulis sanae Hermeneuticae ea interpretatio, qua effata Matth. XXVI. 26—28. „Hoc

---

[104]) Ne vero haec, de tropis in didactico sermone non facile admittendis, dicta iusto latius extendantur, monere iuvat, id tantum de tropis rarioribus et intellectu difficilioribus valere, et proin excipiendos esse eos, qui vel ob frequentiorem usum, vel ob rerum, unde petiti sunt, familiaritatem, fere propriorum terminorum naturam induerunt, ita, ut a quovis, etiam rudi, protinus intelligantur; ut enim tales quoque a sermone didactico arceantur, nulla est ratio. Hinc si in SS. LL. occurrat: vita, pro felicitate, — lux mundi, pro doctore hominum: id regulae stabilitae nihil officit; hi enim similesque termini aetate Jesu sermone quotidiano triti, omnibusque noti, adeoque faciles erant. Ceterum troporum, in specie biblicorum difficultas metienda est, non e nostro loquendi more, sed e moribus, consvetudinibus, et loquendi modo auditorum, vel primorum lectorum, quibus Libri SS. proxime destinati fuerunt.

est corpus meum, — hic est sangvis meus ect". de figura corporis et sangvinis Jesu, vel quacunque demum ratione tropice exponuntur. Verba enim sunt clarissima, quae et doctrinae et praecepti permanentis rationem habent, eo, quod Jesus praeceperit, hoc porro quoque, quod ipse in ultima coena gessisset, in sui memoriam esse faciendum. Itaque Jesus, novum condens dogma, novum instituens sacramentum, novam praescribens legem, qua doctor et legislator, verbis nativis, et minime insolite translatis aut obscuris uti debuit, praecipue, cum simul foedus quoque novum condiderit, prout etiam Moses Exod. XXIV. 8. ubi Vetus Foedus sancitum fuisset, sangvinem victimarum foederis sparsit in populum dicens: „Hic est sangvis foederis, quod pepigit vobiscum Dominus"; iam vero prout ibi verus aderat sangvis, ita hic quoque Apostoli de vero sangvine cogitare, atque verba Jesu proprie sumere dedebant, ut adeo verba haec a nobis quoque perpetuo proprie sint intelligenda, tanto magis, quia non tantum nuspiam in N. F. monetur, ea aliter esse exponenda, sed potius Jesus Joan. VI. legitur promisisse, se carnem suam in cibum, et sangvinem in potum, daturum sectatoribus. — Pariter verba Christi Joan. III. 5. „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei", proprie sumenda esse, ut per aquam, aqua vera, non autem aqua spiritualis, seu doctrina evangelica intelligenda sit, ostendit scopus Christi, qui Nicodemum docere voluit, qualiter quis possit regnum Christi ingredi; sicque particeps evadere beneficiorum Messiae [105]). — Denique sic etiam verba Joan. XX. 22. 23.

[105]) Jam autem ab hoc Jesu scopo notio tropica quam maxime aliena est, cum a Nicodemo nullatenus intelligi po-

„Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt", i. e. si cui remiseritis peccata aut non remiseritis, id ratum erit, — non improprie, de potestate, aliquem ad societatem Christianam admittendi vel ab ea arcendi, sed proprie intelligenda esse, docet scopus Jesu, qui h. l. in docendo versatur: docet nempe Apostolos, quid ipsi qua Apostoli valerent, veram eis concedens peccatorum remittendorum potestatem, talem nimirum, qualem ipse, iis inspectantibus, exercuit, dum Luc. VII. 48. mulieri diceret: „Remittuntur tibi peccata [106]).

Ex adverso ubi loquens vel scribens in movendo vel delectando versatur, ubi animum auditoris vel lectoris svaviter afficere, aut ad sublimiora rapere, vehementiusque percellere conatur, denique ubi acumen intendit, aut mentem suam magis celare, quam manifestare studet, ibi tropi etiam insolentiores, et vocum significatus rariores haud incongrue adhibentur, unde similia non proprie, sed improprie explicanda esse,

---

tuisset; ex adverso regeneratio ex aqua illi notissima erat, eo, quod Judaei illo tempore habuerint baptismum proselytorum, ipseque Joannes Bapt. publice baptizaverit, et ob administratum baptismum suspicionem excitaverit, an non ipse esset Messias Joan. I. 21—25. manifesto indicio, Judaeos a Messia exspectasse, ut ipse quoque baptizaret; quae universa ostendunt, Christum haec verba in sermone cum Nicodemo sensu proprio sumere debuisse, atque hinc metaphoricam eorum interpretationem nequaquam posse tolerari. Huc pertinet quoque illud Matth. XXVIII. 19. „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris ect."

[106]) Accedit, quod, si Jesus verba haec improprie sumsisset, metuendum fuisset, ne Apostoli Jesum sinistre intelligerent, et quamcunque aliam potestatem sibi arrogarent. — Add. infr. §. 28. nr. 2.

liquet. Huc pertinet illud Joan. II. 19. „Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud"; quibus verbis Jesus non templum, sed corpus suum intellexit, atque de morte sua, eamque secutura resurrectione locutus est, sed, quum haec muneris sui initio, publice diceret, nonnihil *obscurius*, tropica dictione mentem suam involvens, utpote quam tardius nonnisi clare et distincte explicuit (Matth. XVI. 21.), cum videret tantam esse et tam firmam discipulorum de dignitate sua Messiana persvasionem, ut iam apertam quoque fatorum adversorum, quae ipsum manerent, expositionem ferre possent; licet Judaei Messiam non moriturum, sed perpetuo his in terris regnaturum sperarent. Joan. XII. 34.

3. Indicat, in quantum dicta loquentis premi debeant: an universaliter, vel particulariter, vel plane de singulis sint intelligenda; an absolute quid dicatur, vel sub certo respectu; an consilium proponatur vel praeceptum; an aliquid asseratur, vel per modum illustrationis adducatur; an fiat applicatio sententiae alicuius e. g. e. V. F. vel stricte allegetur [107]); an dicta latius vel angustius sumenda sint, seu quousque extendenda, et quibus limitibus circumscribenda; demum quousque pateat tertium comparationis. Sic e. g. verba Matth. XVI. 19. „Tibi dabo claves regni coelorum", quibus Petro inter aequales Apostolos, eminentior gradus honoris et auctoritatis, atque potestas universae Ecclesiae moderandae conceditur, — non ad solum Petrum restringenda, sed ad successores quoque eius legitimos extendenda esse, docet scopus Jesu, utpote qui praerogativam hanc non ad commodum Petri,

107) Vid infr. §. 52. nr. 2.

sed Ecclesiae, perpetuo mansurae concessit, adeoque potestatem illam non personae, sed officii, nempe primatialis, esse voluit, ut scilicet supremo rectore constituto, reliqui in unitate fidei et morum certius faciliusque coniungerentur; unde non temere semper creditum fuit, Romanorum Episcoporum, qua successorum Petri, in regimine Ecclesiae praecipuas esse partes. — E contra Jesum, dum prohibitis variis iurisiurandi speciebus, quae Judaeis familiares erant, et sine horrore ad quasvis turpissimas fraudes adhibebantur, subiungit Matth. V. 37. „Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est", non omne iusiurandum prohibuisse, inde evidens est, quod toto Cap. V. solum abusus, qui in moralem doctrinam apud Judaeos irrepserant, corrigere, et quae secus minus perfecta erant, perficere voluerit; unde non omnes iurisiurandi formulas enumerat, uti iusiurandum per Jehovam, hoc enim Judaei sancte servarunt, sed alia a Judaeis vilipensa, et pro peccatis non reputata: putabant nempe, iureiurando, quod per coelum, terram, aut aliam rem praeter Jehovam iurarent, neganda firmari, et affirmanda negari posse sine periurio, utpote quod nonnisi in iurantes per Jehovam cadere videbatur. Quia itaque similibus, a genuina lege alienis, incauti decipiebantur, monuit Jesus, ne haec quidem spernenda esse, quum in his quoque ad Deum fiat relatio [108]).

[108]) Cf. Stirm, Gründe für u. wider den Eid, in exeget. Beziehung. — in d. Zeitsch. „Studien d. evang. Geistl. Würtemb." v. Klaiber. 3. H. 1829. coll. Lit. Anzeiger v. Tholuck. 1830. Hall. p. 127. — Pariter haud putandum, Jesum Matth. V. 39. dicentem: „Ego autem dico vobis: non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et

4. Docet, an praeter sensum immediatum etiam mediatus certo loco sit admittendus. Scilicet prout ver-

---

alteram," sectatoribus omnem sui defensionem absolute prohibere voluisse, et praecipere, ut iniuriis coece se exponerent. Corrigit enim opinionem Judaeorum, qua illi poenae talionis in V. F. permissionem in officium morale convertebant; sic si quis oculo, dente, vel vita privatus fuisset: parem laesionem laedenti inferre, non per ius licitum, sed ad officium pertinere opinabantur; unde pro fervida et vindictae cupida orientalium indole factum est, ut inimicitiae in decimam etiam progeniem protraherentur. In oppositionem itaque tristium harum sequelarum docet Jesus, satius esse, iniuriam etiam iterato perferre, quam semet defendendo aut vindicando, praebere occasionem simili inimicitiae; quod proverbiali sententia exprimit. — Ita etiam verba Jesu, discipulis ad praedicandum emissis, dicentis Luc. X. 4. „Neminem per viam salutaveritis," restringenda sunt ad salutationes, apud orientales receptas, quae fiebant prolixa apprecatione, non sine multis corporis flexionibus, osculis, et amplexibus; nam his discipuli in via diutius detenti, atque in munere docendi impediti fuissent. — Ex adverso illud Deut. XXV. 4. „Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas," Paulus 1 Cor. IX. 9. — 1 Tim. V. 17. 18. recte etiam ad honorarium, Evangelii ministris debitum, extendit. Consilium enim legislatoris non tantum ad boves, verum ad omnis generis operarios, et quosvis bene merentes spectavit; quum tota lex ad Judaeorum animos aequitati et misericordiae assvefaciendos, hominesque, quibus alii ministris uterentur, a duritie et iniuria praeservandos comparata fuerit. — Denique dum Jesus Mar. I. 44. leproso, postquam eum sanasset, legitur prohibuisse, id divulgare, prohibitio haec non absolute sed relative sumenda est: Jesus enim tantum voluit, ut sanatus hac de re sileret, donec sacerdotem adivisset, et ab hoc mundus fuisset declaratus; idque ideo, quia metus erat, ne fors sacerdos, ex odio adversus Jesum, leprosum etsi iam sanum, mundum non declaret. Perperam itaque e similibus colligitur, Jesum miracula sua noluisse argumenta eminentioris suae dignitatis haberi. cf. infr. §. 50. nr. 6.

bis, ita etiam gestibus, nutu, et quibuscunque demum actionibus homo mentem suam potest, et quandoque solet exprimere. Si iam soli literae, verbisque auctoris inhaerendo, quin etiam res vel actio descripta aliorsum referatur, vel auctor ipse, vel alius prudens, quem auctor agentem inducit, sibi non cohaereret, et ab imprudentia excusari non posset, vel sano consilio destitutus fuisse censeri deberet: profecto verba sensu mediato sumenda sunt. Sic actionem Jesu, Matth. XXI. 18—20. ficui maledicentis, symbolicam habuisse significationem nemo dubitaverit [109]).

5. Determinat, quaenam orationis partes ad sententiam et mentem loquentis pertineant, quae vero tantum ornatus caussa sint adiecta. Quisque enim cultior non semper nude proponit, quae aliis communicata vult, sed plerumque etiam ornate dicere studet. Qui vero ornatum cum essentiali sermonis argumento confunderet, is absonas interpretationes esset in medium prolaturus. Jam autem, quid ad essentiam sermonis quid item ad ornatum pertineat, nonnisi e scopo auctoris rite cognito, definire licet: quatenus nempe singula dicta cum illo essentialiter cohaerent, et ei respondent, vel salvo scopo abesse, vel aliter esse possunt. Sic Jesus Matth. VI. 25—32. similitudinem, ab avibus et liliis agrestibus repetitam, proponit eo consilio, ut suos a nimia et anxia rerum, ad vitam sustentandam necessariarum, cura avocet; quoniam vero hic fuit scopus Christi: circumstantiae illae de avibus, quod non seminent, neque metant, neque in horrea congregent, — item de liliis, quod non laborent ect. — ad solam elocutionem, non ad sententiam, a Jesu spectatam, referendae sunt. Igitur non licet eas ur-

109) Cf. supr. §. 12. III.

gere, atque sic exponere, quasi Jesus docuisset, neque hominibus opus esse, ut labore sibi victum et amictum procurent, sed divinae confidant providentiae ita, ut ad vitam tuendam necessaria sine proprio labore a Deo exspectent. Jesus enim, allata similitudine, non laborem disvadere, sed auditores suos attentos reddere voluit ad providentiam divinam, atque docere, quod, cum Deus creaturis illis provideat de necessariis, multo magis prospecturus sit hominibus, qui creaturis illis longe sunt excellentiores.

6. E scopo cognoscitur, quod cognitu gravissimum est, an quis propriam mentem aperiat, an ex aliorum loquatur sententia. Ubi nempe constat, loquentem in docendo vel demonstrando versari, e sua sententia, i. e. propria persvasione dixisse censendus est. Nemo enim ingenuus aliquid asserit, praecipit, vel plane argumentis firmat, quod ipse assensu suo non probaret. Qui itaque hoc consilio loquitur, utique suam mentem explicare putandus est, inprimis, si sententiam suam nonnihil uberius exponat, si eam argumentis confirmet, adversus obiectiones vindicet ect. sicque sententiae suae exponendae immoretur [110]). Sic e. g. Matth. XXII. 23—33. Jesus Sadducaeos, qui doctrinam de animorum immortalitate et corporum resurrectione, e lege Mosis de iure leviratus, absurditatis convincere nitebantur [111]), veritates has ita edo-

---

[110]) Talis locus pro vera loquentis sententia cognoscenda dicitur locus classicus.

[111]) Argumentabantur autem hunc fere in modum: Moses tulit legem de iure leviratus, vi cuius debuit ect. Deut. XXV. 5—10. — iam si mortui in vitam redibunt, necesse est, ut mulier, quae his in terris, diversis temporibus, nupta fuit viris pluribus, tunc post resurrectionem, uno eodemque tem-

cet, ut ante omnia v. 29. asserat, eos errare, dum alteram vitam negarent, tum v. 30. solvit difficultatem, ab illis propositam, denique v. 31. 32. assertum suum confirmat effato ex Exod. III. 6. desumto: „Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob"; unde mox consequentiam deducit: „Non est Deus mortuorum, sed viventium", ac si diceret: quoniam Deus ipse dicit, se esse Deum Abrahami J. et J. — i. e. Deum, quem Abraham, J. et J. colunt, vel Deum, qui Abrahamo, J. et J. beneficia confert: necesse est, ut illi actu vivant, secus enim neque ipsi Deum amplius colere possent, neque Deus ipse beneficia ipsis conferre. Dum itaque Jesus sententiae huic de immortalitate et resurrectione exponendae coram Sadducaeis, veritates has negantibus, immoratur, utique propriam mentem exposuisse, non autem erroneis coaevorum opinionibus se accommodasse, censendus est.

Ex adverso, ubi interpres scit loquentem e concessis disputare, aut ad hominem (*κατ' ανθρωπον*) argumentari, aut in refutando vel illustrando versari,

---

pore, nupta sit viris pluribus illis, vel si eorum tantum unius esset uxor, reliqui citra culpam uxore carebunt, orienturque rixae et odia; talem vero absurdam legem Moses ferre non potuit, ergo, Mose ipso auctore, nulla est mortuorum resurrectio. Jesus respondit: ubi in vitam redierint mortui, neque uxores ducent, neque nubent, sed erunt Angelis similes, i. e. immortales, neque proin procreatione sobolis opus erit, nec coniugia appetent, habebunt enim naturam perfectiorem. Denique, quoniam Sadducaei ad Mosen provocarunt, Jesus quoque v. 31. 32. ait: auctore Mose, professus est Deus, se Deum esse A. J. et. J. ergo necesse est, ut hi vivant, ergo Moses non negat alteram vitam. — Cf. Über d. Auferstehung der Todten, in theol. Zeitsch. v. Frint, 2. Jgg. 2. B. 1814. p. 8. ss.

eo ipso intelliget, eum non semper e sua, sed saepe ex aliorum sententia loqui. Simili enim in casu loquenti non tantum licet [112]) alterius uti persvasione, sed et finem suum plerumque felicius certiusque obtinet, si semet aliorum sententiis accommodet, et e principiis, tamquam praemissis, argumentetur, quae quidem non ipse, sed adversarius vera habet, quam si tantum argumentis absolute veris utatur. Quae igitur simili in casu a loquente argumenta proferuntur, ea saepe ideo tantum, quod ad finem certius obtinendum idonea sint, non vero semper ita dicta censeri debent, quasi ipse loquens ea vera habuerit. Hoc discrimen omni quidem, sed inprimis biblico interpreti sedulo attendendum est, ne fors, eo neglecto, opinionem quamdam Auctori S. ceu propriam falso adscribat. Hinc dum Matth. XII. 26. Jesus ait: „Si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est, quomodo ergo stabit regnum eius"? minime putandum est, Eum quoque illam fovisse opinionem, qua Judaei, regnum satanae commenti, arbitrabantur, daemones vi daemonum potentiorum ad aliqua praestanda cogi posse. Protulerat enim verba haec, ut se adversus criminationes adversariorum, acsi in foedere esset cum Beelzebub, defenderet, sicque eos refutaret: quare ea non e sua, sed de Judaeorum sententia dixisse censendus est; sensusque eorum huc redit: Concordia conservatur respublica quaevis salva, discordia diruitur. Si princeps geniorum malorum me, ut vos dicitis, adiuvaret in expellendis geniis malis, qui permissu ipsorum principis corpora hominum invaserunt, ille secum ipse discors esset, vim suam ipse frangeret, dissidiis regnum ipsius, de quo vos multa commenti estis, dirueretur.

112) Velut evincit Storr l. c. (n. 53.) t. I. p. 62. ss.

Est ergo argumentum ab absurdo, quo Jesus adversarios suos refutabat.

7. E scopo, quem signanter Evangelistae libros suos conscribendo sibi praefixum habuerunt, intelligitur, quam graviter peccent interpretes, qui Jesu miracula, ab illis relata, naturaliter exponere student; cum tamen ipsi SS. Auctores, velut ex universa Evangeliorum conformatione apparet, de veritate miraculorum horum intime sibi persvasum habuerint, eaque, tamquam vera miracula [113]), eo scopo referant, ut lectoribus de Messiana et divina Jesu dignitate persvaderent. Itaque interpres, qui illa eo non obstante, naturaliter explicat, ipse secum pugnat: qua talis enim, si muneri respondere velit, in id eniti debet, ut verba eo sensu exponat, quem auctor intendit; qui secus agit, sensum infert, non effert, adeoque iam non est interpres [114]).

§. 26.

F o n t e s.

Cognoscitur consilium orationis [115]):

1. E diserta auctoris declaratione: quandoque nempe ipsi auctores, quo fine librum suum exarave-

---

[113]) Quod ipse D. F. Strauss, infensus veritatis Evangelicae hostis, passim agnoscit im Leben Jesu, kritisch bearbeitet, Tübg. 1837. ed. 2. sic. e. g. ad Matth. VIII. 23—7. haec notat t. II. p. 179. „So, wie die Evangelisten uns den Vorgang erzählen, müssen wir in demselben ein Wunder erkennen".

[114]) Ceteroquin alia est quaestio, an auctor etiam fide historica dignus sit? sed et id certum est, Scriptorum N. F. fidedignitatem tot tantisque commendari argumentis, ut de ea profecto nemo prudens dubitare possit. cf. Introduct. in N. F. n. 18.

[115]) Quem scopum SS. Scriptores libris suis praefixerint. docetur in Introduct. in LL. SS. itaque adesis opp. cit. n. 18.

rint, declarant, idque vel mox in exordio, uti auctor libri Proverbiorum I. 1—6. et Lucas I. 1—4. vel circa finem, uti Joannes XX. 31. vel utrobique, sic auctor libri Ecclesiastis thema tractandum statim sub initium libri explicat I. 2. quod ipsum sub finem repetit XII. 9.

2. E declaratione implicita, seu e recurrentibus unius generis reflexionibus: solent quippe nonnunquam auctores per decursum orationis easdem facere reflexiones, ut omnino appareat, certam ab illis spectari sententiam, ad quam cuncta reliqua commode referri possunt; quare e talibus reflexionibus scopum principalem facile erui posse, per se liquet. Reflexiones tales occurrunt apud Matthaeum, et frequentius apud Joannem, quae, praescindendo etiam a diserta Joannis declaratione, scopum clare aperiunt [116]).

3. E fidedigna aliorum relatione, et inde enata traditione, quae inprimis in inscriptionibus exhibetur; sed ut his secure uti liceat, inquirere oportet, an non fors argumento libri aut adiunctis historicis adversentur.

4. Ex addita in fine singulae disputationis, sermonis, parabolae aut visionis, conclusione aut explicatione; e. g. Matth. XXV. 13. parabolae de decem virginibus adiicitur: „Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam." Pariter Paulus Rom. III. 28. post longam disputationem addit: „Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis."

5. Ex occasione dicendi vel scribendi: quisque enim prudens librum, sermones, responsaque sua conformare solet adiunctis, quae eum, ut diceret vel

---

[116]) De his quoque cf. opp. cit. n. 18. Idem fere valet de Epistolis, e quarum analysi scopus saepe feliciter eruitur.

scriberet, moverant; haec ipsa ergo rite cognita scopum pandunt.

III. CONTEXTUS ORATIONIS.

§. 27.

Notio, et variae species.

Nexus vocum et sententiarum cum antecedentibus et consequentibus, mutuaque earum ad invicem relatio, dicitur contextus vel series orationis. Prout vero ratio habetur proxime, remote, vel remotius antecedentium et consequentium, etiam contextus, proximus, remotus, vel remotior enascitur. Insuper recte distingvitur contextus a.) logicus, b.) psychologicus, c.) historicus, et d.) opticus; prout nempe membra orationis continuae *a)*. vel logice inter invicem cohaerent, et se habent, ut genus et species, subiectum et praedicatum, partes et totum, caussa et effectus, ratio et consequens, aut etiam sibi opponuntur; vel *b)*. psychologice, pro temporis aut loci adiunctis, vel e similitudinis internae, aut simultaneitatis, aut successionis ratione, per legem associationis idearum coniunguntur; velut dum Jesus Joan. VII. 37. ss. a ritu, quo festo tabernaculorum aqua e fonte Siloam hauriri et super altari effundi solebat, et cui ipse spectator adfuerat, occasionem orationis longioris ad populum habendae sumens, multam ab aqua similitudinem depromsit [117]); vel *c)*. chronologice, pro temporis ratione

[117]) Pariter Joan. IV. 10. ss. ad fontem cum Samaritana constitutus ab aqua, — et 34. ss. a cibo, per discipulos oblato, similitudinem desumsit. Denique sermo Marc. IX. 41—9. plures cogitatus, affinitate iunctos, adeoque ex associatione idearum enatos, exhibet. Inde id commodi accedit interpreti, ut intelligat caussam, cur loquens ab una cogitatione ad alte-

se excipiunt; vel denique *d).* optice, i. e. chronologica successionis ratione neglecta, iunguntur ita, ut obiecta etiam remota et ab invicem distantia, tamquam simultanea sistantur, et, si quae distantiae ratio habeatur, ea nonnisi per colorum tenuitatem, et velut umbram indicetur [118]); obtinet id in visionibus propheticis, in quibus adumbrandis vates saepe a proximis feruntur ad remotiora, omissis interpositis, et rursum ad viciniora redeunt, pro eo, ac haec vel illa vividius eis in prospectu prophetico exhibebantur, animumque eorum vehementius afficiebant. Ita e. g. Zacharias IX. 1—8. de Alexandro M. 9—10. de Messia, 11. ss. de Maccabaeis, et XI. rursus de Messia loquitur. Igitur caveat interpres, ne in vaticiniis ubique ordinem chronologicum obtinere, et ad hunc cuncta exigenda existimet.

Notio vocum et sensus pro diversa contextus ratione diversus est, aut saltem quoad vim et ambitum variat; eapropter, quae quovis loco notio, quis sensus obtineat, e contextu aestimandum: quum omnis prudens notionem et sensum, reliquae suae orationi

---

ram deductus sit, vel cur hoc potius, quam alio loquendi modo usus sit, et cur hanc et non aliam similitudinem usurpaverit, quae omnia magnam interpretationi lucem affundunt.

[118]) Prout nempe in prospectus delineatione, quae fit coloribus, saepe obiecta remotissima, quae obtutum feriant, vividioribus, quam vicina, coloribus pinguntur, et e. g. lucis radiis, eo directis, collustrata sistuntur; quae proin attentionem excitant: ita, quum in prospectu prophetico inter plures eventus futuros, quidam prae ceteris, etiam vicinioribus, obtutum vatis ferirent, hi, in adumbratione visionis, maiori colorum vivacitate distingvuntur, propingviores vero vel praetermittuntur, vel tamquam in umbra collocantur. cf. Jahn l. c. (n. 18.) II. Th. §. 81. p. 368. ss. Ackermann ibid. p. 222.

continuae conformem, minime vero rupugnantem, intendisse praesumatur.

§. 28.

Usus.

Contextus, rite aestimatus, sensum multiplici ratione aperit, nam

1. Vocabulis polysemis notionem, ab auctore intentam, vindicat. Sic, quod Joan. I. 1. „Verbum λογος", non abstracte, de ratione aut sapientia divina, sed concrete, de Jesu, tamquam Deo, mundi creatore, religionis novae et salutis auctore adhibeatur, docent subsequentia, ubi dicitur, eundem λογον, tamquam lucem hominum advenisse in terras, naturam humanam assumsisse, a suis (Judaeis) non fuisse receptum, Joannem Bapt. de eo testimonium perhibuisse, Apostolos vidisse gloriam eius, ect. — Colos. I. 18. Jesus dicitur: „primogenitus et principium"; quid his praedicatis indicetur, explicat sequens: „πρωτευων principatum tenens"; hinc dum Christus v. 15. vocatur: „primogenitus omnis creaturae", minime putandum, eum creaturis annumerari; vox enim „primogenitus" in Scripturis frequentissime indicat summam dignitatem et praerogativam, quam notionem h. l. contextus confirmat, cum vocabulum hoc per aliud synonymum, mox memoratum, nempe πρωτευων explicetur; itaque phrasis tota sic reddenda: omnis creaturae principatum tenens, creator et gubernator.

2. Definit, an dictio proprie, an tropice sit intelligenda. Sic quae Jesus Joan. VI. de carne sua in cibum danda docet, proprie esse sumenda, patet e subsequentibus, dicit enim v. 56. „caro mea vere est

cibus"; scilicet determinationem „vere" haud adiecisset, nisi verba haec proprie intelligi voluisset. — Matth. XXV. 41. „ignis aeternus" mox v. 46. explicatur per „supplicium aeternum". — Verba Joan. XX. 23. „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ect"; proprie, de sacramentali peccatorum remittendorum potestate sonare, docet contextus: praecedentia enim indicant, verbis his munus omnino extraordinarium, vereque divinum Apostolis conferri; nempe verbis v. 21. „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos", Jesu legati creantur; tum, quo legatione hac rite fungerentur, conceditur ipsis Spiritus S. v. 22. „Accipite Spiritum S." his praeparationis instar praemissis, tandem eminentissimum munus, quod qua legati Christi obire deberent, et ad quod rite digneque obeundum Spiritu S. inprimis egerent, explicatur, nempe peccatorum remittendorum vel retinendorum. Est itaque hic nexus cogitatuum intimus arctusque adeo, ut alter ex altero velut necessario fluat [119]). Denique etiam verba Act. II. 4. „Et coeperunt loqui variis lingvis", proprie exponenda esse, nempe discipulos Christi vi divina coepisse loqui lingvis peregrinis, et ipsis antea incognitis, — ex adverso autem interpretationem, qua haec naturaliter, e. g. de fervore et enthusiasmo, quo discipuli Jesu de rebus divinis locuti fuerint, Deumque celebraverint, explicantur, prorsus reiiciendam esse, contextus extra dubium collocat: nam a.) I. 4. ss. praecedit iussio Christi, ne Apostoli Jerosolymis disce-

---

[119]) Cf. G. T. Ziegler, üb. d. Beichtanstalt, in theol. Zeitschr. v. Frint, 1. Jgg. 1. B. 1813. p. 232. ss. — Begründung d. Kath. Lehre üb. d. Beichte, in Zeitschr. für Philos. und kath. Theol. Köln, 1833. 7. Hft. p. 83. ss. — add. supr. §. 25. 2.

derent, „donec Spiritu S. baptizarentur", seu iuxta Luc. XXIV. 49. „donec induerentur virtute ex alto;" promittitur ergo aliquid extraordinarii, divinaeque efficaciae, — b.) praecedit quoque v. 3. insolitum phaenomenon, nempe lingvae, tamquam ignis, dispertitae supra singulos apparentes, — c.) additur v. 6. multitudinem hominum, dum Apostolos variis lingvis loquentes audiret, rei novitate perculsam, et prae stupore sibi ereptam fuisse; quod quidem ab incredulis Judaeis nemo exspectaverit, si tantum patria lingva quamcunque fervide orassent Apostoli, — d.) v. 8—11. mentio fit praecipuarum nationum exterarum, quarum idiomata prorsus diversa erant ab idiomate Apostolorum, diciturque, omnes hos diversarum nationum et lingvarum homines audivisse suis ipsorum lingvis celebrasse Apostolos magnalia Dei, — e.) ipsum illud effugium ridiculum, quo quidam v. 13. se recipiunt, dicentes, Apostolos musto plenos esse, manifesto est indicio, prodigium adeo fuisse apertum, ut nulla veri specie seu negari, seu naturaliter explicari posset; unde satis fuit Petro v. 15. animadvertere, esse primum horam diei tertiam, seu nostram nonam matutinam, ipsum nempe illud tempus, quo Judaei ad orandum in templo convenire solebant, et ante quod religiosiores ne cibum quidem capiebant, eo magis ergo incredibile esset, quemquam eo impudentiae prolabi, ut ebrius hoc tempore ad templum compareat, — f.) Petrus v. 16—18. eventum hunc iuxta Joelis prophetiam divinae virtuti tribuit, qui certe maxime scire debuit, naturali ne, an extraordinaria facultate utatur, — g.) denique v. 41. legitur, hoc eventu, auditoque Petri sermone commotos 3000 homines e praesentibus

ea die Christo nomen dedisse, quem tamen ante 52 dies inter latrones crucifixum noverant [120]).

3. Dictionibus ambiguis lucem affundit. Sic. e. g. quod עֶבֶד יְהוָה „servus Dei," qui Jes. LII. 13 — LIII. 12. adumbratur, non sit vates ipse, nec (collective) populus Judaicus, seu universus, seu pars eius melior et proba, poenam exilii tolerans, sed Messias docet contextus, in quo de hoc servo Dei talia praedicantur, quae soli Jesu Messiae conveniunt tam accurate, ut ab ipso depromta esse videantur: e. g. servum hunc, innocentem, iudicio oppressum, violentam mortem ob peccata aliorum aequo animo imo sponte perpessum, apud divitem sepultum, nihilominus longaevum, summaque dignitate illustrem fore, et innumerabiles asseclas habiturum, — sine vi et artificio nulli alteri accommodari potest, in Jesu autem sensu plano et facili locum habet. — 1 Tim. III. 15. „Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum (μυστηριον), quod manifestatum est in carne ect."; quod h. l. „columna et firmamentum veritatis," non de mysterio incarnationis, sed de Ecclesia dicatur, patet e praecedentibus, ubi Ecclesia etiam domus Dei dicitur [121]).—

[120]) Etiam usus loquendi exposcit, aut saltem admittit, per ἑτερας γλωσσας significari „lingvas peregrinas," et quidem coll. locis parall. (v. infr. §. 32. nr. 2.) extraordinario modo obtentas; ex adverso, quominus ἑτερᾳ γλωσσᾳ de enthusiasmo ect. exponi queant, usus loquendi evidenter repugnat. — Cf. d. Sprachengabe d. Apostel in d. (kath.) theol. Quartalschr. v. Drey ect. Tüb. 1828. 3. H.

[121]) Monet quidem Cl. Jahn, Enchir. Hermeneut. Gen. Vien. 1812. p. 53. hanc explicationem contextui non congruere, cum Ecclesia iam dicta sit domus Dei, hincque non possit si-

Denique contextus illustrat etiam, varie a variis expositam, narrationem de insania Nebucadnezaris (Nabuchodonosori), docetque, Dan. IV. nonnisi regis hujus amentis et in feritate sordescentis, qui nempe, cum se in belluam mutatum esse opinaretur, more bestiarum vivebat, exhiberi imaginem, de bovina autem metamorphosi prudenter necquidem cogitari posse [122].

mul etiam columna diei; ast his parum movebitur, qui adverterit, haec duo praedicata de Ecclesia sub diverso respectu adhiberi, non enim dicitur domus Dei, et columna Dei, sed domus Dei et columna veritatis: hinc alii asserunt contra Cl. Jahn, dictionem „columna et firmamentum veritatis," non congruere mysterio incarnationis, quod non veritatis columna est, sed ipsa veritas. cf. Speranza l. c. (n. 85.) p. 70. * — Paralipomena reflex. sup. exeg. Sabar. 1817 p. 598.

[122]) Quidam scilicet eum in bovem, ungulas et cornua gerentem, transmutatum fuisse existimarunt inducti verbis v. 22. „Foenum ut bos comedes," ac v. 33. „Et figura mea reversa est ad me." Sed si conferantur verba v. 13. „Cor eius ab humano commutetur, et cor ferae detur ei;" apparebit, hic sermonem esse de sola regis amentia; *cor* enim ponitur saepe pro anima, ejusque facultatibus, intellectu, iudicio cet. Hinc ipse rex, sibi restitutus, v. 33. ait: „Sensus meus (מַנְדְּעִי idem cum מַדַּע iuxta LXX. *συνειδησις conscientia*, *mens*, *scientia*, a radine יְדַע scivit, novit) i. e. ratio, intellectus meus reversus est ad me." Quod autem attinet illud v. 33. „Figura mea reversa est ad me," id iuxta fontem vertendum est: decor et splendor meus reversus est ad me: nam זִיו significat *splendorem*, et de facie usurpatum, hilaritatem, nitorem exprimit; Theodocion, cuius versionem in Daniele prae illa LXX. adoptavit Ecclesia, זִיו vertit *μορφη*, *forma*, i. e. venustas vultus; ut adeo rex, ad se reversus, v. 33. nil aliud exprimat, quam, depulso feritatis squalore, pristinam speciem, venustatem ac decorem rediisse; quare praemittit: „Et ad honorem regni mei, decoremque perveni;" cum nempe prius, iuxta v. 30. ubi squalor ille per tempus amentiae regis describitur, in vivario forte com-

4. Manifestat, quibus terminis voces vel formulae circumscribendae sint, pro eo nimirum, ac latius vel angustius sumtae seriei orationis conveniunt. Sic Joan. X. 30. dictum Jesu: „Ego et Pater unum sumus," non esse ad notionem unionis moralis restringendum, patet ex immediate praecedentibus v. 28. 29. ubi Jesus eandem sibi cum Patre potentiam tribuit, clarissimo indicio, verba illa de unione essentiali sonare. At Act. II. 5. „Ex omni natione, quae sub coelo est," non pro omni sua vi sumendum esse, docet sequens v. 9. ubi nationes, quae praesentes fuerant, enumerantur.

5. Docet, quaenam e pluribus similitudinibus, quae obtinere possunt, certo loco spectata sit. Sic Matth. V. 13. „Vos estis sal terrae," sal imaginem eius

moratus, rore sordibusque infectus fuisset, et, neglecta corporis cura, capilli eius ad similitudinem plumarum aquilae, ungves autem ut in avibus crevissent, sicque nihil omnino antiqui splendoris et dignitatis retinuisset. Omnia ergo indicant, tantum animum regis fuisse turbatum, ita, ut, se bovem esse, existimaret, ideoque etiam herbam carperet, etsi haud opus est, sumere, eum hac velut cibo vixisse. S. Hieronymus Opp. omn. tom. 5. ed. Vallarsi, Veron. 1736. p. 644. Comm. in Dan. IV. 1. ita scribit: „Historia manifesta est et non magna interpretatione indiget, quod ad offensam Dei Nabuchodonosor versus in amentiam, septem annis inter bruta animalia vixerit." et ad v. 31. p. 650. „Quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit, non formam se amisisse, sed mentem." — S. Joan. Chrysostomus in Dan. IV. Opp. tom. 6. ed. Montfaucon Paris 1724. p. 226—8. haec notat: „Nec corpus illius in bestiae naturam mutavit: sed illud, quo ab irrationalibus distabat, in feritatem transtulit." — — „Non enim utique formam mutavit." — — „Non in bestiam conversus fuerat." — Ita etiam C. Sanctius, J. Maldonatus, E. Sa, G. Estius, J. Menochius, J. Tirinus, Calmet ect. cf. qq. Ackermann l. c. (n. 17.) p. 221.

esse, quod virtutem habet, a corruptione conservandi, adeoque h. l. a corruptione morali, nempe per doctrinam veram; Colos. IV. 6. „Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere," sal eius esse imaginem, quod virtutem habet condiendi, seu svaviter afficiendi animum; item lac modo esse imaginem tenuitatis, et in specie quidem, minus perfectae doctrinae, uti Hebr. V. 12. „Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo," modo imaginem puritatis, velut 1 Petr. II. 2. „Sicut modo geniti infantes rationabile, sine dolo, lac concupiscite," — contextus docet.

6. Pandit ellipses, quae cogitando supplendae sunt. Sic in effato Christi Matth. VI. 24. „Nemo potest duobus dominis servire," subintelligendum esse „contraria iubentibus," sequentia docent; loquitur enim de Deo, et nimia divitiarum cupiditate [123]).

7. Quamdam contextus rationem praeseferunt etiam subiecta et praedicata, item vocabula disiunctiva et opposita, nec non membra parallela, quae parallelismum poeticum [124]) dicimus; eapropter haec non incommode h. l. recensentur, et eo quidem opportunius, quod eorundem examen sensui vero eruendo egregie inserviat. Itaque

a). Quoniam talia debent esse subiecta, qualia a praedicatis edicuntur, adeoque sensus, praedicatis

[123]) E contextu illustratur etiam illud Luc. IX. 62. „Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei;" i. e. sicut is, qui manum ad aratrum ponit, et retro respicit (non vero coram se), agros negligenter colit; ita nec in Messiae disciplina multum proficiet is, qui eam vix ingressus, ad terrena, quibus paullo ante valedixit, rursus revertitur.

[124]) De quo vid. inf. §. 31.

unice conveniens, verus est; in comparatione subiectorum et praedicatorum sequens regula observanda: subiecti notionem determinat praedicatum, et vicissim; consulenda ergo indoles praedicati, ut intelligatur, quid significet subiectum, et vicissim. Una hac regula explicantur, quaecunque de Deo praedicantur more humano, qualia sunt: „descendere, videre, olfacere, irasci" ect. vel dum magistratus dicuntur dii [125]. — Ubi praeter subiectum et praedicatum etiam aliae partes orationis occurrunt, uti casus obliqui, adverbia, aliave: inde felicius adhuc cognoscitur, tum quae cuivis termino in data constructione potestas sit subiicienda, tum quibus limitibus tam singulae voces, quam integra dictio circumscribenda sit. Talia enim non alio fine adiiciuntur, quam ut notio subiecti et praedicati accuratius determinetur. Sic. e. g. Joan. VI. 56. ubi ait Jesus: „Caro mea *vere* est cibus, et sangvis meus *vere* est potus," adverbium „vere" haud dubie maioris vis et determinationis gratia adiectum est. — Matth. V. 3. in sententia: „Beati pauperes spiritu," additum „spiritu" docet, non pauperes conditione, sed eos, qui tenuiori religionis cognitione imbuti, huiusque tenuitatis sibi conscii sunt; adeoque humiles, modestos, praedicari beatos.

b). Quoad disiunctiva seu opposita haec tenenda: quot modis variat una oppositorum pars, totidem variat

---

[125]) Hac via in Epistolis Pauli eruendum, quae scripta sint Christianis nuper Judaeis, quae vero Christianis nuper paganis, aut quae utrisque. Ubi nempe legitur: „vos quondam fuistis cultores idolorum," ea pertinent ad Christianos, ex ethnicismo conversos; ex adverso ea recte censentur Judaeo-Christianis destinata, ubi legitur: „vos habuistis legem, promissa" ect.

etiam altera; e. g. „רוּחַ πνευμα spiritus," multis modis variat, totidem „בָּשָׂר σαρξ caro;" ubi spiritus est „invisibile," ibi caro „visibile," ubi spiritus est „potens, praestans, perfectum," ibi caro „infirmum, caducum, imperfectum," ubi spiritus est „moraliter bonum," ibi caro „moraliter malum." — Hinc in N. F. religio Mosaica, quippe imperfectior illa et tenuior, cum doctrina Christiana comparata, dicitur caro, haec vero spiritus; e. g. Gal. III. 3. „Sic stulti estis, ut cum spiritu (perfectiori doctrina Christi) coeperitis, nunc carne consummemini"? (i. e. ad ritus miseros, religionem Judaicam, imperfectiorem illam redibitis.) — Item: si una oppositorum pars intelligatur, clara quoque erit altera, quod enim praedicatur de una, id ipsum in opposititione praedicatur de altera; itaque constituatur accurate alterutra disiunctivorum pars, et eo ipso altera quoque lumine perfundetur e. g. Jes. XXXI. 3. improbatur consilium Hebraeorum, suppetias in Aegypto quaerentium, diciturque, quod Aegyptiorum equi seu exercitus sint caro (impotens), et non spiritus (potens). — Joan. III. 6. „Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est e spiritu, spiritus est"; i. e. natus ex homine, homo est, humanam refert indolem, infirmus est et imbecillis: qui vero doctrina coelesti illustratur, vi divina sanctificatur, sicque spiritualiter velut regeneratur, is firmior est et perfectior.

c.) Quum membra parallela pleraque sint vel synonyma vel opposita: intellecto altero, alterum quoque intelligitur, e. g. Ps. XCVI. 11. „Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia"; quod h. l. „אוֹר lux", sit sors laeta, ostendit respondens in sequenti membro „שִׂמְחָה gaudium". — Luc. I. 79. „Illuminare his, qui in tene-

bris et umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis"; quod h. l. „*σκοτος και σκια θανατου*, tenebrae et umbra mortis," sit miseria summa, indicat oppositum in altero membro, nempe „*ὁδος ειρηνης*, via pacis," i. e. vita, conversatio, sors, prospera.

§. 29.

F o n t e s.

Cognoscitur contextus ex exordiis et clausulis orationum; e formulis, sermonis initium declarantibus; ex unitate consilii, item ex identitate facti, loci, et personarum. Divisiones vero Bibliorum in capita et versus haud semper genuinus fons cognoscendi contextus haberi possunt, cum non ubique sint accuratae.

§. 30.

C a u t e l a e.

In explicatione, e contextu petenda, cavendum:

1. Ne per artificium seu criticum seu hermeneuticum [126]) ibi extorqueatur nexus, ubi nullus est.

2. Ne sententiae alio in nexu, vel alio in gradu, quam revera obtinet, cohaerere praesumantur.

3. Ne contextui aut iusto maior, aut iusto minor vis tribuatur.

---

[126]) Artificium criticum est mutatio lectionis in textu contra fidem codicum, et sine ullo veterum testimonio suscepta, ut nexus sermonis procuretur, — hermeneuticum vero iam sectatur significationes et structuras rariores, ficto nexui faventes, iam doctam subtilitatem et accuratiam supponit in scriptoribus illiteratis, quales sunt maximam partem biblici, qui plana secuti sunt, et haud raro fragmentis potius orationum colligendis acquieverunt, quam ut quamlibet earum pro omni suo ambitu describerent, — neutrum itaque fas est.

4. Ne ubique accuratus nexus logicus quaeratur, nam e. g. in Psalmis, qui preces aut querelas continent, nexus talis perperam praetenditur; qui enim precantur, aut animum in querelas effundunt, raro, quae sentiunt, iuxta omnem logicae ακριβειαν proponunt. Similem ob caussam nec in epistolis semper anxie investigandus est nexus, neque enim sic in uno semper eodemque versantur argumento, ut omnia intime cohaereant.

5. Ne ellipsis in contextu supplenda fingatur, sine necessitate, aut plane, quae planis auctoris verbis contraria sit [127]). Denique

6. Ne in consulendis antecedentibus et consequentibus intra paucas lineolas subsistat; oportet enim saepe integram pericopam attente relegere, et contextum etiam remotiorem conferre, cum frequenter nonnisi inde plena lux dictis affulgeat. Sic e. g. hac via facile evincitur, Ps. CIX. Messiam non tantum qua regem, adeoque hominem, sed simul etiam ceu Deum adumbrari: nempe v. 1—4. exponit Psaltes effatum Jehovae ad illum regem, quem ipse v. 1. vocat „dominum suum," et quem Jehova ad dexteram suam sedere iubet; idem autem rex v. 5. vocatur אֲדֹנָי seu Dominus per eminentiam, quae nomenclatio nunquam

[127]) Contra hoc monitum non pauci e recentioribus vehementer peccant, miraculorum narrationibus tot taliaque adiuncta, ex ingenio efficta, instar supplementi adiungendo, ut eas in meras eventuum naturalium descriptiones transforment. Dr. Paulus l. c. (n. 73.) permulta audacium huiusmodi ellipsium tentamina exhibet; cf. e. g. eius explicatio pericoparum de cibatione 5000 hominum, de traiectione lacus Genesareth inter turbinem, de sanatione coeci nati, de resuscitatione Lazari ect. Ast omnium gravissime contra monitum hocce peccavit Barth.

creaturae, sed tantum soli Deo tribuitur, ut adeo rex hic una etiam verus Deus praedicetur [128]); id quod subsequa quoque postulant, quaeritur enim, quale sit v. 6. et 7. subiectum, an Deus, an vero rex ille, de quo v. 1. sermo est: Deus subiectum esse non potest, huic enim nullatenus convenit, quod v. 7. dicitur, nempe: „De torrente in via bibet (victor), propterea exaltabit caput," est profecto haec loquendi ratio contra omnem analogiam, quam SS. Scriptores in suis de Deo loquendi formulis tenent; — si autem v. 6. et 7. sermo est de rege illo, cuius v. 1. facta est mentio, et hic nudus purusque homo supponitur, huic non congruet v. 6. ubi dicitur: „Judicabit inter nationes ect." sistitur ergo rex hic iudex inter nationes belligerantes, seu, iuxta biblicum loquendi usum, qui lites belligerantium per victorias et clades dirimat, gentes puniat, iam vero omnia haec in Bibliis constanter Deo sum-

[128]) Neque enim excipi potest, quod v. 5. „Dominus a dextris tuis confregit in die irae suae reges," commode de ipso Jehova explicari queat, phrasisque tota exprimere possit tropice auxilium in bello praestandum regi illi, de quo v. 1—4. sermo est; etiamsi enim phrasis haec: „esse ad dexteram alicuius," de Deo in Bibliis sine relatione ad contextum ita intelligi queat, in hoc tamen contextu eo minus sic sumi potest, quod Deus ipse v. 1. regem illum ad dexteram suam sedere iubeat, deberet ergo idem rex ad dexteram Dei sedere et simul non sedere; v. 1. enim ad dexteram Dei sedere iussus, hic v. 5. (si Adonai non rex ille sed Deus est) ad sinistram Dei compareret, adeoque ad dexteram et sinistram simul, quod repugnat; nec obstat, quod in stilo poetico, amplior libertas dominari soleat, neque enim licentia haec eo usque urgeri potest, ut in uno eodemque contextu contradictoriae imagines adhibeantur; itaque אֲדֹנָי v. 5. est rex ille, sensusque est: Adonai (Dominus) ad dextram tuam (sedere iussus) concutiet die irae suae reges.

mo tribuuntur, unde apparet, h. l. regi illi opus divinum tribui, ut adeo, si contextus omnis consulatur, regis, hoc Psalmo descripti, dignitas, humana altior, necessario sit agnoscenda, proinde v. 5. nomine אֲדֹנָי summo Deo proprio ipse hic rex indicatur [129]).

IV. LOCA PARALLELA.

§. 31.

Notio et divisio.

Ubi adminicula, e continua oratione depromta, ad sensum inveniendum non sufficiunt, conferenda sunt varia eiusdem vel diversorum scriptorum loca [130]), quae ab invicem quidem distant, similia tamen sunt, quia vel eaedem voces aut phrases, in simili orationis contextu, atque eodem significatu occurrunt, vel quia eadem res, aut historia, aut doctrina exponitur. Atque talia loca in praesenti disciplina vocantur loca parallela; ipsa autem horum locorum similitudo, eaque mutua ratio, qua se invicem illustrant, dicitur parallelismus. Quoniam vero loca similia esse possunt vel quoad verba et dictiones, vel quoad res: duplex oritur parallelismus, verbalis nempe et realis. Realis distingvitur in historicum et didacticum, prout nimirum utroque loco idem vel narratur vel docetur. Praeter has species commemorandus est etiam parallelismus

---

[129]) Lege eruditionis plenam Psalmi huius expositionem, quam exhibet J. Jahn, in Append. Herm. fasc. 1. Vien. 1813. p. 73—104.

[130]) Atque nonnisi ob nexum hunc, quo parallelismus contextui iungitur, doctrina de parallelismo h. l. statim subiungenda videbatur, quae secus, ordine fors meliori, ultimo loco proponenda fuisset.

membrorum seu poeticus [131]), qui est series continuata aliquot commatum invicem iunctorum, eandemque rem variis e partibus ita spectantium, ut verba verbis, res rebus respondeant. Estque vel synonymus, dum una sententia duo habet hemistichia, quorum in posteriori argumentum prioris aliis verbis, idem fere significantibus, repetitur; e. g. Ps. II. 3. „Dirumpamus vincula eorum — et proiiciamus a nobis iugum ipsorum. 4. Qui habitat in coelis irridebit eos — et Dominus subsannabit eos"; — vel antitheticus, dum alterum membrum affirmativum, alterum negativum est aut oppositum; e. g. Ps. I. 6. „Quoniam novit (probat) Dominus viam iustorum — et iter impiorum peribit"; Luc. I. 52. s. „Deposuit potentes de throno — et exaltavit humiles; esurientes replevit bonis — et divites dimisit inanes".

Ceterum ratio, cur loca parallela in interpretatione in subsidium vocari et possint et debeant, in promtu est: vel enim loca talia sunt unius eiusdemque scriptoris vel diversorum; in primo casu idem valet principium, cui collatio contextus innititur, nempe: nemo prudens, gravis, ac sanae mentis praesumitur pugnantia loqui aut scribere, nisi in retractando versaretur. Igitur si de eadem re in pluribus locis agit, aut iisdem vocibus, iisdemque dictionibus utitur, — si in uno loco ambiguitas aut obscuritas aliter tolli nequeat, optimo iure in subsidium vocari potest ac debet alter locus, in quo eadem vox vel phrasis eodem significa-

---

[131]) Erudite, uti solebant, de hoc egerunt R. Lowth, de poesi s. Hebraeor. ed. J. D. Michaelis Gott. 1770. — G. Herder v. Geist d. hebr. Poesie, Dessau 1782. — Jahn l. c. (n. 17.) 1. Th. 1. B. p. 442. — add. Glassius l. c. (n. 55.) p. 168—74. 381—96. — De usu autem parall. poet. v. supr. §. 28. nr. 7. c.

tu, aut eadem res occurrit, dummodo locus hic clarus, omnique difficultate expeditus sit; quilibet enim optimus est verborum suorum interpres. Si vero loca parallela sint diversorum scriptorum, quatenus de eadem re eadem, etsi clarius vel fusius, dicunt, aut voces vel phrases eodem significatu usurpant, eatenus iisdem notitiis imbuti, et pro eo non diversi sed iidem censendi et idonei testes, cognoscendi usus loquendi intuitu earundem vocum et phrasium, habendi sunt; quorum utrumque de Auctoribus SS. per eminentiam valet.

§. 32.

U s u s.

Loca parallela sequenti ratione sensus cognitionem promovent:

1. Docent, quae in vocibus polysemis significatio prae ceteris sit adoptanda; e. g. Jes. VII. 14. „Ecce *virgo* concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel," — vocem „עַלְמָה, *abscondita*, *occulta*, *adolescentula*, *puella*, *virgo*, domi adhuc latitans, neque nuptum educta," nequaquam solummodo *aetatem*, sed *statum virginalem* designare, patet e parallelismo; quoties enim vox haec alias occurrit, toties puellam innuptam virginem significat: sic legitur Gen. XXIV. 43. de Rebecca virgine, — Exod. II. 8. de iuvencula Mosis sorore, — Ps. LXVII. 26. de virginibus pulsantibus tympana, — Cant. I. 2. VI. 7. de virginibus, quae maritatis opponuntur, — Prov. XXX. 19. [132]) de virgine, quae saltem communi opinione talis

[132]) Ubi inter quatuor imperscrutabilia refertur „via viri בְּעַלְמָה in virgine vel ad virginem," qua phrasi denotantur furtivi et clandestini amores et congressus; quos vir cum puella

est. Quum igitur vox haec semper denotet virginem innuptam, etiam Jes. VII. 14. ita sumenda est, neque proin audiendi sunt, qui ea universim quidem „feminam iuvenem, sive nuptam sive innuptam," in specie vero l. c. uxorem seu Prophetae ipsius, seu regis Achaz significari asserunt. — 2 Sam. VII. 16. „Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in *aeternum* ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter;" ubi vocem עוֹלָם in se ambiguam de tempore, homini, abscondito, tam finito quam infinito, adeoque iam de vera aeternitate, iam de longiori temporis spatio adhiberi solitam, h. l. tempus *perpetuum* significare, atque familiae David regnum omnino perpetuum promitti, liquet e circumscriptione, qua vox haec Ps. LXXXVIII. 36—38. ubi idem promissum recurrit, illustratur: dicitur nempe h. l. quod Deus super eo, semen Davidis mansurum in aeternum, per sanctitatem suam iuraverit; additurque, thronum David fore, donec sol et luna futura sunt.

2. Indicant, an voces vel formulae proprie vel improprie sint intelligendae; e. g. formulam „variis seu peregrinis lingvis loqui," Act. II. 4. sumendam esse proprie, atque vana esse omnia illa artificia, quibus recentiores quidam donum lingvarum extraordinarium subruere nituntur, praeter alia [133]) etiam parallelismus evidenter ostendit. Nam Jesus Marc. XVI. 17. pomittit, quod ii, qui in Ipsum credituri essent, praeter alia singularia dona etiam facultatem peregrinis lingvis loquendi obtenturi sint, atque donum lin-

adhuc domi (pro more orientalium ditiorum) sedulo custodita, innupta, atque hactenus intacta exercet, nemine praeter amantes conscio, dum interea illa virgo habetur.

[133]) vid. supr. §. 28. nr. 2.

gvarum in numero aliorum donorum supernaturalium recenset, dicens: „Signa (miracula) autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, lingvis loquentur novis; ect" — Act. X. 44—46. legitur *Spiritum S.* cecidisse in Cornelium eiusque socios, eosque lingvis peregrinis locutos esse; quare Petrus mox XI. 15. profitetur, in paganis, nempe Cornelio et sociis, vim divinam operatam esse eodem modo, quo olim, die Pentecostes, in Apostolis; — insuper Paulus donum hocce lingvarum 1 Cor. XIV. 22. ceu singulare argumentum celebrat, e quo infideles veritatem religionis Christianae agnoscere possent; debuit igitur donum illud fuisse extraordinarium, virtutemque divinam manifeste exhibens.

3. Definiunt, an notio vocum vel sententiarum amplianda, an restringenda sit: ea nempe, atque sic seu limitata seu extensa notio est adoptanda, quae et prouti locis parallelis congruit; sic e. g. promissiones divinas Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. de omnibus gentibus per progeniem Abrahami, Isaaci et Jacobi benedicendis non esse restringendas ad felicitatem mere externam, domesticam et civilem, patet e Gen. XXII. 16. XXVIII. 14. ubi diserte promittitur, progeniem Abrahami portis i. e. urbibus hostium potituram, tum additur, posteros Jacobi aliquando non tantum Canaan possessuros, sed etiam versus omnes mundi plagas erupturos esse; unde patebat, illarum urbium hostilium, et harum regionum finitimarum incolas per posteros Patriarcharum nequaquam externam, domesticam et civilem felicitatem consecuturos, — adeoque promissiones illas minime de hac sola, sed proprie de vera religione, per Semen Patriarcharum ad omnes gentes derivanda, intel-

ligendas fuisse. — Ex adverso effatum Joan. III. 17. „Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum", ad primum Jesu in has terras adventum restringi debet, quum Joan. V. 22—29. Matth. XXV. 31. ss. clarissime doceat, Se aliquando iudicem hominum esse venturum.

4. Voces et phrases obscuras egregie illustrant. Sic quis, qualisque *serpens*, externus protoparentum seductor Gen. III. 1—7. innuatur, clare docent loca parallela, nempe Sap. II. 24. „Invidia *diaboli* mors introivit in orbem terrarum," — Joan. VIII. 44. „Vos ex patre diabolo estis, — ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit [134]). — Mal. IV. 5. (in fonte III. 23.) „Ecce ego mittam vobis *Eliam* prophetam, antequam, veniat dies Domini magnus, et horribilis;" quis sit hic legatus, qui III. 1. promissus fuit, Domino templi viam praeparaturus, h. l. vero Elias, i. e. zelo et virtute Eliae persimilis, adeoque more Eliae, vivendi ratione austerus, severus improborum castigator, et accerrimus morum censor futurus dicitur, clare docet Jesus Matth. XI. 12—14. XVII. 10—13. dicens, Joannem Baptistam esse Eliam, qui venturus erat. — Matth. XXVIII. 20. in effato Jesu: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi," formulam: „ego vobiscum sum," notare „vobis ope, auxilio, praesidio meo adero," liquet e plurimis locis parallelis, e. g. Gen. XXXIX. 3. „*Fuit* Dominus *cum eo* (Joseph), et erat vir in cunctis prospere agens;" — Num. XIV. 9. „Dominus *nobiscum est*, nolite metuere;" — Jos. I. 17. „Sicut obedivimus Mosi, ita obediemus et tibi

[134]) Add. 2. Cor. XI. 3. 14. Apoc. XX. 2. 3. cf. eruditum de hoc obiecto tractatum in Zeitschr. für Philos. u. kath. Theol. Köln 1834. 9. Hft. p. 70. ss.

(Josuae): tantum *sit* Dominus Deus tuus *tecum*, sicut fuit cum Mose;" — quare Joan. VIII. 29. „esse cum aliquo," explicatur per: „non relinquere aliquem solum," i. e. non destituere aliquem auxilio. — Insignis locus Joan. I. 29. „Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi," per parallelismum inexpugnabilis est; nam „agnus Dei" respicit Jes. LIII. 7. et e similibus phrasibus, ut „victimae Domino consecratae, dona Deo sacrata, vel victimae idolis sacrae," patet, esse ovem Deo sacram, et ad victimam destinatam; dein „peccatum" in hac loquendi formula esse „poenam peccati," et integram phrasin: „portare, ferre peccatum vel iniquitatem," nihil aliud dicere, quam „pati poenam iniquitatis aut peccati," liquet e Lev. IX. 5—7. XIX. 7. 8. XX. 17—20. XXIV. 15. Num. IX. 13. XIV. 33. 34. Ezech. IV. 4—6. XIV. 9. 10. — 2 Tim. III. 16. „Omnis Scriptura divinitus inspirata;" vocem *θεοπνευστος* idem significare, ac hebr. „בְּרוּחַ אֱלֹהִים" in spiritu Dei, spiritu divino," quae trita phrasis est de praesidio extraordinario, Prophetis et Scriptoribus SS. collato, — patet e 2 Sam. XXIII. 2. ubi David de se ait: „Spiritus Domini locutus est per me;" Jes. LXI. 1. Vates, Messiam loquentem inducens, ait: „Spiritus Domini super me;" Jesus quoque Matth. XXII. 43. adducens Davidem ait: „Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum" [135]).

---

135) Exod. XXXI. 18. Deut. IX. 10. dicuntur tabulae lapideae, decalogum continentes, *Dei digito* esse scriptae; quae phrasis quomodo intelligenda sit, docet Exod. VIII. 19. ubi magi Aegyptii, dum ciniphes artibus suis producere non valerent, inquiunt: „*Digitus Dei* est hic," innuere volentes, haec potestate, a Deo concessa, esse edita; igitur etiam tabulae lapideae digito Dei scriptae fuisse catenus tantum asseruntur,

5. Non secus etiam e parallelismo reali, quamplurima accedunt interpreti commoda; quodsi namque

quod mandato et auctoritate divina per Mosen fuerint conscriptae, uti id expressis verbis legitur Exod. XXXIV. 28. „Fuit ergo Moses ibi cum Domino 40 dies et 40 noctes, — et scripsit in tabulis verba foederis decem; neque valet exceptio, h. l. sermonem esse de secundis tabulis, quibus Moses ipse verba decalogi insculpserit, cum in prioribus, quas Moses confregerat, praecepta decalogi per Deum scripta fuisse l. cit. dicantur: nam de iisdem secundis tabulis sermo est Deut. X. 2. 4. mandatque Mosi Deus, ut novas tabulas, confractis similes, ad montem ferret, unaque promittit Deus, quod his tabulis eadem inscribere velit, quae prioribus erant inscripta, et v. 4. clare memoratur, Deum illa revera inscripsisse, ubi tamen supr. Ex. XXXIV. 28. Moses de se diserte narrat, a se verba foederis decem in tabulis (secundis) scripta fuisse; nisi ergo quis Mosen sibi contradixisse velit statuere, expositio illa, e loco parallelo, admitti debet. — Matth. XXIV. 15. „Cum ergo videritis abominationem desolationis — stantem in loco S. ect." quid sit „abominatio desolationis," explicatur Luc. XXI. 20. „Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem ect." igitur exercitus Romanorum apud Matt. dicitur abominatio desolationis, quia in vexillis Romanorum conspiciebantur imagines imperatorum, qui deorum numero erant inserti, et quibus cultus divinus exhibebatur, (cf. Sveton. in vita Caii Caligulae C. 14. ed. Mannh. 1787. V. 1. p. 226.); iam cultus diis falsis in templo unius veri Dei exhibitus vere fuit res abominabilis, comissa occasione desolationis templi; sed ipsi etiam gentiles, idolorum cultores, Judaeis abominabiles erant, Act. X. 28. — Hebr. II. 7. „Minuisti eum βραχυ τι paulo minus ab angelis;" haec communiter redduntur: paulo inferiorem angelis eum constituisti; sed βραχυ τι rectius vertitur: „*ad breve tempus* eum (Christum, Deum et hominem) inferiorem fecisti geniis coelestibus, (teste enim Paulo David haec de Christo cecinit); data autem phraseos illius notio confirmatur e l. parall. Act. V. 34. „Jussit foras βραχυ τι ad breve homines fieri." — Jac. II. 17. „ἡ πιστις — νεκρα εστι καθ᾽ ἑαυτην," Vulgata reddit: „Fides — mortua est in semet ipsa;" rectius dixisset: fides *sola* (i. e. ope-

historia vel doctrina altero loco paucis vel obscurius, — altero vero pluribus aut clarioribus verbis, aut cum pluribus adiunctis proponatur: per haec ipsa, prioris illius loci obscuritas illustratur. Et signanter quidem

a.) Parallelismus historicus egregium praestat usum in historia quadam plenius cognoscenda: etenim vix ullus est historiographus, qui omnia facta memorabilia alicuius aevi vel gravioris personae, et multo adhuc minus, qui omnia et singula cuiusvis facti adiuncta enarraret, — nec quivis semper ordinem temporis, sed nonnunquam ordinem materiarum sequitur, — denique rarissimi sunt, qui, nisi sint ad omnem artem compositi, facta in nexu pragmatico sistant; et tamen historiae alicuius notitia tum nonnisi plena atque perfecta censeri potest, si singula facta memorabilia, notabilioraque eorum adiuncta, in chronico et pragmatico suo nexu fuerint cognita: igitur quo plures praesto sunt eiusdem historiae Scriptores, quorum unus rem obscurius, alter vero clarius refert, eo maior quoque affulget spes, mutua eorum collatione suppletum iri defectus, et perfectiorem reddendam esse rei cognitionem. Oportet itaque libros parallelos, uti Libros Regum cum Libris Paralipomenon, item Evangelia inter se perpetuo conferre et alterum ex altero iam supplere iam illustrare. Nam si quis e. g. e quatuor Evangeliis unum tantum, vel, Joanne neglecto, tantum tria priora legeret, is non tantum plurium factorum et dictorum Jesu notitia destitueretur, sed nec ea quidem, quae legit, semper sat clare perspiceret. Sic. e. g. e

ribus destituta) mortua est; phrasin autem καϑ' ἑαυτην revera hanc habere significationem, liquet e l. parall. Act. XXVIII. 16. „Permissum est Paulo manere καϑ' ἑαυτον" sibimet i. e. seorsim, separatum ab aliis captivis."

solo Joannis Evangelio demum intelligitur, cur circa ultimum Pascha subito ingens factus fuerit ad Jesum populi confluxus, eumque solenni plausu ceu regem Messiam salutaverit, atque in urbem cum pompa introduxerit Matth. XXI. — eventus nempe hic cum Lazari resuscitatione tamquam miraculo splendidissimo, quod, a Jesu mox antea patratum, summam omnium attentionem excitaverat Joan. XI. 45—XII. 19. quod vero solus Joannes refert, coniunctus fuit. — Pariter historiae comparatio egregie illustrat quoque Psalmos, Epistolas, similesque libros, aut librorum partes, in quibus allusiones fiunt ad historiam. Inprimis vero Prophetae nunquam fere penitus intelligi possunt sine competentis historiae luce admota: vaticinia enim se habent ad eventum, sicut rudes adumbrationes, quas pictores de obiectis pingendis carbone delineare solent, ad picturam ipsam coloribus plene vestitam: prout iam vero hae demum admota pleniore delineatione penitus clarescunt, ita vaticinia quoque nonnisi historiae lumine admoto plene atque perspicue intelliguntur. Non secus etiam

b.) Parallelismi didactici insignis est usus praecipue in rite constituendis et cognoscendis articulis dogmaticis: si enim plura adsint et conferantur loca parallela, in quibus SS. Scriptores eandem doctrinam, fors e diversa parte spectatam, tractant, et plenior evadet, et accuratius definita dogmatis cognitio; sic e. g. nemo sciet, quosnam salutares effectus mors Jesu humano generi attulerit, nisi quamplurima N. F. loca, de illa tractantia, sedulo contulerit [136]).

[136]) Nonnulla huc spectantia collegerunt: C. F. Stäudlin de mortis Jesu consilio, Gott. 1794. — M. C. A. Schwarze, über d. Tod Jesu, Lpz. 1795. coll. neu. theol. Journal v. Ammon,

§. 33.

F o n t e s.

Ut loca parallela detegantur, libri attente legendi, et non longo temporis intervallo interposito, saepius relegendi sunt, ut loca, quae in verbis et phrasibus, vel in rebus conveniunt, facilius observentur et notentur. Hac via loca parallela detegi possunt in defectu aliorum subsidiorum, huic fini inservientium; nam intuitu SS. Librorum ad cognoscendum parallelismum verbalem alia etiam, brevior suppetit via, nempe usus sic dictarum Concordantiarum [137]), quae omnia loca, in quibus eadem vox vel phrasis occurrit, exhibent. In reali autem parallelismo conquirendo utile praestant subsidium Biblia, loca parallela exhibentia, et lexica rerum biblicarum [138]).

Haenlein u. Paulus, 7. B. 1796. p. 134. ss. 177. ss. add. Krit. Journal v. Bertholdt, 15. B. 1822. p. 21. ss. — L. F. C. Tischendorf, doctrina Pauli Ap. de vi mortis Christi satisf. Lps. 1837.

[137]) Prae ceteris commendari merentur Concordantiae — hebraicae Buxtorfii Basil. 1632. et Julii Fürst, Lips. 1837. cont. — Particularum hebr. a Tympio ed. Jen. 1734. — graecae Erasmi Schmid Witemb. 1638. — latinae Hugonis Cardinalis (ed F. Schmid) Vien. 1825. — In usu Concordantiarum observari debet, examinandum simul venire contextum, ceteraque adiuncta, ut indicium ferri queat, an vox vel phrasis, in pluribus locis recurrens, eadem ubivis significatione et sensu gaudeat, adeoque an loca vere parallela sint.

[138]) Uti D. Aug. Calmet Dictionarium hist. crit. chron. geogr. lit. Scripturae S. lat. ed. J. D. Mansi, Ven. 1734. t. 2. fol. — Bibl. Encyclopaedie oder exeget. Realwörterbuch, Gotha 1793—8. 4. t. quart. — G. B. Winer, bibl. Realwörterbuch, ed. 2. Lpz. 1833—6. — D. J. G. Hauff, bibl. Real- und Verbal-Concordanz. Stuttg. 1828. cont. — Allg. Wörterb. d. h. Schrift, v. ein. Verein Kath. Geistl. Regensb. 1836. cont. Minime tamen

§. 34.

Cautelae.

In usu parallelismi cavendum:

1. Ne parallela iudicentur loca, quae non sunt; quapropter sedulo inquirendum, an loca revera sint parallela: nempe an vox vel phrasis sit eadem utrobique, eadem syntaxi constructa, et de eadem vel simili re usurpata; item an doctrina vel historia utrobique eadem proponatur, et quidem eodem consilio, eodemque in orationis contextu. Etenim loca, quae quoad nonnulla adiuncta conveniunt quidem, quoad plura autem differunt, aequiparata, necessario falsas funderent interpretationes.

2. Detecto parallelismo, videndum, quis locus sit hermeneutice sat clarus, seu quis, ad leges interpretandi exactus, nullum relinquat de mente auctoris dubium; et talis locus clarus aut reliquis clarior seligendus, ex eoque alter obscurior explicandus est. Ceterum ad negotium hoc interpretem oportet accedere mente, a praeiudiciis, praeconceptisque opinionibus libera, ne, quod serio cavendum, loca obscuriora ad sententias, praeconceptis eiusmodi opinionibus ac hypothesibus faventes, accommodet, aut plane loca in se clara ex iis pervertat, et contortis explicationibus obscuriora reddat. Denique

3. Loca parallela eiusdem libri aut scriptoris praeferenda sunt illis, quae alibi reperiuntur; itaque Joannes e Joanne, Paulus e Paulo illustrandus.

---

existimandum, ea omnia loca vere esse parallela, quae in similibus operibus ut talia notantur, constat enim, auctores quosdam ad stabiliendas suas hypotheses praetensis huiusmodi locis parallelis quandoque abusos fuisse; hinc an loca vere parallela sint, serio examine dispiciendum est.

V. SUBSTRATA MATERIA.

§. 35.

Notio.

Quod in singula dictione subiectum, idem in integra pericopa, substrata materia dicitur, ipsum scilicet obiectum, de quo tamquam subiecto in certa oratione iam paucis iam pluribus sermo est, et ad quod cetera orationis membra tamquam praedicata pertinent. Quoniam vero quisque prudens et gravis verba sua et sententias substratae materiae tamquam principali sermonis obiecto, de quo disserit, conformare praesumitur, necessario sequitur, notionem vel sensum materiae substratae, rite cognitae, repugnantem, verum esse non posse; regula ergo sensus inveniendi, quam substrata materia suppeditat, proxime mere negativa est, attamen etiam positivae quaedam exinde deducuntur: nempe

§. 36.

Usus.

Substrata materia

1. Definit, quae in vocibus polysemis significatio prae ceteris certo loco obtineat; sic e. g. quod Matth. IX. 2. ubi legitur: „Dixit Jesus paralytico: remittuntur tibi peccata tua," Jesus potestatem hominibus peccata remittendi exercuerit, adeoque ἁμαρτιαι h. l. denotent *peccata*, non vero *poenam peccati*, ac si Jesus dixisset: „morbus, qui est poena et sequela peccatorum tuorum, removetur," quamquam in se spectata vox ἁμαρτια hebr. חַטָּאה hanc quoque significationem admittat, — docet substrata materia: si enim Jesus verbis his nihil exprimere voluisset, nisi spem certam sani-

tatis aegroto restituendae, illa legis peritorum praesentium accusatio v. 3. „hic blasphemat," qua effatum Christi blasphemiam iudicaverant, ne speciem quidem habuisset iustitiae ullam, nemo enim Judaeorum unquam sanationem aegroti blasphemiam dixerat; neque congrueret responsum Christi v. 5. 6. utpote qui probaturus, sibi revera competere potestatem, hominibus his in terris condonandi peccata, miraculum patravit; neque quadraret dictum populi circumstantis et attoniti Marc. II. 12. „Nunquam sic (tale quid) vidimus," utpote quod populus hic Capharnaumiticus, qui iam plurimas sanationes miraculosas, a Christo patratas, viderat, de sola aegroti huius sanatione minime, de remissione peccatorum vero utique dicere potuit; sistitur itaque h. l. Jesus ceu Deus, cui etiam peccatorum hominibus remittendorum potestas competeret Marc. II. 7. Luc. V. 21. — Vi substratae materiae, in effato 2 Petr. I. 20. „Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione (*ιδιας επιλυσεως*) non fit," verba *ιδιας επιλυσεως* [139]) ad lectores referri, atque de arbitraria vaticiniorum interpretatione accipi nequeunt: quia coll. v. 19. Petrus non de arbitraria perversaque oraculorum expositione, sed de eorum obscuritate loquitur, comparationem instituens vaticiniorum cum lucerna in tenebricoso loco lucente sed exigua ac tenui luce; uti etiam v. 21. id agit, ut doceat, cur Prophetae clarius atque apertius loqui non potuerint, nempe propterea, quod non proprio animi motu fuerint vaticinati, nec sua tradiderint cogitata, sed ea, quae ipse Deus illos docuit et aliis tradere iussit. Rectius

---

139) *επιλυσις* est *solutio*, explicatio, interpretatio, rerum obscurarum velut somnii, aenigmatis, vaticinii.

itaque phrasis „ἰδιας ἐπιλυσεως" ad prophetias ipsas, in Scriptura S. obvias, refertur, hoc sensu: vaticinia (quamvis ea cum eventu conferenti nunc iam satis luculenta videantur,) per se se spectata, (i. e. ante cognitum eventum, vel nulla eventus ratione habita,) sunt obscura et non ἰδιας ἐπιλυσεως propriae vel suae [140]) interpretationis (i. e. non ipsa se interpretantur, sed illustratione indigent, aliunde, maxime ab eventu, petenda); ut adeo his ratio reddatur, cur vaticinia, antequam eventus obscuritatem omnem eis ademerit, comparanda sint cum lucerna, locum caliginosum radiis suis tenuiter collustrante, — item cur operae pretium faciant, qui ad eadem haec vaticinia animum advertentes, pleniorem illorum interpretationem ex eventu repetant v. **19.** Totius itaque gravissimi huius effati v. **19—21.** sensum ita fere explanare licet: „Etsi vaticinia iam ante eventum firma essent per sese ad faciendam fidem, quippe a Deo profecta, nunc tamen firmiora, quam ante, ac testatiora (simulque pro firmo doctrinae nostrae argumento) habemus sive reputamus oracula de Messia, nempe postquam spectatores fuimus maiestatis Jesu v. **16.** (coll. Joan. I. 14.) ac Dei Patris de Illo praeconium coelitus audivimus v. **17. 18.** sicque oracula eadem nobis re atque eventu et illustrata sunt et confirmata. Itaque saluti vestrae optime consuletis, si ad haec Prophetarum vaticinia animum adverteritis; etsi per sese, quin ad eventum referantur, spectata, subobscura sint, atque lucernae tenuiter lucenti comparari queant. Verum, quemadmodum qui in tenebricosis locis degunt, lucernulae lumen neutiquam spernunt, sed lubentes ac laetabundi eo fruuntur,

[140]) Sic enim Petrus ἰδιον saepissime ponit loco ἑαυτου; cf. 2 Petr. II. 16. III. 3. 16. 17.

donec dies illucescat, et lucifer, orientis solis praecursor, nocti finem imponat, ac lucernae lumen splendore suo vincat: ita vos quoque ad ista vatum oracula, quae de rebus futuris utcunque vos commonefaciunt, animum advertere decet, donec eventus ipse, velut sol clarissima luce omnia collustrans, ignorantiae tenebras aut dubitationis nebulas ex animis vestris plene dispellat. Tantum scilicet, quae post eventum, de Christo eiusque in nos meritis cognita habemus, claritate praestant iis, quae quondam e solis oraculis praesagiri poterant! in quibus tamen solis, antequam lucidum illud sidus ortum esset, nos acquiescere oportebat. Itaque scrupulum vobis non iniiciat, neque vatum apud vos auctoritatem imminuat oraculorum aliqua obscuritas. Illud enim a vobis inprimis animadverti velim, quod prophetiae, in S. Scriptura obviae, non ipsae se clare explicent, sed illustratione indigeant, ex eventu arcessenda. Nam vaticinia longe aliter comparata sunt, quam humani libri. Qui *sui* ingenii foetum edunt, animi sui sensa claris verbis cum lectoribus communicare et possunt et volunt et debent. Ast vaticinium ab eius, qui id profatur, arbitrio aut solertia neutiquam pendet. Nullum enim vaticinium editum est unquam humano arbitratu ac studio, ex inventione humana, ac si Prophetae sua, penitus perspecta, cogitata et sensa eloqui voluissent; sed, quae divini Spiritus afflatu edocti sciebant, et, ut hominibus annunciarent, iussi fuerant, locuti sunt" [141]).

[141]) De pericopa hac tres scriptores illustres cum fructu conferentur, nempe D. J. Pott, Epist. Cath. illustr. ed. 2. Gott. 1810. ad h. l. — G. C. Knapp, Scripta var. argum. max. exeg. ed. 2. Hal. 1823. p. 3. ss. — J. J. Griesbach Opusc. academ. ed. J. P. Gabler t. 2. Jen. 1825. p. 219. ss.

2. Indicat, in quantum verba loquentis premenda, i. e. an extendenda, vel restringenda sint; ita dum Paulus 1 Cor. IX. 19—22. dicit, se factum esse Judaeis Judaeum, infirmis infirmum ect. verba haec non esse ita intelligenda, quasi Paulus, inter Judaeos constitutus, horum opiniones, inter gentiles vero horum errores approbasset, et, ubicunque secus versaretur, omnium praeiudicia tolerasset, — substrata materia docet; neque enim loquitur h. l. Apostolus de opinionibus erroneis Judaeorum, gentilium, aut quorumvis aliorum, verum commemorat commoda, quae sibi subtraxit, incommoda, quae in gratiam religionis Christianae amplius propagandae subivit, item sapientem illam oeconomiam, qua intuitu diversorum, quos docuerat, hominum relate ad Mosaicam legem utebatur. Nefas ergo est, ex his inferre, quasi Paulus doctrinam Christi coinquinaverit erroribus Judaeorum aut gentilium, aut saltem praeiudicia toleraverit, quamvis religioni Christianae adversarentur [142]).

[142]) Dum Exod. XXXI. 3. 4. de fabro Beseleel dicitur, quod „impletus sit Spiritu Dei — ad excogitandum, quidquid fabre fieri potest ex auro et argento et aere;" haec non de inspiratione divina, quasi illi hae facultates per miraculum fuissent infusae, sed solum de dexteritate, ordinaria divinae providentiae dispositione, in artefactis illis conficiendis eidem concessa, intelligenda esse, materia substrata ostendit, cum haec simile miraculum non exposcat, neque ad opera similia in florentissima Aegypto condiscenda ac deinceps perficienda, extraordinaria cooperatione divina opus fuerit. — Ast longe aliud obtinet, dum in Prophetis legimus: „Spiritus Domini super me," Jes. LXI. 1. aut „Factum est verbum Domini ad me dicens," Jer. I. 4. 11. II. 1. et his similia; tunc enim substrata materia manifeste docet, hos homines extraordinaria virtute, divinaque intelligentia fuisse animatos, sine qua nec prodigia nec vaticinia edere potuissent.

3. Definit, quae ex professo, quae vero solum per accidens dicta sint: quae nempe tamquam pars essentialis vel saltem integrans ad rem ipsam, de qua sermo est, pertinent, ex professo, — quae vero, spectata substrata materia, abesse vel aliter esse possent, per accidens tantum dicta esse censenda sunt. Exemplo sunt parabolae Christi, in quibus multa abesse vel aliter esse possent, quin ideo res ipsa vel mens Christi obscuraretur.

4. Pandit scopum, quo aliquid referatur; sic scopum Joannis II. 1—11. fuisse miraculum veri nominis aquae in vinum corversae narrandi, non vero exhibendi insigne humanitatis et liberalitatis documentum, quatenus Christus similia convivia non spreverit, sed propriis plane sumtibus procurato vino convivarum indigentiis succurrerit, substrata materia indubitate docet. Narrat enim Joannes v. 3. Matrem dixisse ad Jesum: „vinum non habent;" quibus innuit, Matrem Jesu spem fovisse, a Jesu per miraculum huic defectui consultum iri; dum porro annotat v. 4. Jesum respondisse: „nondum venit hora mea„" docet, Jesum innuere voluisse, se huic defectui consulturum, ast tempus miraculum patrandi nondum adesse; dum v. 5. observat, Matrem Jesu ad ministros dixisse: „quodcunque dixerit vobis, facite," innuit, Matrem cognovisse, Eum modo aliquo extraordinario illi defectui occursurum; dum v. 7. refert, sex hydrias per ministros e mandato Jesu et quidem usque ad summum repletas fuisse aqua, innuit, alicui commixtioni nullum prorsus fuisse locum; v. 8. innuit, vinum ex his ipsis hydriis haustum, et non aliunde architriclino fuisse allatum; v. 9. dicit: „ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, non sciebat, unde esset, mini-

stri autem sciebant, qui hauserant aquam," qua observatione, praeterquam quod expresse dicat, aquam in vinum fuisse mutatam, simul praecavet, ne quis putet, quod architriclinus vinum suppeditaverit. Singula ergo dicta, si ad miraculi descriptionem referantur, sunt quam maxime oppurtuna; quare recte statuitur, Joannem h. l. veri nominis miraculum describere voluisse; huc etiam facit eiusdem observatio v. 11. dum addit, Jesum hoc primum edidisse signum i. e. miraculum Canae in Galilaea, quo dignitatem suam Messianam manifestavit, et discipulorum Ipsius fides mirifice confirmata fuit; nam *σημειον signum* in tali contextu miraculum significare, notissimum est, ut adeo prorsus repudianda sit sententia illorum, qui *σημειον* h. l. explicant de documento humanitatis et liberalitatis [143]).

Ceterum stabilita §. 35. regula negativa de substrata materia, rite applicari potest tantum, si substrata materia plene sit cognita, minime vero, ubi de factis extraordinariis aut doctrinis sublimioribus agitur, quae intellectum humanum eatenus transcendunt,

---

143) Velut Dr. Paulus l. c. (n. 73.) et das Leben Jesu Heidelb. 1828. ad h. l. E dictis apparet, etiam illud falsum esse, quasi Jesus praevie iam procuratum vinum medio ministrorum apponi iussisset, aut ioci excitandi caussa praecepisset ministris, ut hydrias aqua replerent, ipsos vero e condicto vinum, a Jesu clam procuratum, hydriis infudisse; his enim non tantum character Jesu, sed et universa narratio Joannis aperte repugnat. Ceterum veritatem narrationis huius evangelicae, tamquam miraculosae, egregie propugnarunt: H. L. Heubner, miraculor. ab Evang. narr. intpttio gramm. hist. Witt. 1807. p. 13. — C. C. Flatt, über Joan. II. 1—11. im Magazin für Dogm. u. Mor. v. Süskind. 14. Stück. Tüb. 1808. p. 73. ss. — Hug, Zeitschr. f. d. Geistl. Freiburg. 2. Hft. 1828. p. 98. — 6. Hft. 1832. p. 35. ss.

quatenus modum existendi penitus penetrare non valet; quare ad similia regula illa negativa extendenda non est. Sic in prodigiis effectum ipsum clare intuemur, quin tamen ipsum modum, quomodo verbo sanati sint infirmi, saepe etiam absentes, imo sola umbra Petri, perspiciamus; idem valet de doctrinis sublimioribus, quae mysteria audiunt: scilicet in his quoque, „quid sit"? intelligimus; ast „modum, quomodo sit"? non comprehendimus; sic e. g. non perspicimus, quomodo λογος Filius Dei humanam assumserit naturam ect. — non tamen similia e negativa illa lege metiri, neque proin ideo veritatem eorum negare licet. Si enim e SS. Literis haec hermeneutice certo eruantur, licet eorum harmoniam cum ratione nostra plene non penetremus, iam indubium erit, hunc esse verborum Christi et SS. Auctorum sensum, quem dein ut, etiam qua obiective verum, acceptemus, divina Illorum svadet auctoritas [144]). Neque enim in sensu revelationis definiendo et rebus extraordinariis diiudicandis pro supremo tribunali ratio humana sedere potest ita, ut hoc ipso reiiciat cuncta, quae in Scripturis continentur, quamprimum haec ipsius facultates transcendunt, modestaeque rationi (humanae, quae, utpote arctis limitibus circumscripta, ideoque nec ordinaria et naturalia omnia penitus perspicere valens, cum ratione absoluta, quae in solo Deo existit, confundenda non est,) semper agnoscendum est, divinam humana ratione es-

---

[144]) Quae tam gravibus innititur argumentis, ut nullum de ea supersit dubium; tantae vero auctoritatis „luculentis testimoniis propter solam rei narratae obscuritatem aliquam et modi ignorationem vim facere, non est veri philosophi." G. C. Storr, doctrinae Christ. pars theoret. ed. 2. Stuttg. 1807. p. 174.

se altiorem, a qua proinde mysteria, aliaeque doctrinae sublimiores et positivae non secus, ac ab omnipotentia miracula et ab omniscientia prophetiae, proficisci queant, quae an reipsa adsint, solum e documentis indubitatis revelationis, a posteriori et historice, non autem e rationis humanae principiis, a priori ostendi potest [145]).

Denique in sensu iuxta substratam materiam definiendo ratio habenda est usus illius loquendi vulgaris,

---

[145]) Ex his pronum est iudicare, quid de illis censendum sit, qui in factis ac doctrinis exponendis tamquam inviolabilem normam statuunt leges naturae et rationem, ut illis prodigia, hac autem mysteria excludant, v. supr. n. 39. Talia enim prorsus absona esse, vel ipsi fateri debent, nisi naturae legibus ipsum earundem auctorem ita constrictum putent, uti fato Jovem subiectum fuisse credebant gentiles, — aut rationem humanam cum absoluta confundant. Audi, quae C. D. Hardmeyer Darstellung seiner Ansicht d. Christenthums, Zürich 1814. p. 27. nervose dicit: „Ist eine (positive) Offenbarung — möglich? Diese Frage gehört nicht vor den Richterstuhl des Menschen. Wer fragen darf: Kann ein moralisches Wesen diese oder jene Wirkung hervorbringen? muß den Umfang der Kräfte desselben genauer kennen. Wie lächerlich und ungereimt wäre es, wenn ein Schülerwesen, das kaum weiß, was eine Sekunde ist, mit vornehmen Gesichte kund thun wollte, was Sebastian Bachs großer Geist, oder die schöpferische Kraft eines Mozart oder Haydn in der Tonwelt vermochte oder nicht vermochte! Und doch spräche hier nur Staub von Staub! — Es wäre also unendlich lächerlich und verkehrt, wenn der Mensch zweifeln wollte, ob der, der die Welt schuf, der, von Staub an bis zu den Sonnenheeren, vom Wurme bis zur Seraph, uns gleich unbegreifliche, die Kraft hatte, so fern er's für gut fand, dem Menschengeschlechte, neben der Offenbarung durch die Natur, sich noch auf eine andere Weise zu offenbaren!“— (Affine est, quod dicit Rousseau: „Die Frage: „„Kann Gott Wunder thun?““ würde gottlos seyn, wenn sie nicht ungereimt wäre.“) — Nervose profecto, pro casu etiam, quo haud-

omnibusque gentibus et lingvis communis, quo fit, ut ea, quae passim eveniunt, semper evenire dicantur, et, quae conveniunt multis, tribuantur omnibus. Prout ergo in communi sermone talia ad apicem usque urgere non solemus, ita nec in SS. Scripturis severius premenda sunt; similium enim dictionum vis e sensu communi et substrata materia clare elucet. Id praesertim in proverbiis seu sententiis solerter observandum est, quae ab eo, quod in communi vita plerumque accidit, depromtae sunt, et universim enunciantur. Locum itaque haec habent inprimis in Libris Proverbiorum, Ecclesiastici, et Psalmis, sed et alibi. Sic Ps. XIII. et LII. corruptos sui temporis mores ita pingit David, ut ne unicum quidem probum agnoscere videatur: „Non est, inquit, qui faciat bonum, non est, usque ad unum;" quod tamen ad omnem rigorem sumi non potest. Pariter, dum Paulus 1 Cor. VI. 18. ait: „Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat;" certe verba haec non prohibent, quominus gula, ebrietas,

---

dum facta revelatio esset; quid igitur, postquam factam esse, stupendis divinae virtutis demonstrationibus certum est? in casu hoc, dubium aut negatio manifeste mentis aegritudinem prodit. cf. (F. Kramer) Fragment. de Relig. et Ecclesia Cath. sola salvif. Tyrn. 1814—18. Fragm. 4. p. 185. s. — G. C. Storr, annotat, ad philos. Kantii de religione doctrinam, Tub. 1793. p. 5—7. — Rambach l. c. (n. 8.) l. 2. c. 1. §. 5. p. 93—100. — D. Czerny l. c. (n. 55.) L. 1. p. 292. — C. F. Trauz, sollten wir uns etwa in der Religion mit dem blossen Rationalismus begnügen können? im Magazin für Dogm. und Mor. v. Süskind, 14. St. Tub. 1808. p. 1. ss. — A. Mayerhauser, Läßt sich der Glaube an die Geheimnisse rechtfertigen? in d. th. Zeitschrift. v. Frint, 3. Jgg. 1. B. 1815. p. 29. ss. — Pletz l. c. (n. 10.) ibid. p. 246. ss.

mutilatio, autochiria et similia non censeantur peccata in corpus hominis, verum id unum edicunt, *pleraque* peccata corpus hominis non afficere proxime, sicut afficit fornicatio. Similia sunt etiam illa, dum dicitur e. g. de exercitu Hebraeorum in praelio nullum cecidisse, de hostibus autem nullum evasisse; haec quippe per hyperbolen dicta sunt, etiam optimis profanae historiae scriptoribus frequentatam [146]).

Cognitionem substratae materiae ex attenta libri aut pericopae lectione esse hauriendam, per se liquet.

VI. NATURA REI.

§. 37.

Usus.

I. Nemo sanus de re tali loqui solet, cuius prorsus nullam habet cognitionem, adeoque saltem obvia et ordinaria rei, quam loquens sermone suo complectitur, cognitio, eidem adiudicari et potest et debet, imo quisque prudens rei huic convenienter, et ita, prout ipsa eius natura exigit, loqui praesumitur; unde patet, interpreti quoque hanc ipsam rei naturam consulendam esse, cum rite cognita non possit non sensus inventionem multiplici ratione promovere; sic

1. Offert certam significationem, quae in vocibus polysemis prae ceteris sit adoptanda; sic Joan. II. 18. in verbis Judaeorum: „Quod signum ostendis nobis, quia haec facis," σημειον *signum* significare miraculum, ipsa rei natura loquitur, hac enim poscente, signum illud immediate a Deo proficisci et tale esse

[146]) Diodorus Siculus Bibliothecae historicae L. 11. C. 23. diserte dicit, hyperbolas has non esse, nisi communes loquendi formulas, quibus ipse quoque saepius utitur, uti L. 10. C. 24. L. 14. C. 67. L. 15. C. 12. 72.

debebat, quale a Prophetis, inprimis vero a Messia exspectabatur, quo de divina eius legatione certo constaret [147]).

2. Docet, utrum subiecti et praedicati notiones sibi congruant, adeoque an verba proprio, an tropico sensu sumenda sint: sic spectata rei natura nemo ambiget, dum Deo aures, manus, oculi tribuuntur, aut Jesus via, veritas, et vita dicitur, — eiusmodi dicta tropice sumere; item 1 Cor. I. 21. stultitiam praedicationis evangelicae nemo non ironice intelliget. Ex adverso formulam Act. II. 4. „Et coeperunt loqui variis lingvis," proprie, de extraordinario lingvarum dono, sumendam esse, svadet natura rei: quippe e Christi mandato Evangelium ab Apostolis omnibus gentibus annunciandum erat; ut ergo recte suo munere fungi, illudque sine mora, sine diuturno labore, in addiscendas lingvas peregrinas impendendo, suscipere possent, tribuenda ipsis erat divinitus facultas, doctrinam novam gentibus peregrinis sua cuique lingva praedicandi [148]).

3. Definit, utrum ordinaria vocis potestas augenda sit vel restringenda; fit enim nonnunquam, ut obvia vocum significatio natura rei inferior sit, aut vero eam transgrediatur; cum autem nemo prudens de re gravi tenuiter, aut de tenui graviter loqui soleat: vo-

[147]) Nec recusat id Jesus. A templo Jerosolymitano, ubi haec acta fuerant, transit ad templum corporis sui, illudque gloriose resurrecturum praenunciat. Signum hoc consequebatur quidem nonnisi post duos annos et dimidium, sed non erat, lapsu temporis huius, oblivioni datum, licet perperam explicaretur Matth. XXVI. 61. XXVII. 40. — Consequitur hinc, σημειον in simili contextu alias quoque esse *miraculum.*

[148]) Vid. supr. §. 28. nr. 2. §. 32. nr. 2.

cabulorum potestas pro hac rei conditione vel augenda vel deprimenda erit. Sic si Deus dicitur potens, sanctus, iustus, bonus ect. similia pro infinita Dei natura reddenda sunt: potentissimus, sanctissimus ect. — Ps. VIII. 6. „Quid est homo," explicandum est: quam infirma atque tenuis creatura est homo; quia l. c. homo comparatur cum corporibus coelestibus, sole, luna ect. item cum immensa et benignissima Dei cura, quae ei providet. — Matth. VI. 31. „Nolite soliciti esse," exponendum de anxiis curis et nimia solicitudine. — Matth. VII. 1. „μη κρινετε nolite iudicare," κρινειν h. l. velut quandoque etiam דין et שָׁפַט est: sinistre, inique, severe iudicare.

4. Docet, utrum dicta loquentis ad vivum resecanda, vel vero mitiganda sint: ubi nempe pro omni suo rigore sumta naturae rei parum, aut prorsus non convenirent, ibi certe commodo, vel, ut dici solet, sano sensu sumenda sunt; quae observatio praecipue valet ad hyperbolas vel dicta proverbialia rite exponenda. Sic verba Matth. XIX. 24. „Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum," (quae proverbium continent Arabibus, magnam difficultatem exprimere volentibus, etiamnum usitatum,) docente rei natura, non promiscue de quocunque divite, sed de eo solum, qui divitiis corradendis toto animo intentus est, — neque strictissime, seu de absoluta impossibilitate, sed de magna solum difficultate intelligenda sunt, qua *tales* divites vitam aeternam consecuturi essent, vel, si alia praeplacet interpretatio, qua tales divites amplexuri essent Christi religionem, utpote quae primis fidei temporibus divitiarum, commoditatum, imo saepius vitae iacturam a cultoribus suis postulavit. In posteriori hac

interpretatione naturae rei suffragatur historia, qua duce constat, plures divites etiam initio statim praedicationis apostolicae ad religionem Christianam accessisse. Act. II. 45. — Pariter Joan. III. 32. „Testimonium Eius *nemo* accipit," — Matth. X. 22. „Eritis odio *omnibus*," ect. commodo sensu exponenda sunt.

II. Doctrinae, de sensu ex interna rei natura aestimando, opportune quaepiam subiungere licet de externa seu historica rerum, inprimis antiquarum, indole [149]), nam haec quoque, rite cognita, sensus inventionem adiuvat, et signanter quidem

1. Docet, an dicta proprie vel improprie sumenda sint. Sic verba Matth. XXVI. 28. „Hic est *sangvis* meus novi foederis διαθήκης בְּרִית," Jesum proprie, de reali sangvinis sui praesentia, intellexisse, docet ratio, foedera et pacta publica antiquitus (*sangvine* victimarum, non vino) sanciendi, nam Jesum h. l. morem hunc respexisse, manifestum est. Certum nempe est, non tantum Vetus Foedus sacrificiis, horumque sangvine fuisse sancitum, Gen. XV. 8—10. 17—18. Exod. XXIV. 4—8. Deut. XXIX. 12. sed et alios populos, tam orientales quam occidentales, ad confirmanda sua foedera usos fuisse iureiurando, penes sacrificia cruenta emisso, et effusum horum sacrificiorum sangvinem fuisse quasi sigillum, quo talia pacta roborarentur [150]). Dum ergo Jesus, quod bibendum offerebat Apostolis, appellat „sangvinem suum novi foederis," i. e. sangvinem suum, quo, tamquam sigillo, no-

[149]) De hac infr. C. III. de investigat. histor. e professo recurret sermo, ubi simul fontes assignabuntur, e quibus rerum illarum notitia haurienda sit.

[150]) Cf. Jahn l. c. (n. 17.) 3. Th. p. 396—400. — Ackermann ibid. p. 123. s.

vum foedus, seu nova, a se inducta, religio solenniter sanciretur et stabiliretur, — verba haec utique proprie intellexisse et intelligi voluisse, verissime statuitur. — Ceterum ex eodem more, *foedera sacrificiis* sanciendi, simul consequitur, Jesum, quoniam sangvinem suum appellavit „sangvinem foederis," sangvinem suum tamquam sangvinem sacrificii (quo foedus sanciretur,) obtulisse, adeoque SS. Eucharistiam ceu *sacrificium* quoque instituisse.

2. Efficit, ut allusiones, similitudines, earumque, quod vocant, tertium comparationis, intelligatur. Sic verba Matth. VIII. 11. 12. „Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium," reddenda esse: multi ex omnibus gentibus, me Messiam agnituri, meamque doctrinam amplexuri, felicitatis regni Messiani participes evadent; Judaei vero, me, Messiam, meamque doctrinam repudiaturi felicitate illa privabuntur, et improbitatis suae poenas gravissimas luent, — protinus intelliget omnis, qui meminerit, convivia, utpote hilaria conventicula, passim imaginem fuisse felicitatis, exclusionem vero a convivio fuisse symbolum miseriae et calamitatis; atque hinc Judaeos quoque felicitatem, in regno Messiano exspectandam, comparasse cum convivio, et inter convivas nominasse inprimis patriarchas suos, quo simul significarent, felicitatem illam ad se unice pertinere; — item convivia omnia in oriente esse coenas, ideoque in coenaculo, lampadibus collustrato, institui; denique sub illo climate, noctu semper, saltem diluculo, frigus esse. — Pariter etiam verba Jesu, Matth. XXIII. 27. Pharisaeos, virtutis et pietatis si-

mulatores, cum sepulcris *dealbatis* comparantis facile intelliges, modo noveris, vi legum Mosaicarum Hebraeum, cuius pedes sepulcrum attigissent, contaminatum fuisse, ideoque fores et superficies sepulcrorum dealbari consvevisse, ne quis locum immundum calcaret et pollueretur. His nempe perpensis, patet, Jesum, ad hanc sepulcrorum indolem alludendo, Pharisaeis dicere voluisse, quod ipsi extrinsecus appareant hominibus sanctitatis et probitatis studiosi, intrinsecus vero sint improbitatis studiosi et pleni simulationis.

3. Definit, utrum dicta quaedam vel gesta decori rationibus, et historicis auctoris adiunctis conveniant, nec ne. Nam cuique fere terrarum plagae, et cuivis genti propria est decori ratio, velut etiam proprii mores, instituta tam publica quam privata ect. quae omnia in oriente et antiquitus saepe saepius alia, quam hodie apud nos, erant, atque hinc ab interprete nunquam non in censum vocari debent; hac enim observatione, licet non proxime ad interpretem qua talem pertineat, praecavebit sinistrum de variis rebus iudicium, imo etiam iniquas sequelas, quae ex antiquorum narrationibus, haud rite expensis, quandoque deducuntur. Sane fuerunt complures, qui in Bibliis quoque multa vituperarent et derisui haberent, quae a nostris moribus abludunt; sic actum Jesu, quo ultimo Paschate publicum in urbem Jerosolymorum ingressum *asino vectus* suscepit, permulti indecentem proclamarunt. Sed hi fere sunt, qui, rerum orientalium ignari, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putent, adeoque monendi sunt, non eadem omnibus esse decora, sed pleraque maiorum institutis iudicari, atque hinc SS. Literas exponendas esse iuxta mores orientis, ubi inprimis olim signanter asino vectari erat viro-

rum gravium et principum. — Porro sunt, qui, itidem antiquitatum rudes, narrationibus biblicis ad subruendam, si tamen fieri posset, earundem fidem historicam abutantur, ductu archaeologiae saniora docendi; huius culpae reum, fors citra invidiam aut iniuriam, arguere liceret Drem Paulus, dum, quod Matth. XXVII. 66. de *obsignato* saxo, quo sepulcrum Christi claudebatur, refertur, ipsi tantam offensionem praebere videretur, ut ex eo, tamquam prorsus inepto et incongruo, ipsam historicam veritatem narrationis de custodia, sepulcro apposita, ect. evertere niteretur [151]). Ast, quod Dr. Paulus incongruum adeo dicit, adiunctis rei et temporis apprime convenit. Scilicet prae oculis habenda conformatio sepulcrorum orientalium, quale in specie illud Christi fuerat: erant nempe specus, saxis excisae, quarum ianua vel grandi lapide acclinato, vel aptis foribus lapideis claudebatur. Tum meminisse oportet, antiquos, defectu meliorum serarum, cistas, arcas, fores cellarum penariarum ect. obsignare con-

---

[151]) Ita nempe scribit l. c. (n. 143.) 2. Th. p. 262. „Den Stein sollen sie sogar versiegelt haben! — Dieses Vorgeben: wie wenn sie den Stein versiegelt hätten, ist so unverständlich und zweckwidrig, daß wohl dieser einzige Umstand schon die Unwahrheit der Sage entdecken müßte.“ cf. qq. quae adversus haec erudite monuit Hug, Zeitsch. f. d. Geistl. Freiburg, 3. Hft. 1829. p. 181. s. quibus add. Dan. VI. 17. 18. ubi legitur, regem et magnates lapidem, ostio foveae, in quam Daniel iniectus fuerat, admotum annulis suis obsignasse, ne quid, quod de Daniele decretum esset, mutaretur. — En eos quoque, qui leges grammaticas lingvarum biblicarum felici memoria optime tenent, et pleraque interpretandi praesidia magna sedulitate edocti sunt, hic tamen millies impingere, nisi externam, historicam rerum biblicarum indolem duce archaeologia rite cognoverint. v. supr. §. 6. nr. 2. b.

svevisse; funiculi nimirum, vel ligaminis inducti duabus extremitatibus apponendo argillam aut cretam, et huic sigillum imprimendo. Laesum tale sigillum mancipiis summum terrorem incutiebat. — Itaque rei omnino conveniens erat, sepulcrum obsignare, ad praecavendam vero violationem, sigillum per milites custodiendum curare.

VII. FORMA SEU GENUS DICENDI.

§. 38.

Summa tradendorum.

Accuratam formae sermonis cognitionem tam immediate quam mediate ad sensum rite eruendum conferre, per se liquet: eapropter de iis, quae hoc ex obtutu in Bibliis inprimis considerari merentur, nempe de tropis, allegoriis et parabolis quaepiam monenda veniunt; quum de reliquis dicendi generibus alioquin in rhetoricis et poeticis disciplinis e professo praecipiatur.

§. 39.

Praecepta generalia de tropis biblicis.

Quoad tropos duplex est interpretis officium: primum, tropos rite dignoscere, ne aut propria putet, quae tropica sunt, aut proprietatem verborum tropica interpretatione pervertat; alterum, tropos agnitos recte interpretari [152]). Utrumque paullo curatius adum-

[152]) De his praecipue consuli merentur: Jahn l. c. (n. 121.) p. 101. ss. — Ernesti l. c. (n. 8.) p. 31. ss. 99. ss. — Glassius l. c. (n. 55.) p. 205. ss. — Morus l. c. (n. 42.) V. 1. p. 260. ss. — M. Beckhaus, de dictione trop. N. T. — in Comm. theol. ed. Rosenmüller, Fuldner et Maurer, Lips. 1825. T. 1.

brandum videtur, quum inter tropos, nobis frequentatos, et biblicos haud leve intercedat discrimen, quod ipsum enascitur

1. Ex indole populorum orientalium, qui, utpote sub calidiori coelo degentes, adeoque ferventiori ingenio et vivaciori imaginatione praediti, non tantum de rebus obviis, sed etiam de religione, cultu divino, ipsoque adeo Deo insolentiores et audaciores, seu tales adhibent tropos, qui exhibent quidem aliquam, inter rem significantem et significatam, similitudinem, sed nec satis propingvam, nec accuratam satis. Sic David, Deum sibi contra adversarios opitulantem describens, 2 Sam. XXII. 9., ait: „Ascendit fumus de naribus eius, et ignis de ore eius vorabit; carbones succensi sunt ab eo." — Asaphus, expressurus Dei vindictam de Philisthaeis, a quibus sui humiliati fuerant Ps. LXXVII. 65. ait: „Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens (heros) crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora." Imago ab heroe, vino incalescente, desumta est, quae sub alia forma recurrit Ps. CIX. 7. ubi de Messia, fugatos hostes persequente, dicitur: „De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput." — Ezechiel, volens commendare beneficia, a Deo genti Hebraeae inde ab origine sua, praesertim in Arabia Petraea, et deinceps praestita, inducit imaginem pupillae infantis, quam Deus summo studio enutriverit, puberem omnibus feminarum ornamentis venustissime decoraverit, sibique desponsaverit XVI. 1—14.— Ex adverso pingere volens ingratitudinem eiusdem populi erga Deum, qua

P. 1. p. 329. ss. — add. J. Böttcher, de paronomas. finit. figur. Paulo Ap. frequent. Lips. 1824. coll. neu. Krit. Journal v. Winer, 3. B. 1825. p. 345. ss.

deserto illo transierit ad cultum idolorum, inducit speciem adulterae, viro turpiter deserto, ad omnem libidinem profusae. XVI. 15—40. [153]).

2. E rerum peregrinarum aut antiquarum, a quibus tropi in Bibliis depromuntur, a.) peculiari indole, et b.) singularibus orientalium de illis rebus iudiciis: nam ex his diversum quoque a nostro usum loquendi tropicum oriri necesse est. Sic

a.) Gen. XLIX. 9. Juda salutatur „catulus leonis," et comparatur leoni et leaenae cubanti, quem nemo au-

---

[153]) In his tanta non raro cernitur licentia, tam nuda prostitutae mulieris imago, ut nostro sensu parum verecunda videantur. cf. Jes. LVII. 8. 9. Jer. II. 16. — Origo horum troporum derivanda est e recepta orientis consvetudine, qua rex instar mariti, populus autem instar uxoris repraesentatur; cum autem Deus inter Hebraeos civilem quoque rempublicam moderatus, nationalis veluti rex eorum fuerit, iuxta receptas iam ideas, ea, quae propria sunt matrimonio, improprie ad Deum translata sunt. — Ceterum ratio, cur orientales tropum hunc tam nude tractent, indubie quaerenda est in consvetudine segregandi feminas ab omni fere virorum consortio; igitur verecundia illa, quae occidentales in libero et promiscuo utriusque sexus consortio a similibus retrahit, ibi locum non habet, uti hodiedum videre est apud Arabes, eadem illa licentia in hoc argumento utentes. Utuntur autem SS. Scriptores similibus imaginibus ad ingenerandum quemdam horrorem ac detestationem illius in Deum perfidiae, quae latet sub tropo; quo ex obtutu imagines illae non sunt improbandae: in populo enim, adeo erga mulieres severo, ut virginitatis iactura in sponsa morte plecteretur ect. imago lascivae adulterae, et ad omnem libidinem proiecti prostibuli aptissima est ad ingenerandam abominationem criminis, sub schemate latentis, i. e. idololatriae et perfidiae in Jehovam, tamquam numen colendum, simulque regem nationis.

det lacessere. Ut tropus hic recte intelligatur, animadvertendum est, leonem, tamquam fortissimum animalium, orientalibus tropice heroem ac regem designare, et a leone saturo cubante, etsi cetera terrificus sit, si modo non irritetur, neminem laedi, quemlibet tamen properare timore trepidantem, ut quantocius evadat. Patet igitur Jacobum tribum Juda tamquam principem reliquarum tribuum sistere, atque, remoto tropo, dicere voluisse: Judam nunc adhuc quidem familiae tantum caput (catulum leonis) esse, sic augendum fore in posterum factis strenuis, ut viribus praecellat alios, ideoque securum fore roboris sui fiducia, et eo quidem non abusurum ad opprimendos alios, lacessitum tamen graviter ulturum iniurias, et tam terrificum hostibus futurum, uti leo, aut plane leaena, catulos alens, tremenda est omnibus, inprimis vero lacessentibus [154]).

b.) De sensu pulcri et decori non eadem sunt omnium populorum iudicia, cum pro vario gradu culturae, varia vivendi ratione, varioque rerum usu, apud alios summo in pretio habeantur, quae aliis vilia videntur; unde evenire necesse est, ut varii populi in formatione, usuque troporum inter se differant, et quandoque, inprimis antiqui, tropos frequentent, a gustu iudiciisque nostris plus minus abludentes, imo nostro pulcri sensu subin ridiculos, viles et abiectos quoque, qui tamen ex antiqua vivendi et sentiendi ratione dignitatem recipiebant, atque antiquis illis splendidum erant orationis lumen. Sic nostra aetate, nostris in regionibus nemo

---

[154]) Jer. XXV. 30. Amos I. 2. Jehova dicitur ex Zion „rugire." Sciendum itaque, rugitum leonis omnibus animantibus esse terribilem et minabundum, quare et omnia audito eo contremiscunt; ut adeo rugitus Jehovae minas indicet.

profecto laudaturus virum illustrem, citra imprudentiae notam, eum dicet „primogenitum tauri", ut Moses Deut. XXXIII. 17. salutat Josephum, — aut „asinum ossis seu robustum", ut Issachar Gen. XLIX. 14. celebratur, — aut vero aliquam nationem, quod sit „iuvenca pulcri oris", uti Jer. XLVI. 20. compellatur Aegyptus, — aut sicut Hoseas X. 10. tribum Ephraim laudans, dicit, quod sit iuvenca docta, amans triturationis. Similes nimirum tropi, e nostra pulcrum et decorum metiendi ratione aestimati, videntur viles; ast aliter visum fuit Hebraeis antiquis, quorum illustres maiores vitam pastoriciam agebant, posteri autem ipsorum, agriculturae dediti, iumenta haec pariter, ac tropos, ab illis desumtos, magni faciebant. Quoniam vero in oriente mores, semel recepti, firmius retinentur: iumenta illa et tropi hi hodiedum adhuc eiusdem, cuius antiquitus, sunt dignitatis; sic Fuae in Africa, rege in throno sedente, praeco proclamat: „videte bubalum filium bubali, taurum taurorum, elephantem immanis roboris, potentem Sultanum" [155]). Verum transeundum iam ad indicatum supra duplex interpretis munus, atque exponendae

§. 40.

I. Regulae tropos dignoscendi.

Propria vocabulorum significatio natura sua prior est significatione impropria, quam partim delectationis ornatusve studium, partim necessitas invexit: quare merito praesumitur, dicentem proprie potius quam tropice loqui voluisse; — porro, phrases tropicae orationem reddunt obscuriorem, omnis vero scriptor pru-

---

155) Brown Reis. in Afr. Ägyp. und Syr. 1792—8. 1. Th. p. 309.

dens potius operam dedisse putandus est, ut mentem suam clarissime proponeret; — atque hinc generalem tropos dignoscendi regulam hanc licet statuere: propria vocabulorum significatio tenenda est, nisi legitima et sufficiens ratio hermeneutica svadeat, illam deserendam et impropriam adoptandam esse; ratio vero talis adesse censenda est, si usus loquendi, contextus, natura rei, scopus loquentis, parallelismus aut alia adiumenta hermeneutica propriam vocum notionem respuant et tropicam postulent [156]). Ex his iam sponte fluunt leges speciales, quas observasse iuverit, ut haud dubie discernatur, propriane an tropica sit dictio: scilicet

1. Sicut omnis sermonis, ita etiam tropici prima lex est usus loquendi; adeoque agnitio et interpretatio troporum pendet ab usu loquendi tropico, cuilibet nationi, instituto, aetati ect. proprio. Quare, quinam tropi lingvis biblicis, et consequenter SS. Scriptoribus usitati fuerint, ex usu loquendi tropico illarum lingvarum, et horum Scriptorum petendum est. Docet autem experientia, tropos plerumque desumi a rebus nos circumstantibus, signanter naturalibus, tum a rebus memorabilibus praeteritorum temporum, rarius autem a rebus exteris et remotis. Hinc, quanto quis et veterem gentis historiam, et res ipsas, mores, ac consvetudines populi eiusmodi penitius noverit, et quanto magis per hanc ipsam notitiam, et huic iunctam assiduam scriptorum illius lingvae ac nationis lectio-

[156]) Quare hunc in specie singulorum adiumentorum hermeneutico-logicorum usum suis locis indigitare placuit. Ceterum hac de re praeter alios erudite disserit, exemplis quoque additis, F. Scholl, Aphorismen über d. Genesis, in d. Zeitschrift. f. Philos. u. kath. Theol. 7. Hft. Köln 1833. p. 16. ss.

nem, ipsum loquendi usum tam proprium quam tropicum illius lingvae perspexerit, eo minus difficultatis persentiscet in explorandis et intelligendis tropis. Sic Hebraei tropos derivare solebant: [157])

a.) E rebus naturalibus. Et id quidem cum omnibus fere aliis gentibus commune habent, ut lucis et tenebrarum imagine utantur ad designandam iam scientiam et inscitiam, iam felicitatem et miseriam. — Porro nihil orientalibus iucundius est, quam aquae fons, rivus, pluvia. Cum enim in regionibus suis rari sint imbres, herbae autem et florentes campi aestu intolerabili mox flaccescant, nisi imbre aut aquae canalibus irrigentur: de fontibus perennibus, pluvia larga, et rore, noctu cadente, camposque recreante, maxime laetantur. Hincque est, ut frequenter dictionem tropicam ab his mutuentur.

b.) E vita communi. Hebraeorum vivendi ratio simplex erat; ea studiorum, conditionum, artium, quaestuumque diversitas apud illos non deprehenditur, quae apud alios populos postmodum obtinuit. Antiquissimi Hebraei, utpote nomades, rei pastoriciae, posteri huic, inprimis vero agriculturae dediti fuerunt. Hinc in Bibliis frequentes tropi, e re pastoricia et rustica petiti, recurrunt.

c.) Ex historia, et rebus vetustis. Sic diluvium, excidium Sodomae, exitus Israelitarum ex Aegypto ect. largum fontem imaginum et allusionum constituunt. Ad alias quoque res praeteritas non raro alluditur; sic

---

[157]) Fontes troporum biblicorum egregie proponit Glassius l. c. (n. 55.) p. 207. ss. Ceterum fontes troporum, quatenus a nostra consvetudine abludunt, aut ab obiectis peregrinis petiti sunt, subministrat etiam penitior Archaeologiae cognitio.

Ps. CIV. 11. terra Chanaan dicitur funiculus haereditatis Israel: quo manifeste respicitur ad morem veterem, quo sub Josua ope funium terra distributa fuit per familias Jos. XVII. 5. Ita dum Ps. XV. 6. dicitur: „Funes ceciderunt mihi in praeclaris," patet, exprimi optimam haereditatem, uti mox propriis verbis in altero membro explicatur: „Haereditas mea praeclara est mihi."

2. Quoniam talia sunt subiecta, qualia a praedicatis enunciantur, patet, perspicuum tropici sermonis indicium esse, si praedicatum et subiectum sunt heterogenea, seu ita comparata, ut alterum alteri proprie convenire non possit, dummodo utrumque bene cognitum et repugnantia manifesta sit. Sic dum dicuntur: terra et prata ridere, lapides clamare, montes ut arietes exultare ect. nemo non tropum agnoscet. Huius generis tropis omnis humanus sermo abundat, et in SS. Scripturis etiam obvii sunt, eo tantum cum discrimine, quod populi, diversi climatis, regionis, aetatis, lingvae, morum ect. in delectu imaginum, et in aestimanda similitudine rei unius cum altera saepe admodum ab invicem differant. Sic e. g. quidquid fere cum alio subordinatum quemdam nexum habet, in eo Hebraeus similitudinem ac tropicam imaginem ponit *parentum* ac *prolium;* ac hoc sensu, a nostris ideis valde alieno, frumentum dicitur „filius areae," sagitta „filius pharetrae"; pariter vox „filia," si iungatur nominibus regionis aut urbis, earum incolas designat, e. g. „*filia* Jerusalem," incolas huius urbis [158]).

---

[158]) Ubi autem semel haec similitudo assumta est, tropus non raro latissime producitur, in bonam vel malam partem. Sic si adversa fata regionis aut urbis describenda sunt, pingitur mulier, cui, quidquid probrosum aut inhonestum est,

Ceterum, cum in dissonantia praedicati et subiecti, tropi indicium reponitur, cavendum est, ne, quae de Jesu ut vero Deo et homine contraria praedicantur, ad hanc regulam exigantur. Cum enim in Christo duae sint naturae, divina et humana, in unitate personae coniunctae: etiam praedicata, primo obtutu pugnantia, vere et proprie locum habent; dummodo singula ad correlatum subiectum, referantur, divina nempe ad divinum, humana vero ad humanum. Sic quae Joan. I. de Christo leguntur, nempe Eum ab aeterno apud Deum exstitisse, Deum esse, ect. de natura Eius di-

---

evenerit (Jes. XLVII. 1—5. LI. 17—23.), inter alia etiam sterilitas et viduitas (Jes. XLVII. 9.); uti vicissim ad fausta designanda sistitur mulier beatissima, id vero est, iuxta nationale iudicium: quae abundat sobole (Jes. LIV. LX.). Quae omnia rursum ex alio tropo pendent, qui orientalibus proprius et frequentissimus est, nempe civitates repraesentandi sub schemate matronarum, metropoles (e μητηρ et πολις) sub imagine matris. Hinc iterum alter derivatur tropus, populum sistens sub imagine uxoris, regem autem sub schemate mariti; idque ad Deum ipsum translatum tropum illum, in toto V. F. obvium, peperit, ubi relatio populi erga Deum, respectu religionis et pietatis, uti vicissim Dei erga populum amor, favor aut severitas sub imagine matrimonii, mutuaeque mariti et uxoris ad invicem relationis multipliciter sistuntur. — Etiam e mera qualitate animi similis tropus desumitur, ut, qui qualitatem illam habet, dicatur ejus filius, e. g. si quis est vitiosus, dicitur vitiositatis filius, ex adverso virtutis filius, qui virtuti studet; pariter hoc nomine insigniuntur res, quae coniunctae sunt tempore, sicque audacius filiae aurorae dicuntur guttae roris, mane stillantis. Concedenda haec sunt hominibus orientis, quorum sermo creber est tropis audacioribus, quia ingenium illorum respuit subtilitatem logicam, et ad sensibilem modum res exprimendi fertur. Eo ipso autem sequitur, non esse singula urgenda, nec in omnibus aliquid insigne aut emphaticum quaerendum.

vina, — ex adverso Eum natum fuisse e virgine, profecisse sapientia, esuriisse, dormiisse, contristatum, passum, et mortuum fuisse ect. de natura illius humana proprie dicta consenda sunt. Obtinet ergo hic prorsus idem, quod in homine, qui mortalis et immortalis proprie dicitur, quatenus illud ad corpus, hoc ad animam refertur. Haec itaque nemo tropica existimaverit.

3. An dictio propria sit, an vero tropica, docet scopus dicentis; videndum itaque, circa quid versetur dictio. Nam in condendis legibus, ac in accuratiori doctrinae expositione non solent usurpari tropi insoliti et audaciores, sed ad summum tales, qui, communi usu triti, propriorum terminorum naturam induerint. Nemo ergo eiusmodi tropos quaerat e. g. in verbis institutionis Eucharistiae [159]). — Idem valet, de planis ac simplicibus rerum gestarum narrationibus. Partes enim historici sunt, res gestas nude et clare narrare. Unde efficitur, in libris historicis figuratum dicendi genus non operose quaerendum, multo minus narrationes historicas in allegorias aut parabolas commutandas esse, nisi luculenta adsint indicia. Contra hanc legem peccarunt, qui narrationem Gen. II. III. de conditione et lapsu primaevorum hominum, itemque Prophetae Jonae historiam in allegoriam commutarunt. — Ex adverso in poeticis facilius licet admittere tropos. Poetae enim est, sermonem figurarum luminibus exornare, et comparationibus ac metaphoris vividiorem reddere.

4. Persaepe contextus docet, propriane, an impropria sit haec illave dictio. Sic verba Christi Joan. VII. 37. „Si quis sitit, veniat ad me, et bibat," tro-

---

[159]) Vid. supr. §. 25. nr. 2. §. 37. nr. II. 1.

pica esse, liquet e v. 38. ubi mox subiungitur: „Qui credit in me ect." itaque sitis non physica, sed moralis, veritatis cognoscendae et felicitatis verae obtinendae intelligenda est. — Prout autem contextus saepius tropum adesse manifestat, ita multum saepe confert ad fictos tropos elidendos. Sic quidam [160]) verba Jesu Joan. V. 21. „Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et filius, quos vult, vivificat," sonare praetendunt non proprie de futura mortuorum resurrectione, sed tropice de moraliter mortuis, e vitiis ad novam meliorem vitam suscitandis. Verum violentam hanc perversionem dictionis propriae in tropicam, praeter usum loquendi, etiam contextus evidenter respuit. Nam a.) v. 28. et 29. priora illa verba clarius explicantur: „Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui *in monumentis* sunt, audient vocem filii Dei, et *procedent*, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae (i. e. felicitatis), qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii" (i. e. poenae); quae verba manifeste sensu proprio de physica mortuorum resurrectione sonant: ostendi enim prorsus nequit, Judaeis frequentatum fuisse tropum, quo hominem vitiis deditum dicerent habitare „in sepulcris," conversionem autem ad vitam moralem tamquam „egressum e sepulcro" repraesentarent. Nequit etiam dici, eos, qui bo-

---

[160]) Quos recenset C. T. Kuinoel, Evang. Joan. illustr. ed. 3. Lips. 1825. ad h. l. Ex adverso locum hunc de resurrectione mortuorum futura, proprie sic dicta, explicandum esse, insigniter comprobarunt Storr l. c. (n. 53.) t. 3. p. 141. ss. 153. 272. ss. — H. A. Schott, Opusc. exeg. crit. dogm. Jen. 1817. t. 1. p. 196. ss. et Eiusd. Comm. in eos Jesu serm. qui de reditu Eius ad iudicium ect. agunt, Jen. 1820. p. 365. ss. — De lege hac cf. supr. §. 28. nr. 2.

na egerunt, resurrecturos ad resurrectionem vitae i. e. ad vitam moralem, cum hanc alioquin iam prius egissent, — uti nec de iis, qui mala egerunt, dici posset, eos prodituros ad resurrectionem iudicii i. e. resurrecturos ad peccata, utpote, qui non resurgunt primo ad peccata, non incipiunt, sed continuant peccare. — b.) Additur etiam v. 27. hanc potestatem suscitandi et iudicandi datam esse Jesu a Patre, „quoniam filius hominis est," ergo tamquam singulare quid, et soli Jesu proprium propter dignitatem Eius eminentiorem; iam vero homines moraliter tantum suscitare, seu ad meliorem vitam moralem convertere, non potest dici soli Jesu proprium: quia id iam ante Illius adventum praestiterunt Prophetae et Joannes Bapt. postea autem magis Apostoli. Esset ergo, hoc sensu, sermo langvidus, prout universim totus hic tropus, violentus et contextui manifeste contrarius [161]).

[161]) Neque quis opponat, Joan. V. 21. de physice mortuis eo non posse sermonem esse, quia dicitur: „quos vult vivificat," cum tamen communis sententia doceat, per Christum olim *omnes* excitandos esse; verum advertere oportet, v. 21. duo dici de Patre, nempe „quod suscitet, et vivificet;" primum est: mortuos ad vitam revocare, — alterum vero: felicitate donare, beare, ut patet e v. 29. ubi resurrectio *omnium mortuorum* (v. 28.) distingvitur a conditione duplici resurrectionem secutura, altera piorum, *vitae*, altera impiorum, *iudicii.* Cum ergo filius aequetur in utroque Patri, cum praeterea Illi tribuatur potestas vivificandi, i. e. beandi, quod locum non habet, nisi prius suscitentur mortui: suapte patet, suscitationem physice mortuorum in utroque loco includi; dum autem dicitur Jesus vivificare, quos *vult*, verbum *θελειν* coll. חָפֵץ, ut alias quoque saepe, usurpatur pro: „complacere sibi in aliqua re, delectari aliquo," uti e. g. Matth. XXVII. 43. Ps. XXI. 8. 9. Sensus itaque est: Filius vivificat, i. e. felicitate donat, quos probat, quos diligit, nempe fideles, virtuti deditos.

5. An dictio propria vel tropica sit, etiam e locis parallelis liquet. Luculentum huius exemplum occurrit Joan. XI. 14. ubi Jesus aperte profitetur, Lazarum mortuum esse, adeoque verba illa, quibus antea v. 11. usus fuerat, „Lazarus amicus noster dormit," non de somno proprie sic dicto, sed tropice de morte, quam obierat Lazarus, fuisse sumenda [162]). Denique

6. Idem docet natura rei, si nempe e propria significatione absonum quid sequeretur; ita Matth. XIX. 12. non de castratione proprie tali, sed de spontaneo coelibatu, — ita etiam Matth. V. 29. 30. „Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum ect." non de mutilatione proprie tali, sed de abnegatione eorum, etiam carissimorum, quae nos pervertunt, summenda esse liquet, quum mutilatio propria, natura sua, sit illicita.

§. 41.

II. Regulae tropos interpretandi.

Tropo detecto, restat eius recta interpretatio, quo in negotio

1. Quaerendum, unde imago sit petita? et quoniam imago plerumque e quadam rerum similitudine desumitur [163]), ultro quaerendum: quae sit similitudo

[162]) Cavendum tamen, ne voces, quae iam proprie, iam improprie adhibentur, quovis loco idem significare putentur: etenim significatio non raro pro diversitate contextus et substratae materiae variat; e. g. „Spiritus S." iam proprie, iam improprie, de operatione divina, de miraculis, et de donis extraordinariis sumitur. De lege hac cf. supr. §. 32. nr. 2.

[163]) Hoc translationis fundamentum praeter rerum similitudinem (quam orientales nonnunquam a longe petunt, uti si gladio tribuitur os Jer. XXI. 7.), saepe alius etiam rerum notionumve nexus est, uti cum ponitur antecedens pro consequente, caussa pro effectu, continens pro contento, abstractum pro concreto vel obiecto, genus pro specie ect. ac vicissim.

inter imaginem et rem designatam, seu inter signum et rem significatam, verbo, quod sit tertium comparationis [164]). Idque eo felicius detegitur, quo penitior habetur rerum ipsarum, a quibus tropi desumti sunt, et usus loquendi cognitio; qua si interpres revera instructus fuerit, in detegendo tertio comparationis, ac proin in ipsa troporum interpretatione nulla laborabit difficultate. Sic dum Deus, vel rex, dicitur pastor, tertium comparationis est cura et regimen gregis, et — populi: quare recte substituitur expressio propria „curator et rector." Judaei recentiores, inprimis vero Pharisaei, tropum hunc transtulerunt ad doctores populi, qui doctrina curabant et regebant populum, qua notione occurrit in N. F. Eph. IV. 11. Act. XX. 28. 1 Petr. V. 2. — Dum Paulus Rom. XII. 1. praecipit, ut corpus nostrum sistamus victimam vivam placentem Deo: tertium comparationis est, ut corpus ita ad leges morales, ut victima ad leges cerenoniales, regatur.

2. Aliis viis quaerendum, quid dictione tropica significetur, id quippe non raro intelligere licet:

---

[164]) Tertium comparationis dicitur illa notio vel proprietas, quae duabus rebus (nempe quae — et quacum altera comparatur,) communis est, cuius notionis respectu duae res inter se comparantur, verbo, notio, in qua duae res conveniunt; exempl. v. supr. — Hinc patet, quid sit tropum extendere ultra tertium comparationis: nempe citra intentionem dicentis, duas res ex omni parte comparare, cum id ex una tantum fieri debuisset: sic saepe sumitur vox „illuminatio," ut intelligatur perspicua cognitio, scientia: tertium comparationis est „illustratio", spectatur nempe lumen, quatenus illustrat aliquid, ac tenebras dispellit; neque proin lumen in hoc tropo etiam ex alia parte spectare licet, e. g. quatenus calefacit, exhilarat ect. cf. J. Verner, Logica, ed. 3. Pest. 1835. §. 82. Sch. 2. p. 83.

a.) Ex iis, quae per oppositionem dicta sunt; e. g. Matth. VII. 9. 10. per lapidem et serpentem intelligendas esse res noxias, docent opposita, panis et piscis. — Luc. XVI. 8. quid sint filii lucis, ostendit oppositum: filii huius seculi, seu temporalibus nimis intenti; illi ergo sunt, qui religioni magis student, aut studere se simulant, uti Pharisaei.

b.) E contextu: quandoque enim antecedunt vel sequuntur aliqua, quae proprium sententiae sensum aperiunt; e. g. Matth. VII. 3. per festucam designari parvos aliorum — per trabem vero magnos nostros ipsorum naevos, docent antecedentia v. 1. „Nolite iudicare, ut non iudicemini." Accedit consilium Jesu, eo nimirum tendens, ut iudiciorum de aliis temeritatem ac severitatem cohiberet.

c.) E similium locorum comparatione, non raro enim in loco parallelo tropus explicatur. Sic in effato Jesu Matth. XVI. 18—19. „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum," ect. quid sint „portae inferi," quid „claves regni coelorum?" patet e parallelismo: et primum quidem clarum est e Jes. XXXVIII. 10. ubi Ezechias ait: „In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi;" quae contextus manifeste determinat de loco mortuorum, in quem veteres defunctorum animas congregari existimabant, et quem in terrae visceribus repraesentabant Hebraei, prorsus uti eandem orci imaginem deprehendimus inter Graecos et Latinos. Quia vero locum poenarum, ubi torquentur impii, et daemones pariter cruciarentur, aeque in terrae visce-

ribus constituerunt [165]): ᾅδης שְׁאוֹל pariter indicat et locum mortuorum, et etiam tartara seu locum damnatorum. — Porro „porta" sumitur pro potestate et imperio, vel quia portis urbs validissime munitur, vel tropo petito ab auctoritate iudiciorum, quae apud orientis populos circa urbium portas exercebantur (v. Esth. V. 1. 2. Ruth IV. 1. 2 Sam. XV. 2.). Denique imperium inferorum seu orcus, antiquis erat imago summi roboris, et maximae potentiae [166]). Ut adeo remoto tropo sensus sit: ne summam quidem orci potentiam, nedum alterius hostis molimina adversus Ecclesiam unquam fore praevalitura. Quoniam vero tropus hic desumtus est ab oppugnando, sensus proprius plenius patebit, si perpendatur, quid in Ecclesia oppugnetur? nempe doctrina Christi, utpote per quam ipsa coepit Ecclesia. Ergo tacite h. l. praedicitur, gravissimos quidem fore inimicos fidei, sed simul promittitur, potentissimos licet conatus, fidem corrumpendi, aut abolendi doctrinam Christi, irritos tamen fore; quo pacto necessaria sequela est, coetum hunc fore indefectibilem et perpetuum; id autem quia esse non potest, ubi locus est errori, aeque necessario sequitur, Ecclesiam in rebus, ad systema fidei et salutarem doctrinam attinentibus, errare non posse. — In altera autem phrasi „claves" symbolum esse regiminis, administrationis, et summae rerum potestatis, clarum est ex Apoc. III. 7. ubi de Messia, in coelis iam regnante dicitur: „Qui

165) Cf. Luc. XVI. 22. 23. de epulone, in inferno sepulto, ibique in tormentis constituto; et 2 Petr. II. 4. de angelis peccantibus, in infernum detrusis, ibique cruciandis.

166) Sic Cant. Cant. VIII. 6. „Fortis est, ut mors, dilectio; dura, sicut infernus, aemulatio." Petron. Sat. 62. „Ecce autem miles fortis tamquam orcus."

habet clavim David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit;" cui gemellum est Jes. XXII. 22. Insuper in oriente gubernator aulae regiae, qui ceteris ministris aulicis imperabat, et, quae ad aulam spectabant, curabat, in signum muneris sui elegantem clavim in humero gestabat. — Denique quia „regnum coelorum" obvie de regno Messiae i. e. Ecclesia, in terris visibili, adhibetur: tropo remoto, Petro confertur potestas summa regendi et moderandi Ecclesiam. —
— Ita etiam: „sedere ad dexteram Dei," esse regnare, participem esse gubernationis divinae, docetur Eph. I. 20—23. 1 Cor. XV. 25—28. quae participatio gubernationis divinae evidenter confirmata fuit effusione Spiritus S. et miraculis, quae Apostoli in nomine Jesu patrabant.

§. 42.
Regulae allegorias et parabolas interpretandi.

In rite intelligendis et explicandis allegoriis et parabolis [167]) ante omnia opus est exacta notitia usus loquendi et historiae nationis aut instituti, de quo ser-

[167]) Quae ambae sunt species troporum integrae orationis, v. supr. §. 11. — Leges vero harum rite exponendarum proposuerunt: Storr l. c. (n. 53.) t. 1. p. 89. ss. — Morus l. c. (n. 42.) t. 1. p. 306—20. — Unger l. c. (n. 53.) p. 90. ss. ubi simul varias, a variis hoc in negotio tritas, vias recenset; Eiusd. Abhandlung über die Parabeln Jesu, im neu. Krit. Journal v. Winer. 9. B. 1829. p. 129. ss. 257. ss. — F. Rettberg, de Parabolis J. C. Gott. 1827. — add. Richter, üb. die Gleichnißreden des Herrn ect. in neu. theol. Zeitschr. v. Pletz, 3. Jgg. 1. B. 1830. p. 153. ss. — S. Glassii Philologia S. his temp. acc. a J. A. Dathio, t. 1. Lips. 1776. p. 1294—1311.

mo est, item rerum (praecipue archaeologicarum), a quibus imago desumta est: ex his enim intelligitur, e. g. apud orientales regna comparari matronis, reges autem maritis; item collectionem et repositionem frumenti significasse remunerationem, combustionem straminis poenam; pariter historia populi hebraici docet, Hebraeos inde a primordio tot licet beneficiis a Deo cumulatos, semper tamen erga Eundem perfidos fuisse et rebelles; item gentiles a Judaeis summo odio fuisse habitos et contemtos, eapropter canes appellatos ect; unde plura Bibliorum loca lucem capiunt. Atque horum et similium notitia, inprimis ex Archaeologia haurienda, praevie instructo interpreti, qui allegorias et parabolas feliciter interpretari cupit, sequentes regulae observandae veniunt, nempe

1. Indagare oportet, quo fine allegoria vel parabola sit proposita, quis sit scopus eius, quae sit veritas principalis, ope allegoriae aut parabolae illustranda? Haec vero discere licebit:

a.) E diserte adiecta explicatione; e. g. allegoriam Jes. V. 1—6. de vinea, quae, summa cura ac diligentia culta, fructus tamen non tulerit, ipse Propheta explicat v. 7. dicens: „Vinea Domini exercituum domus Israel est."—Ita etiam parabolae Matth. XVIII. 23. ss. a creditore desumtae, qui fratri debitum minutum remittere noluit, cum tamen ipsi remissum fuisset multo maius, subiungitur ab ipso Jesu explicatio v. 35. „Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris."

b.) E contextu; subin enim praemittitur, subin subiungitur, aut utrinque ponitur sententia, quae parabolam aut allegoriam illustrat. Sic Eph. VI. 11—17. multa leguntur de armatura Christianorum, nominan-

tur calcei, cingulum, lorica, scutum, galea, gladius; quid haec designent, e praecedentibus Apostoli verbis patet, v. 10. 11. „Fratres confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius; induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli;" nunc per partes armaturae militis, ad pugnandum promti, eundo S. Auctor singula membra sic interpretatur, ut cuivis armorum generi adiungat aliquem animi vere Christiani habitum et adminiculum aliquod ad repellenda, quae fidei et virtuti hominis Christiani exitium minari viderentur; ut adeo pugnam spiritualem, fortitudinem et constantiam inculcare voluerit.

c.) Ex occasione allegoriae aut parabolae. Ita parabolae illi Matth. XVIII. de rege, cum servis suis rationem ponente, ac servo immisericorde, etiam occasio affundit lucem, scilicet quaestio Petri, quoties offensa dimittenda sit.

d.) Subin e sola historia, aliunde nota; e. g. allegoriae, Matth. XIII. 31. „Simile est regnum coelorum grano sinapis ect." item v. 33. „Simile est regnum coelorum fermento ect." unice ex historia illustrantur: loquitur nempe Christus de Ecclesia sua; hinc consulenda est de illa, historia, quae pandit, quomodo Christi Ecclesia a parvis initiis in permagnum coetum excreverit, per omnem terrarum orbem diffusum. Pariter in parabola Jes. V. de vinea, sedulo culta, populum Israeliticum, qui innumeris licet beneficiis divinis ornatus, attamen ingratus fuit, intelligendum esse, eiusdem historia docet.

2. Detecta principali veritate, ope parabolae aut allegoriae docenda vel illustranda, porro ex occasione, scopo, natura rei et similibus diiudicandum est, quae partes cum palmaria illa veritate necessario nexae

sint, quae item salvo parabolae aut allegoriae sensu abesse vel aliter esse possint? atque haec posteriora adiuncta, significativa non sunt, neque proin, in explicanda allegoria vel parabola, premenda, ne explicatio ultra limites et scopum extendatur. Permulta sane allegoriis et parabolis admixta esse solent, quae non ad rem significatam, sed unice ad perfectionem imaginis, atque ad ornatum sermonis spectant; ut adeo hic prorsus idem habeat locum, quod in statuis aut picturis symbolicis obtinet, in quibus ipsa duntaxat integra figura est symbolum rei significatae, et significat id, quod pictor aut sculptor indicare voluit: e. g. matrona, velatis oculis libram in manu tenens, sistitur ceu symbolum iustitiae; atque prout in his quisque prudens unice integram figuram, e. g. matronam ipsam, cum principalibus adiunctis, nempe oculis velatis et libra considerat, et explicat, in ceteris autem, quae unice ad complendam figurae integritatem adiicienda erant, uti in capillis, digitis, ungvibus, fimbriis ect. nullam quaerit significationem, ne fors rideatur a pictore: ita etiam in allegoriarum aut parabolarum sensu constituendo tantum pars principalis cum essentialibus adiunctis explicanda, nequaquam autem singula anxie scrutanda sunt. Quare si quis in parabola de filio prodigo, postmodum poenitente, ad patrem reverso, ac benigne excepto Luc. XV. 11. ss. ea, quae dicuntur de prima stola, de calceamentis, de annulo, vitulo saginato ect. quae nonnisi ad ornandam imaginem adiecta sunt, et generatim tantum gaudium exprimunt, — ad ipsam principalem doctrinam referret, atque singulis distinctum sensum subesse existimaret, certe insulsam proferret interpretationem. Sensum vero totius huius parabolae, spectata occasio-

ne, contextu ect. ita constituere licet: Deus serio poenitentiam agentes benigne in gratiam recipit, peccata iis remittit, eosque beneficiis ornat. — Sic etiam Jes. XI. 6—7. in imagine ferarum et cicurum animantium, summa cum concordia in uno eodemque loco degentium, imperiti foret interpretis, quaerere, quid leo, quid ursus, lupus, quid item vitulus, bos, agnus ect. significent in regno Messiae? his enim speciatim nihil, sed tantum generatim imago felicitatis, et altae ac inconcussae pacis exprimitur, quae temporibus Messiae, hominibus, inimicitia omni deposita, religione emolliendis, et in unam velut familiam coniungendis, regnatura praedicitur. Denique

3. Ubi interpres non tantum veritatem principalem detexit, sed partes quoque palmarias, adeoque significativas determinavit, in id enitatur, ut doctrinam ipsam, sub schemate latentem, deposita imagine, separatoque narrationis ornatu, propriis iam ac perspicuis verbis exprimat; quod ut feliciter praestet, neque seu ultra seu citra dicentis consilium quid statuat: sedulo exploret tertium comparationis, atque similitudinem hanc, cunctaque eius adiuncta significativa illo et non alio ex obtutu, quam e mente loquentis fieri debet, spectet, oportet, ne fors auctori sententiam, a scopo suo alienam obtrudat. Denique, ut cuncta haec e votis cedant, cetera quoque interpretationis adiumenta in subsidium vocanda, illisque conformiter singulae, inprimis vero eae partes expendendae veniunt, quae secus fors offensioni locum praebere possent. Sic e. g. quid Jesus parabola de oeconomo improbo Luc. XVI. 1—9. [168]) sectatores suos docere vo-

[168]) De parabola hac praeter alios plurimos scripserant: Schreiter, qui varias huius par. explicationes congessit et

luerit, Ipse indicat v. 9. monens, ut quisque prudentem simul tamen honestum divitiarum caducarum faceret usum, quo sic in vita altera perpetuis ornaretur praemiis. Insuper e maligno risu Pharisaeorum v. 14. patet, parabolam hanc praecipue ad hos avaros fuisse directam; deridebant scilicet Jesum, quoniam senserant, hisce Eius monitis suam taxari avaritiam. Sed ut mens Jesu plenius perspiciatur, cetera quoque parabolae adiuncta expendenda sunt: videtur enim laudari oeconomi iniqui prudentia in decipiendo domino suo, — porro haud congruum videtur, quod commendatur v. 9. nempe, per mammonam *iniquitatis* procurandum esse aditum ad aeterna tabernacula. Verum rite intellecta parabola haec nihil continet offensionis. Nam v. 8. non laudatur oeconomi perfidia, quae semper fuerat reprobanda, sed prudentia, qua e bonis sibi concreditis provide sibi de futura sorte prospicere novit. — Porro „mammona iniquitatis" v. 9. explicari debet ex usu loquendi: *μαμωνας* vocabulum origine syriacum ܡܡܘܢܐ proprie quidem idolum significat, quod divitiis praeesse credebatur, frequentius tamen „divi-

examinavit in lib. „hist. crit. explicationum par. de oecon. improb. descriptio Lips. 1803". — L. Bertholdt, Com. in Luc. XVI. in eiusd. op. acad. a Winer ed. 1824. — Storr l. c. (n. 53.) t. 1. p. 136. — Unger l. c. (n. 53.) p. 79. ss. — Nitzsch et Flatt im Magaz. f. Dog. u. Mor. v. Flatt; 4. St. p. 1. ss. 6. St. p. 24. ss. — Jahn l. c. (n. 121.) p. 125. — Rauch, im neu. Kr. Journal v. Winer, 4. B. p. 385. ss. — F. Gelpke nov. tent. Par. J. de oecon. iniusto Luc. XVI. intp. Lips. 1829. coll. Journal v. Winer, 9. B. p. 449. ss. — H. Hartmann com. de oec. imp. L. XVI. Lips. 1830. — C. T. Kuinoel Comm. ad h. l. — praeplacent, quae Storr, Nitzsch, Flatt, Jahn, Kuinoel monuerant, e quorum observatis praesens, quam exhibeo, explicatio, nonnullis additis, collecta est.

tias, opes"; *αδικια* vero non notat h. l. stricte „iniquitatem", sed instabilem fluxamque divitiarum conditionem; et hoc sensu divitiae possunt dici iniquae, i. e. fallaces, quae nempe divitibus id non praestant, quod hi ab iis sperant; hanc vocis huius h. l. significationem confirmat v. 11. ubi *τῳ αδικῳ μαμωνᾳ* opponitur *το αληθινον* „constans, verum, stabile, perpetuum"; ergo per oppositionem *μαμωνας της αδικιας* vel *αδικος* indicat „divitias (non iniustas, iniquas, sed) instabiles, caducas". Sensus proin est: sicut oeconomus sagacitate et prudentia sua de futura sorte sibi prospexit, e bonis domini sui comparando sibi amicos, qui eum, officio dimissum, in domos suas reciperent; sic divites recto divitiarum fluxarum usu aeternae suae beatitati procurandae prospiciant. Interim adhuc parum apta videtur oeconomi *iniqui* imago, ille enim, etsi ingeniose et provide, semper tamen perfide, utpote e bonis alienis, sibi paravit amicos; cuius proin exemplum Christus nequaquam proponere potuit divitibus imitandum. Superest ergo, ut tertium comparationis inter oeconomum et divites exploretur: illud vero quaerendum est in ea similitudine, quam oeconomus habet cum divitibus. Sicut nempe oeconomi non erant bona propria, e quibus provide sibi comparavit amicos, sed unice curae suae a domino commissa; sic etiam Deus divitibus opes *administrandas* concessit, non ideo, ut in iis fiduciam suam, felicitatemque omnem reponerent, sed ut illis tamquam providi *dispensatores* uterentur ad comparandas sibi fortunas stabiles ac aeternas. Jam nunc doctrinam ipsam, hac parabola commendandam, ornatu omni deposito, ita fere proponere licet: quod attinet divitias seu comparandas seu in usum convertendas, illis nunquam non prudenter vobis

prospiciatis de futurae vitae felicitate; iustum pretium divitiis utpote vanis statuatis, earumque curam postponatis studio bonorum coelestium; itaque opes terrenas, caducas illas, vobis ita parate, easque ita administrate et adhibete, ut Deo, qui eas vobis concesserat, probemini, et in coelo bona vera atque perpetua recipiatis. Ita Jesus ipse, velut superius innui, mentem suam explanavit v. 9—13.

VIII. PERSONA LOQUENTIS, ALIAQUE ADIUNCTA.

§. 43.

Auctoris et auditorum vel lectorum persona, ceteraque adiuncta individualia.

Compertum cuivis est, quo plura rei cuiusdam adiuncta undequaque explorata habentur, eo plenius clariusque rem ipsam intelligi. Ut itaque sensus penitius perspiciatur [169]), omnis tum auctoris, tum auditorum vel lectorum externa et interna conditio, omniaque adiuncta expendantur, est necesse. Scilicet, ante omnia alia adiumenta logica, sedulo inquirendum [170]): quis et qualis sit seu libri auctor seu alius, qui loquens inducitur, unde oriundus, ubi et qualiter adoleverit, quo fuerit ingenio praeditus qua institutio-

169) Et hac nonnisi de caussa, adiumentum praesens, quod, ipsa rei natura poscente, primo loco ponendum erat, ultimo demum expenditur: quia nempe non tantum immediate sensus inventionem promovet, sed etiam sensui, secundum priora adiumenta iam determinato, ampliorem affundit lucem, quae in internam quoque dictorum vim, ceteramque indolem penetrat.

170) Quod feliciter praestabis ductu Introductionis in Libros SS. itaque cf. opp. cit. n. 18.

ne fruitus, quo loco res eius fuerint, num iniqua an laeta eius fuerit sors, qua vixerit aetate, et qualis fuerit illa aetate et in illa regione reipublicae utriusque conditio, porro in qua regione — quo loco — quibus et qualibus scripserit lectoribus, aut dixerit auditoribus, quo sermone quo stilo utatur, — quae in ipsa orationis serie sit persona loquens? Denique, ut paucis omnia complectar: lector et interpres, ut ultra corticem penetrare valeat in mentem auctoris, historica adiuncta omnemque indolem auctoris et auditorum primorumve lectorum, quoad eius fieri potest, sibi familiarem [171]) reddere, atque tum se totum in locum, aetatem, conditionem, et circumstantias auctoris cogitando transferre debet. Nam nonnisi sic demum sensum dictorum plene perspiciet. In specie vero

1. Inprimis spectandus est habitus personae loquentis, nempe dignitas et gravitas, item sentiendi et cogitandi ratio, verbo eius character, tum affectus. Quemadmodum enim voces nunquam rei ipsius conditionem penitus exaequant, ita neque omnem personae loquentis habitum mentemque perspicue exprimunt, sed fere tantum fores reserant, quibus apertis demum

---

[171]) *Induendus* est intepreti animus illius, quem interpretatur, auctoris. Experientia nimirum luculenta testis est, eorum nos sensa optime intelligere, quos penitius noscimus, et quibus familiariter utimur. Quo quis igitur penitius se insinuabit amicitiae auctoris exponendi, eo felicius mentem eius assequetur. Jugi itaque ac assidua lectione scriptor antiquus, quasi e mortuis excitandus, et ad vivum repraesentandus est. cf. J. C. Dannhauer, Herm. S. p. 149. 347. — D. Seyffarth, Beytr. wie sehr die gram. Interpetation d. N. T. die bes. Verhältnisse d. neutest. Schriftsteller ect. zu beobachten habe, im Kr. Journal v. Bertholdt, 15. B. 1822. p. 113. ss. add. n. Kr. Journal v. Winer, 5. B. 1826. p. 470. ss. 9. B. 1829. p. 194.

interpreti circumspiciendum est, quid in animo loquentis lateat, id est, quid et qualiter cogitaverit, senseritque. Necesse itaque est, ut indigitata loquentis indoles perspecta habeatur, atque iuxta eam iudicentur et expendantur dicta; sic quippe, non modo notio unica et sententia, ab auctore spectata, sed etiam limites eius, omnisque reliqua vis exacte cognoscetur: omnis enim loquens characteri et affectui suo convenienter prout dixisse, ita etiam intelligi voluisse censendus est. Atque hinc

a.) Spectato loquentis charactere, hanc licet statuere legem; Dicta ita exponenda sunt, ut characteri loquentis respondeant; quapropter sensus, qui intellectuali et morali charactere auctoris indignus esset, tamquam ab eo intentus habendus est nunquam. Sic si certo constet, virum constanter omnino gravem, et ad omnem humanitatem compositum fuisse, qui verba fecit: eius verbis sensus ludicrus aut inurbanus profecto haud est tribuendus, etiamsi forte, nude spectata, huius capacia essent; vir enim talis dicta quaevis characteri suo conformiter moderatur. Itaque repudianda est sententia, qua e. g. *παρακλητος*, *πνευμα ἁγιον* Joan. XIV.—XVI. de ordinario providentiae divinae auxilio explicatur; quia Jesus delusisset Apostolos, si de ordinario tantum auxilio cogitans inter cetera XIV. 26. promisisset: „Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixi vobis.” Nam Apostoli recte ideo despondebant animum; seque ad munus doctorum digne gerendum minus idoneos fore existimabant, quia ordinarias suas vires eo non sufficere cogitarunt; de ordinaria vero providentia, tamquam viri pii, alioquin minime dubitarunt.

Itaque character Christi postulat, ut πνευμα άγιον h. l. auxilium divinum extraordinarium denotare censeatur [172]). — Ita etiam, qui verba Christi Joan. II. 4. „Quid mihi et tibi est mulier"? sensu inhumano explicaret, certo erraret, cum spectato charactere Jesu, qui perpetuo omnes quidem eximia humanitate, matrem vero inde a prima adolescentia Luc. II. 52. usque extremum spiritum Joan. XIX. 26. 27. eadem semper sincere filiali pietate prosecutus fuerat, nulla in Eum inhumanitas aut impietas cadat; existimandum itaque, Jesum verba haec ita protulisse, ut filiali affectui non adversarentur, praecipue cum alias quoque sensu mitiori adhibita legantur [173]).

[172]) Spectato eminenti Jesu charactere, non possunt non probari verba J. L. Ewald, quibus in recentiores illos, qui miracula Jesu, et signanter quidem sanationes aegrotorum naturaliter explicare nituntur, invehitur, dum Anhang zu d. Schrift: Religions-Lehren der Bibel, Stuttg. 1814. p. 50. scribit: „Es empört mich im innersten, wenn Scharfsinn und Gelehrsamkeit zu Erklärungen (der Schrift) angewendet werden, die den Charakter Jesu so ganz herabsetzen, ihn zu einem frommen, oder fromm-scheinenden Charlatan machen, von dem sich jeder gerabsinnige Mensch wegwenden würde." — Item J. L. Hug, Zeitsch. f. d. Geistl. Freiburg 1828. 2. H. p. 94. „Der wandernde Arzt, mit seinen Arcanen, die er dem H. Verf. (Dr. Paulus im Leben Jesu) verdankt, wäre schlimmer daran, als jeder guten Männer. Er ein fahrender Heilkünstler, wollte für etwas weit Höheres gehalten seyn, und ließ darüber das Volk nicht blos im Irrthum, und zeigte nicht, wie ein Ehrenmann, seine Kraftmittel, und bekannte ihre, von der Natur verliehene Wirkung, sondern verhehlte sie, um den Wahn zu nähren, er sey ein Wesen göttlicher Art. — — Welch' ein Riß in die erhabene Sittlichkeit seines Lebens und seiner Lehre! Wie groß, und wie erbärmlich klein: wie edel und wie — —!"

[173]) Uti 2 Sam. XVI. 10. 1 Reg. XVII. 18. Matth. XXVII. 19. cf. C. Schuster, über Joan. II. im n. Kr. Journal v. Winer, 9. B. 1829. p. 3. ss.

Ceterum prout universim, ita in specie quoad similia effata optandum foret, ut tonus enunciationis et gestus actionis literis proditi haberentur; hi enim ad sensum facilius et penitius cognoscendum plurimum conferunt, et signanter quidem docent, an serio vel ironice, asperius vel mitius dicta sumenda sint, an in affectu dixerit loquens vel non, ect. Sic e. g. si legeremus, Jesum verba illa: „quid mihi et tibi mulier"? svavi tono pronunciasse, omnem etiam speciem offensionis amitterent.

b). Qui affectu abreptus loquitur, aliter, quam animo sedato loquens, sermonem suum componit; unde etiam quisque dicta in affectu nunquam ita vult intelligi, acsi animo pacato sermonem fecisset. Quapropter, spectato loquentis affectu, ordinaria vocabulorum potestas iam

א. augenda est, quotiescunque nempe ex iis, nude acceptis, sensus frigidus emergeret; sic e. g. Joan. XIII. 6. verba Petri: „Domine, tu mihi lavas pedes," ita exponenda sunt: Tu, Dominus et Magister cum sis, cuius ego deberem lavare pedes, Tune mihi tantum praestare vis obsequium! Jam

ב. mitiganda, si nempe dicta in affectu secus sanum sensum non funderent: quia, qui sunt animo commoto, minus accurate dicunt, exaggerant rem et praeter modum augent, iusto durius loquuntur, neque, qui affectu calent, verba sua et phrases, singulaque sermonis momenta ponderant. Sed eo ipso consequitur, similia dicta nec exponenda esse secundum omnem rigorem sensu strictissimo, neque proin urgenda aut premenda nimis, sed potius limitanda, dando nempe aliquid etiam affectui. Hinc imprecationes, in Psalmis, Jobo et Jeremia occurrentes, non pro omni rigore su-

mendae, sed commodo sensu exponendae sunt, utpote prolatae in affectu vehementer concitato [174]).

2. Spectandus est habitus personae auditorum vel lectorum: quum enim huic loquens quisque vel scribens dicta conformare soleat, patet, ex hoc quoque, rite cognito, varia in interpretationem commoda redundare; sic praeter alia

a.) Indoles auditorum docet, quibus terminis dicta circumscribenda, adeoque an latius, an angustius sumenda sint; ita e. g. Matth. V. 37. „Sit sermo vester est est, non non", omnis generis iusiurandum interdictum esse, nemini forte in mentem venisset, si modo ponderare nemo neglexisset, *quibus* interdicatur, horumque perversa consvetudo et opiniones pravae, quas Jesus proprie notare voluit, satis cognitae fuissent. Nam ii proprie notantur, qui, etiam in levissimis quibusque caussis, nihil facile sine iurisiurandi adiunctione vel aiebant, vel negabant, et qui iureiurando, quod per coelum aut aliam rem *praeter Deum* iurarent, etiam neganda firmari, aut affirmanda negari posse putabant *sine periurio*, utpote quod nonnisi in iurantes per Jehovam cadere existimabant. Patet itaque, necessarium (Hebr. VI. 16.) iusiurandum, quod quis per Deum religiose iuraret, nequaquam interdici [175]).

b.) Praeiudicia auditorum pandunt ellipses, cogitando supplendas; sic Matth. VIII. 19. 20. „Accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Jesus: vulpes foveas habent, et vo-

[174]) Plura de his imprecationibus recte praecipit Ackermann l. c. (n. 18.) p. 301. — Ceterum recte haud pauci monent, plerasque harum imprecationum esse comminationes, adeoque vaticinia.

[175]) Vid. supr. §. 25. nr. 3.

lucres coeli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet". Hoc Jesu responsum pro Judaeorum praeiudiciis, quae de indole regni Messiani, scilicet terreni, fovebant, plenius ita reddendum est: Tu ideo perpetuus meus comes fieri cupis, quia speras fore, ut in regno, a me fundando, honoribus et divitiis aliquando fruaris; sed falleris, non enim tale erit regnum Messiae, quale futurum tu speras: nam ego nullas habeo opes, quibus secularem fundem potestatem, eamque confirmem et tuear; omnibus enim vitae commodis destituor adeo, ut ne quidem fixum habeam domicilium, ubi me ab incommodis noctis, aliisque tempestatis tuear iniuriis, ut adeo deteriori fere loco sim positus, ac vulpes et aves, quae sua tuta et certa habent habitacula; tu ergo, talem fovens spem, non potes perseveranter meus esse discipulus, ubi enim videres, te honorum divitiarumque, in regno meo obtinendarum, spe delusum esse, mox me desereres.

c.) Cogitandi sentiendique ratio et cetera auditorum vel lectorum indoles docet, cur quis ita et non aliter א. locutus vel argumentatus sit, aut ב. plane responsum negaverit. Sic א. si Paulus 1 Cor. XV. resurrectionem corporum argumentis propugnat, quae non videntur evincere nisi immortalitatem animorum: ratio est, quia Sadducaei, quorum sententiam Paulus petit, contendebant, animum resultare e compositione et dispositione machinae corporis humani, et ea pereunte necessario perire, nec ulla ratione fieri posse, ut animi perdurent aut corpora resurgant [176]). — ב. Matth.

[176]) Cf. Matth. XXII. 31. ss. Marc. XII. 25. ss. — — Cur Jesus in hac vita mortali nunquam diserte dixerit, se esse Deum, uti persaepe quaesiverunt increduli, rationem iam olim reddidit Theodoretus Comm. in Ep. ad Rom. I. 4. scribens:

XXVI. 62. 63. dicitur, Jesum, a testibus iniquis coram iudicio accusatum, tacuisse, etsi pontifex responsum urgeret: quia nempe, quae testes obiecerant, eiusmodi erant, ut ea, alioquin responso haud digna, refellere opus non esset, et quia videbat apud iudices, qui necem ipsius constituissent, omnem orationem vanam fore atque inutilem [177]). Denique

d.) Praeiudicia auditorum saepe rectam et plenam dictorum intelligentiam praepediebant. Sic pro opinionibus illis, quas aetate Christi Judaei de indole regni Messiani fovebant, ipsi Apostoli, utpote qui pariter sperabant fore, ut in regno Messiae ad dexteram et sinistram Jesu sederent, non intellexerunt, quae Jesus de violenta sua morte in cruce, praedixerat Luc. XVIII. 31—34. — Dictum Jesu Joan. II. 19. „Solvite

„Ante crucem et passionem Christus non solum aliis Judaeis, sed ipsis etiam Apostolis non videbatur esse Deus. Offendebantur enim rebus humanis, quum eum comedentem, dormientem laborantemque viderent; et ne eius quidem miracula eos ad hanc sententiam adducebant. Jam enim, quum illud, quod in mari factum est, miraculum vidissent, dicebant: quis est hic *homo?* nam et mare et venti obediunt ei. Et propterea Christus etiam eis dicebat: habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo; quando autem venerit ille spiritus veritatis, ille vos deducet in omnem veritatem. Post resurrectionem autem et ascensionem ad coelos, quum venisset Spiritus S., et Apostoli omnis generis miracula, venerabili Eius nomine invocato, efficerent: omnes qui crediderunt, cognoverunt, Eum esse Deum et unigenitum filium Dei. Hoc ergo quoque docuit Apostolus, quod, qui filius David secundum carnem dictus est, declaratus et demonstratus est filius Dei per potentiam, quae a Spiritu S. exercebatur, postquam Jesus a mortuis resurrexisset."

[177]) Cf. Vom Stillschweigen Jesu vor d. Kaiphas. — in d. Linzer theol. prakt. Monatschr. 4. J. 1. B. p. 113. ss.

templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud", usque dum Jesus resurrexisset, vel ipsis Apostolis fuit impervium, velut patet e v. 22. — Joan. III. 14. dixit Jesus Nicodemo: „Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis", quod indubie mysterium fuerit Nicodemo usque ad implementum. — Denique auditis licet his Jesu verbis Joan. VI. 63. „Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius"? vix tamen quisquam praesentium de ascensione Eius cogitaverit ante eventum. — Ex his vero patet, quod regula, sensum, quem auditores vel primi lectores non protinus plene perspexerunt, falsum esse, iure statui nequeat. Atque hinc audiendi non sunt, qui Joan. VI. de SS. Eucharistia exponere renuunt, quod sic haec Jesu oratio auditoribus obscura fuisset [178]).

Quandoque alia etiam accessit caussa, quae difficiliorem reddebat doctrinae intelligentiam, uti eius novitas, vel quaedam obscuritas; quare Prophetae saepius fatentur, se ipsos non perspicere, quod praedicunt, sed intellectum iri a posteris [179]). Atque ex omnibus his sequens fluit regula negativa: Sensus, qui auditoribus vel primis lectoribus, aut ipsis etiam Prophetis, tamquam non sua cogitata, sed consilia divina, sibi divinitus revelata, proponentibus, non

[178]) Ceterum quisque largietur, hanc Jesu doctrinam tunc non fuisse plene intellectam; ita nempe locutus fuerat, ut auditorum excitaret attentionem, quo sic tardius, ubi promissum hoc impleri cernerent, recordarentur eorum, quae ipsis dudum antea praedixisset.

[179]) Cf. Jes. VI. 9—13. XXIX. 11—14. Jer. XXIII. 20. XXX. 24. Ezech. XXXIII. 33. Dan. VII. 28. VIII. 27. XII. 8. 9. Zach. II. 13. 15. IV. 9. VI. 15. Jahn l. c. (n. 121.) p. 35.

continuo erat perspicuus, quia vel res ipsa nova aut obscura, vel intellectus eorum praeiudicatis opinionibus occupatus erat, ex hac sola caussa non est reiiciendus. Denique

3. Ponderanda sunt cetera quoque personarum, locorum, et temporis adiuncta, quum loquens his etiam sermonem aptare soleat. Scilicet

a.) Quoniam proverbium: „Circumstantiae mutant casum", non tantum de rebus morum et iuris, sed, commodo sensu, de vocabulorum quoque potestate valet, cum pro locorum, temporum et personarum varietate vocabulorum quoque potestas variare soleat: ex adiunctis his saepe feliciter decidere licebit, quae quovis loco dictionum polysemarum notio obtineat. Sic „προσκυνεῖν adorare, inprimis *genua flectendo*, humi se prosternendo", orientalibus, et in specie Hebraeis quemlibet quidem cultum tam civilem quam religiosum, — at Graecis, quibus Paulus Philipp. II. 10. scribit, nonnisi cultum religiosum, Deo exhibitum, significabat: unde patet, Paulum Christo gravissime divinam asserere dignitatem, dum l. c. scribit: „In nomine Jesu *omne genu flectatur*, coelestium, terrestrium, et infernorum".

b.) Pro eo, ac dicitur: „Circumstantiae aggravant casum", etiam dicti gravitas saepe ex adiunctis illis demum recte aestimatur, ita, ut ordinaria vocabulorum potestas, si inferior sit magnitudine rei, quam ea e circumstantiis nanciscitur, augenda sit pariter, ac augenda est propter internam rei gravitatem. Sic quam grave Jesu et Apostolis habitum fuerit officium obediendi magistratibus, et condonandi iniurias, metiri licet ex adiunctis, in quibus utrumque inculcatum fuerat: si nempe perpendatur, illud quidem praescriptum

fuisse, dum magistratus generatim iniquissimi fuissent in Christianos, —alterum vero a Jesu, adhuc in cruce pendente, suo exemplo fuisse commendatum. Denique

c.) Ex adiunctis illis saepe diiudicare licet an sententia absolute vel relative sumenda sit. Quae nimirum certis adiunctis ita nectitur, ut illis tantum congruat, et sine illis fors nequidem concipi queat, aut saltem nullum prostet indicium, unde pateret: quod loquens eam aliis aeque applicare voluerit, — ea profecto ceu relativa habenda est. Sic dum Jesus Matth. XIX. 21. dicit: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, — et veni sequere me," id ex adiunctis nonnisi relative per modum consilii dictum intelligitur, nempe inprimis relate ad Apostolos et discipulos Jesu, qui, ut totos se religioni eiusque propagationi consecrare possent, atque eo paratiores essent ad ardui sui muneris vices obeundas, opes terrenas negligere, divitiisque suis sese abdicare debebant [180]).

[180]) Ex adiunctis temporis patet qq. Drem Paulus actum agere, dum, quo historicam fidem narrationis de custodia sepulcro Christi apposita subrueret, l. c. (n. 143.) 2. Th. p. 261. ita arguit: „Wie kömmt es, daß die Herren vom Synedrium sich um eine Wache ohne Noth an Pilatus wenden? Denn eine jüdische Wache, oder auch ihre Polizeydiener in den Garten eines jüdischen Synedristen zu schicken, hatten sie ohne Pilatus Vollmacht genug." Profecto apposite respondet Cl. Hug: „Aber man trug keine Waffen, stand nicht Wache, Herr Doctor, es war großer Sabbath!" Zeitsch. f. d. Geistl. Freib. 1829. 3. H. p. 179. add. 7. H. 1834. p. 132.

CAPUT III.

INVESTIGATIO SENSUS HISTORICA.

§. 44.

N o t i o.

Dum interpres rerum conditionem, auctori exponendo coaevam ac domesticam, item culturam et magis minusve perfectas cognitiones tam loquentis aut scribentis, quam auditorum aut lectorum spectat, atque his conformiter sensum determinat ita, ut notiones rerum, sensibus obviarum, e genio seculi, — rerum vero, mente intelligendarum, e cultura auctoris metiatur, historice [181]) sensum investigare dicitur: quia tam rerum quavis aetate conditio, quam auctoris lectorumque cultura nonnisi via historica cognosci potest.

§. 45.

N e c e s s i t a s.

Si auctorem intelligere nihil aliud est, quam ubivis eadem cogitare, quae, dum loqueretur aut scriberet, ipse cogitavit: in promtu est, non in solis verbis utcunque perceptis, neque in sola sensus seu singularum vocum, seu integrorum locorum cognitione acquiescendum, sed porro enitendum esse, ut, quidquid rerum seu sensibus subiectarum, seu sola mente intelligendarum commemoratur, earum rerum notio non alia informetur, quam quae auctoris animo est obversata. Id vero pro rerum praecipue antiquarum aut peregrinarum a nostris diversa indole, pro enunciatio-

---

[181]) Historica via procedendum est etiam, dum sensus secundum adiumenta philologica et logica saltem pleraque eruitur, ut adeo praesens investigatio per eminentiam dicatur historica, ut nempe a prioribus distingveretur.

num ipsa natura sua, varioque usu, et ambiguitate, nonnisi per historicam investigationem fieri potest [182]). Scilicet

1. Indubium est, vocabulorum quibus res, sensibus obviae, designantur, pro temporum locorumve varietate, etiam potestatem multum variare. Sic e. g. in Bibliis frequenter commemoratur domus, fenestra, tectum domorum, templum, convivium ect. Ast a vero aberrabis [183]), aut saltem haesitabis saepissime [184]), nisi cogitaveris domum, fenestram, tectum, convivium antiquum orientale, templum Jerosolymitanum ect. Idem obtinet

[182]) Hac quippe tum nonnisi supersedere liceret, si vocabula et formulae uni tantum seu tenuiori seu perfectiori notioni vel sententiae indicandae inservirent, simulque ita essent comparatae, ut hanc ipsam notionum tenuitatem perfectionemve reipsa indicarent, demum si formulae, tenuioribus notionibus olim iunctae, mox e lingva fuissent eliminatae, quamprimum homines maiorem attigissent maturitatem. Tum profecto culturae loquentis ect. investigatione opus non esset; quia, quam tenuem aut crassam, vel quam perfectam subtilemque notionem tenuerit loquens, mox ex ipsis loquendi formulis pateret. Verum id minime ita se habet.

[183]) e. g. si existimares, fenestras, in Bibliis commemoratas, fuisse specularia. Nam orientales nec habuerunt, nec hodie habent fenestras, e vitro confectas, sed transennas (Jalousieen), per quas refrigerans aura immittitur; idque vocabulorum, quae lexicographi *fenestram* reddunt, notio confirmat, nempe חַלּוֹן est *foramen* semper apertum; et אֶשְׁנָב est *refrigeratorium*, a rad. arab. شنب *refrigeratus est.*

[184]) e. g. qui nescit, tecta Hebraeorum fuisse plana et lorica munita, ei insolens videbitur, Davidem 2 Sam. XI. 2. obambulasse in tecto palatii sui: et Saulum cum Samuele 1 Sam. IX. 25. 26. in tecto collocutum esse. Alia quoque multa loca ei obscura erunt, qui, Hebraeorum vestitum, victum, ritus ect. ignorat. v. supr. §. 5. nr. 1. 2. §. 6. nr. 2. b. §. 37. nr. II. 1. 2.

2. Quoad res, sola mente intelligendas: multae enim sunt dictiones, quae tum tenuiori, tum perfectiori notioni indicandae pariter inserviunt. Sic e. g. vocabulo „Deus" rudis aeque ac cultus utitur ad suam, alioquin multum diversam, de ente supremo notionem exprimendam. Formula „regnum Christi Messiae" vel „regnum Dei" pariter puriori de regno Jesu notioni indicandae fuit idonea, ac Judaeis de terreno politico regno cogitantibus. Vox „resurrectio" longe aliud designat e mente Jesu, quam in ore Pharisaeorum, qui sub ea resuscitationem Judaeorum ad vitam, in terreno regno Messiae agendam, intellexerant. Ut adeo diversi, licet eadem proferant verba, saepe tamen longe aliud dicant [185]).

3. Quamvis res plurimae, utpote in continuo fluxu positae, lapsu temporis partim in novam abierint formam, partim arte ac industria magis magisque fuerint perfectae, — item quamvis cognitiones variae magis continuo magisque perpolitae fuerint, veteres errores depositi, et caussae rerum melius intellectae: non tamen simul etiam pristinus loquendi usus semper correctus, et perfectiori notioni attemperatus fuit, sed servatae sunt, atque a cultioribus quoque usurpatae formulae, in origine sua erroneis notionibus affectae, licet eae iam dudum essent repudiatae. Ita hodie adhuc quilibet dicit: „sol oritur, sol occidit," licet error, qui hunc loquendi usum peperit, iam dudum sit abolitus. Pariter Martium actu appellamus mensem, quamquam

---

[185]) Pariter mens religiosa ita loquitur, acsi omnes eventus ad Deum tamquam caussam immediate referret, naturalium caussarum ceterum nec ignara nec immemor; alius vero, minus eruditus, eosdem eventus facile vere immediate divinos habet.

eum Marti sacrum esse nequaquam censeamus [186]). Ea-propter

Cum vocabula rerum, quas significant, extremas lineas innuant potius, quam res ipsas (quae plerumque auditoribus vel lectoribus alioquin notae ponuntur,) repraesentent, sine pleniori autem aliunde hausta cognitione earundem genuina repraesentatio ac explicatio obtineri nequeat, — interpreti 1. magnopere enitendum est, ne in verbis utcunque perceptis haereat, sed potius res ipsas, verbis designatas, earumque conditionem omnem, qualis aetate et in regione auctoris fuerat, comprehendat, atque hanc ipsam rerum, quae attinguntur, aut ad quas alluditur, indolem in interpretatione consulat et perpetuo respiciat. Itaque interpres in specie biblicus meminerit, negotium suum sane gravissimum e votis cessurum esse nunquam, nisi illud, antiqui orbis biblici pro omni aetatis discrimine, omnium rerum biblicarum, quae et quales tunc fuerant, verbo omnium eorum, quae nomine antiquitatum veniunt, peritissimus ordiatur. Tum vero

2. Quoad res, mente intelligendas, interpreti, detecta iam specifica notione, quam auctor spectaverit, porro adhuc, ut mentem eius plene assequatur, videndum est, qualis illa fuerit, utrum tenuior, an perfectior. Id iam vero non aliter dignoscet, quam per investigationem historicam, e rite ponderato gradu culturae auctoris. Pro eo enim, ac auctor vel antiquiori vel recentiori aetate, qua disciplinae et scientiae longius progressae sunt, floruit, — ac ingenium eius ma-

---

186) Multa huius generis in omnibus facile lingvis exempla reperiuntur, qualia recenset C. Farmer, die Daemonischen des N. T. p. 249. — Storr l. c. (n. 53.) V. 1. p. 51.

gis vel minus fuit excultum, — ac vel aliqua vel nulla, vel tenuiori vel meliori institutione fruitus est: pro eo etiam notiones eius vel perfectiores vel tenuiores fuisse, recte statuitur. — Neglecto hoc discrimine, frequenter contingeret, ut interpres auctori sive meliores sive deteriores, aut antiquis scriptoribus recentiores, domesticis peregrinas, verbo alienas notiones affingeret, id est sensum non assequeretur. Unde patet, historicam sensus investigationem omnino necessariam esse, et eo quidem magis, quo longius aetate ab invicem distant auctor et eius interpres [187]).

§. 46.

F o n t e s.

Fontes, e quibus varia pro varia aetatis ratione rerum biblicarum conditio cognosci possit, exhibentur in Archaeologia biblica Cl. Jahn et Acker-

[187]) Alias iustus erit metus, ne interpres interpretationem ad suas sententias suaque placita exigat; et id quidem in nullo librorum genere tolerari posset; in divinis certe non sine gravissimo detrimento fieret. Cum enim placita hominum non semper penitus immunia sint ab omni prorsus errore, insuper vero frequenter varient, prout ipsa quoque systemata philosophica continuae fluctuationi sunt obnoxia; si interpretatio SS. Librorum hisce conformaretur: non tantum positiva revelationis auctoritas everteretur, utpote rationis imperio subiecta, sed etiam veritates divinae, quae perenniter eaedem sunt et esse debent, continuae variationi subiacerent, imo facile ab erroribus humanis aliquid vitii contraherent. Quod periculum certo evitatur, si notionum ac sententiarum, quas SS. Auctores, a Deo edocti, tenuerunt, ubique ratio habeatur, i. e. si Libri SS. quoque historice explicentur, velut id intuitu scriptorum profanorum nemo non praestat. cf. attamen iusta cum cautela, Glassius l. c. (n. 55.) p. 258—61.

mann [188]), quae simul rerum earundem descriptionem, e limpidis fontibus haustam, suppeditat.

Fontes vero, e quibus cognitio sentiendi cogitandique rationis aetatis biblicae hauriri queat, commode trifariam dividuntur, nimirum in Christianos, Judaicos et gentiles, pro eo, ac in Bibliis vel Christianae sententiae respiciuntur, vel Judaeorum, vel gentilium. Liceat itaque eos hoc ordine paucis indigitare.

I. Fontes Christiani:

1. Palmarem fontem Christianum procul dubio constituunt ipsi N. F. Libri. Ex his enim certissime discere licet, quid Jesus, quid Apostoli senserint, quibusque doctrinis suos imbutos esse voluerint; ut adeo recte statuatur, nullam sententiam ceu vere Christianam esse habendam, quae Auctorum N. F. sententiis, in his Libris perspicue expositis, non consentiat. Sed

2. Cum Libri N. F. non integrum doctrinae Christianae complexum exhibeant, sed, utpote nonnisi occasionales, pro hoc suo scopo [189]) multa, et praecipue quidem ea omnia abesse paterentur, quae primis lectoribus e viva institutione apostolica nota erant: illis iungere oportet eorum Patrum scripta genuina, qui vel immediati Apostolorum discipuli, vel ab his proxime instituti fuerunt. Hi enim multa plenius et clarius, quam ipsi Auctores SS. tradunt.

3. Quaedam huc facientia detegere licet etiam in scriptis haereticorum, et apocryphis N. F.

---

[188]) Vid. supr. n. 17. — et adde de utilitate similium disciplinarum monitum gravissimum Glassii l. c. (n. 55.) p. 270. s.

[189]) In rite aestimando consilio Librorum N. F. utilem praestabit operam C. Unterkircher Herm. bibl. gen. Oenip. 1834. ed. 2. p. 188—218.

II. Fontes Judaici.

Judaicam cogitandi rationem aetatis biblicae pandunt

1. Libri SS. V. F. praecipue Mosaici; a decretis enim Mosaicis Judaei haud unquam discesserunt.

2. Versio Alexandrina, huius enim auctores in vertendo saepe ita versati sunt, ut effata V. F. ad suas vel sui aevi opiniones exprimerent [190]).

3. Libri N. F. quatenus Judaei vel ipsi Apostoli ante effusionem donorum Spiritus S. loquentes inducuntur; aut Auctores SS. quandoque „ad hominem" argumentantur, ex concessis disputant, aut secus opiniones Judaicas adducunt.

4. Josephus Flavius et Philo, quorum prior Pharisaeorum et Sadducaeorum principia et placita e professo describit, alter vero totus in apologeticis, dogmaticis et moralibus materiis tractandis versatur. In usu tamen horum meminisse oportet, illum quidem sectae Pharisaeorum, hunc vero philosophiae Platonicae fuisse addictum.

5. Apocrypha V. F. — Thargumim seu paraphrases chaldaicae V. F. — denique Thalmud, traditiones Judaicas exhibens, et tribus partibus constans, nempe Mischna i. e. textu, qui traditiones ipsas refert, et circiter Sec. post Chr. II. exeunte confectus est; ac duabus Gemaris i. e. Commentariis, quarum altera Jerosolymitana Sec. III. — altera Babylonica Sec. V. ad finem vergente, ad exitum perducta est. Ceterum hoc quoque opere caute utendum est, quum multa re-

---

[190]) Exempla exhibet Arigler Herm. bibl. gen. 1813. p. 231. cf. qq. Ernesti l. c. (n. 8.) P. 3. C. 7. p. 250. ss. Morus l. c. (n. 42.) V. 2. p. 50. ss.

centiora, quae antiquitati ignota erant, interposita sint [191]).

III. Fontes gentiles.

Gentiles, quorum opiniones in Bibliis attinguntur, partim eruditi sunt, partim illiterati; illorum sententiae religiosae inprimis cognosci possunt e philosophorum scriptis, inter quae, hoc obtutu, eminent Ciceronis, de natura deorum, de divinatione, de officiis, et quaestionum tusculanarum libri, quum in iis praeter suas, etiam aliorum philosophorum sententias exponat. Ad plebis vero rudioris opiniones cognoscendas utilem operam praestabunt libri mythologici, velut Ovidii metamorphoses, item comoediae e. g. Plauti, Terentii, ect. quia in huiusmodi operibus non tam eruditorum, quam potius plebis sententiae respici solent.

His iure adiunguntur historici antiqui, utpote qui eventus frequenter non nude, sed ita describunt, ut simul pateat, quae motiva fuerint, quae decreta agentibus, quae sensa aut affectiones patientibus: id vero recte illud ipsum est, quod quaeritur.

§. 47.

Cautelae.

In historica sensus investigatione interpreti sedulo cavendum est:

---

[191]) E pluribus, qui ex his Judaeorum scriptis notatu digniora collegerunt, praecipue laudari merentur J. Leusden, philologus hebraeo-mixtus, Ultraiect. 1699. — C. Schoettgen, horae hebr. et thalmudicae, Dresd. 1733. et 1742. — et J. Vetsten, N. Test. cum comm. plenior. Amstel. 1752. — cf. Morus l. c. (n. 42.) V. 2. p. 149. ss. — add. G. C. R. Matthaei, Fehler der neutest. Exegese, Gött. 1835. p. 20. — supr. n. 90.

1. Ne seu perfectiorem seu tenuiorem rei, cuius mentio fit, notitiam auctori adscribat, quam qualis ei teste historia praesto fuit [192]; neque proin SS. Scriptoribus, qua talibus, perfectissimam legum naturae cognitionem tribuat.

2. Ne omnibus communia censeat, quae antiqui testes certae tantum regioni aut aetati, aut certo hominum generi ceu peculiaria tribuunt.

3. Ne, quae in profanorum scriptis quamdam cum relationibus biblicis similitudinem referre videntur, mox paria, aut plane eadem cum his censeat [193]. Denique

4. Ne ideas et res sui aevi antiquitati obtrudat [194].

---

[192]) Hic, si ex historia certi quid statui nequeat, sequens valeat regula: ea rei cognitio loquenti, qui quidem sana mente praeditus est, potest adiudicari, quae nullam subtiliorem meditationem aut eruditum studium requirit, sed a quolibet, qui erectioris est ingenii et sani sensus, potest obtineri.

[193]) Quare nemini facile arriserint, quae Glassii l. c. (n. 55.) p. 263. ss. leguntur.

[194]) In legem hanc verissimam peccavit Dr. Paulus, dum l. c. (n. 143.) 1. Th. p. 298. ad Joan. V. 2. notaret, probaticam piscinam Jerosolymis fuisse hospitium publicum gratuitum „ein Hospital.“ Similia quippe instituta, antiquitati ignota, originem suam beneficentiae Christianae debent. Ipsae nomenclationes νοσοκομειον, νοσοδοχειον, πτωχειον Christianae sunt. Lege omnino, quae ad h. l. scripsit doctiss. Hug, Zeitschr. f. d. Geistl. Freibg. 2. H. 1828. p. 109. ss.

PARS II.
HERMENEUTICA CHRISTIANA.

---

§. 48.

Indoles, necessitas, et leges Hermeneuticae Christianae.

In Hermeneutica rationali S. Scriptura consideratur tamquam liber mere humanus, — ab auctoribus, hominibus, nullo altiori praesidio munitis, adeoque errare queuntibus, confectus, — quapropter ibi talia proponuntur interpretandi principia, quae in cuiusque libri humani, aut etiam sacri, quatenus ceu humanus spectatur, interpretatione respici debent. Sequitur iam consideranda ea Scripturarum conditio, vi cuius divinae sunt originis, id est, ab auctoribus consignatae, qui divino ad praecavendos errores auxilio adiuti fuerunt. Et hac ipsa praerogativa, atque materiae sublimitate Libri SS. a profanis essentialiter distingvuntur, quapropter in interpretandis Libris SS. praeter leges Hermeneuticae pure rationalis, insuper speciales quaedam prae oculis erunt habendae, nam res diversae eodem modo tractari nequeunt. Neque quis necessitatem specialium harum regularum, in interpretatione SS. Librorum observandarum, ex eo infitietur, quod Libri SS. non secus ac profani, lingva humana, ab

hominibus et pro hominibus sint conscripti, ideoque eadem prorsus ratione, ac libri humani debeant exponi [195]). Nam id nemo facile negaverit universim, quum ultro concedendum sit, libros SS. pariter, ac alios quoscunque esse exponendos, in quantum cum his paris sunt indolis; atque haec quoque una est e caussis, cur Hermeneutica pure rationalis praemissa sit. Sed quoniam Libri SS. insuper praerogativa gaudent sibi priva, nempe divinitatis, qua a cunctis aliis libris essentialiter distingvuntur: pleno iure postulatur, ut propter hanc ipsam Librorum SS. peculiarem praerogativam, peculiares quoque regulae, illi dignitati accommodatae, in eorundem interpretatione prae oculis habeantur [196]).

---

[195]) Prout arguunt: J. Asboth, Comment. de interpr. Cod. S. ad commun. omnes libros interpr. principia revocata. Göttg. 1791. — Gelbricht, Comment. qua docetur, intpt. LL. divin. ab intpt. libr. hum. nihil differre. Cizae 1774. — G. N. Freudentheil, Comm. de Cod. S. more in rel. ant. libris solemni intptdo. Chemn. 1791. Ernesti, l. c. (n. 8.) P. 1. S. 1. C. 1. §. 16. p. 24. s. — Morus, l. c. (n. 42). V. 1. p. 69. s. — Herder, Briefe über das Studium der Theol. 1. Bd. Wien 1819. p. 9. ss. — Gurlitti, programm. 1822. Utinam principia haec nunquam adoptata fuissent, haec enim libertinismo, qui grassatur, exegetico latam adeo portam aperuerunt, imo eum necessario post se traxerunt. v. supr. §. 7. et infr. not. 270.

[196]) Pluribus id evincunt: J. Pletz, üb. Joh. XX. 21—23. in J. Frint's Zeitsch. 9. Jgg. 1. B. p. 259.* — Idem, Aussprüche des chr. Alterth. über Erklärg. d. h. Schrift, ibidem 12. Jgg. 2. B. p. 79. — Eiusdem n. theol. Zeitsch. 5. Jgg. 2. B. 1832. p. 364. — G. P. C. Kaiser, System d. neutest. Hermen. Erlang. 1817. 1. Abschn. — Dr. Theile, l. c. (n. 3.) p. 335. 344. 358. — Matthäi, l. c. (n. 191.) p. 14. — Twesten, Vorles. üb. d. Dogm. 1. Th. 1. Aufl. p. 335. — Vindiciae J. Jahn, Lps. 1822. p. 63. — (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 104. Pfeiffer, l. c. (n. 34.) p. 8—12.

Itaque transire iam licet ad Hermeneuticam Christianam [197]), quae leges praescribit, quas interpres Christianus, — utpote de divina auctoritate Librorum SS. convictus, — in eorundem interpretatione, praeter regulas pure rationales, observare tenetur; sunt autem leges hae sequentes:

I. Sancta sancte tractanda sunt, „omnisque Scriptura S. eo spiritu — ea animi affectione — debet legi, quo facta est" [198]); eapropter interpres Christianus maxima animi puritate et sinceritate ad SS. Auctores accedat, — animus eius cum Illorum animo quamdam ineat affinitatem, ut, cum Ipsis veluti consociatus, effatorum ss. non verba solum sed spiritum quoque percipiat. Etenim „nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec — spiritum eius imbiberis; nunquam intelliges David, donec — ipsius Psalmorum indueris affectus" [199]).

---

[197]) Dicitur haec Hermeneuticae pars, *Christiana*, quia innititur praerogativae, quam quisque Christianus in Libris SS. suspicere tenetur.

[198]) Thomas a Kempis, de imit. Christi. Agr. 1784. L. I. C. 5. p. 39.

[199]) S. Bernard. ep. ad fratr. de monte Dei. L. 1. C. 10. p. 31. ed. Ben. tom. II. — Recte Gratz, l. c. (n. 6.) p. 51. (secutus J. L. Hug, in Zeitsch. für die Geistl. d. Ezb. Freiburg. 1828. 1. H. p. 167.) scribit: quomodo interpretatio gram. et hist. in philologia classica ad Graecorum et Latinorum opera egregia intelligenda non omnia praestat, sed etiam sensus aestheticus requiritur: sic in exegesi bibl. sensus, pietati addictus, ad SS. Literas rite intelligendas omnino est necessarius." — cf. quoque J. Alzog, Explicatio cath. systematis de interpret. Lit. SS. Monast. 1835. p. 113—5. C. G. Wiedenfeld, de homine, S. Scripturae intpte. Lips. 1835. praef. p. IV. V. — C. F. Stäudlin, über d. blos hist. Ausleg. d. N. T. im Krit. Journal

II. Interpres Christianus in effatis ss. nullam admittere potest falsitatem, adeoque ei universa, singulaque SS. Literarum eloquia, ad revelationem spectantia, veritatem edicunt absolutam. Etenim Libri SS. doctrinam complectuntur, divinitus revelatam, et ab auctoribus conscripti sunt, quos altius praesidium ab errore praeservavit. Eapropter, quod in S. Scriptura hermeneutice verum est, id obiective quoque verum est, seu, quod e SS. Scripturis hermeneutice recte eruitur, id etiam a parte rei, in se verum est. Aliud obtinet in expositione librorum profanorum, in quibus scilicet recte munus hermeneutae excipit munus critici: ubi enim de sensu verborum auctoris iam constat, porro dicta eiusdem ad obiectivam veritatem exigentes inquirimus, an ea veritati consentiant, nec ne. Auctor quippe humanus semper manet errandi periculo obnoxius, ideoque a priori incertum est, an non fors praesenti, exponendo, loco erraverit. Ast interpres, divinitatem Librorum SS. agnoscens, praevie persvasum tenet, in iis obiectivam contineri veritatem, atque huius veritatis detegendae desiderio ac studio ad interpretationem eorundem accedit.

III. Interpres Christianus nullam in effatis biblicis, ad revelationem pariter pertinentibus, admittere potest realem antilogiam seu contradictionem: idem enim Spiritus S. omnibus SS. Auctoribus praesidio suo aderat, qui, utpote Spiritus veritatis, sibi contradicere non potest. Atque hinc etiamsi nulla suppeteret via, pugnam quampiam inter talia Scripturarum eloquia componendi: id interpres Christianus potius de-

---

der theol. Lit. von Ammon u. Bertholdt, 2. B. 1814. p. 32. ss.— Theile l. c. (n. 3.) p. 341. 359.

fectui alicui critico aut exegetico adscribere, aut ignorantiam suam fateri teneretur, quam veram repugnantiam admittere [200]). Idque propter eundem Spiritum S. falli et fallere nescium, qui, omnibus SS. Auctoribus pariter assistens, interventione sua omnem talem a Scripturis repugnantiam arcebat.

IV. Libri SS. N. F. supremam, completam, aeternamque complectuntur veritatem: eapropter interpres Christianus nullam admittere potest in doctrina N. F. ad revelationem pertinente, obiectivam perfectibilitatem, et signanter non talem, quae exinde consequeretur, quasi Christus et Apòstoli, doctrinam suam proponendo, imperfectis et erroneis coaevorum opinionibus sese ita accommodassent, ut has ipsas, licet eas ex animi sententia non probarent, omnino profiteri viderentur. Talis enim accommodatio non tantum rectae ideae et muneri divinorum doctorum, quales in Christo et Apostolis interpres Christianus venerari tenetur, repugnat, sed et indubitatis N. F. effatis e diametro adversatur. Atque hinc SS. Libri N. F. exponendi sunt non philosophice, ut cuncta eorum effata ad rationis humanae decempedam exigantur, et dein is unice habeatur verus eorundem sensus (qualibuscunque ambagibus exsculptus), qui nihil edicit rationi limitatae undecunque demum impervium, — sed

[200]) In quo pietatis erga Deum, eiusque sapientiam praeclara exercitatio est, tanto et facilior et rationabilior futura, quanto saepius ipsi, sacris literis et ingenuis artibus diligenter tractandis, experti fuerimus, ea ipsa pronunciata, quae quomodo ex erroris suspicione vindicari possint, prorsus nullo modo viderimus, tandem, crescente vel grammatici, vel philosophi facultate, in clarissima luce posita fuisse." G. C. Storr, de sensu historico, §. XXII. Opp. academ. vol. I. Tubing. 1796. p. 80. cf. Ernesti l. c. (n. 8.) p. 29. 121.

exponendi sunt historico-grammatice, seu ita, ut ex adiumentis hermeneuticis queat comprobari, eundem sensum, quem nos effatis N. F. substernimus, per ipsos quoque SS. Auctores dictis suis tributum fuisse. Atque sensus, taliter erutus, habendus est verus effatorum N. F. sensus, simulque veritatem absolutam fundere censendus est.

Nunc postremae leges paullo uberius explanandae, simulque Libri SS. ab antilogiis realibus, et accommodatione positivo-dogmatica ita vindicandi veniunt, ut iis quoque satisfiat, qui divinitatem eorundem non agnoscunt.

CAPUT I.

DE ANTILOGIIS.

---

§. 49.

Notio et divisio Antilogiae, et modus generalis talem conciliandi.

Antilogia seu contradictio est assertio contrarii — aut affirmatio et negatio eiusdem praedicati de eodem subiecto, eodem tempore, et sub eodem respectu considerato. Qua in re quoad SS. Libros perinde est, seu id obtineat in uno eodemque Auctore, seu in diversis, inter se collatis. Antilogia alia vera est, alia apparens, passim *εναντιοφανεια* dicta. Jam

Scriptores Sacri, qua tales, neque singuli secum ipsis, neque plures inter se invicem pugnare, sibique vere contradicere potuerunt, ut adeo nulla in SS. Literis adsit vera antilogia, quod ipsum experientia

quoque, ex examinibus iterato institutis resultans, ubertim comprobat; occurrunt nihilominus effata, quae ab aliis locis dissentire videntur, ast si utraque diligentius examinentur, et Libris SS. eadem, quae profanis, exhibeatur aequitas, conspirare deprehenduntur. Prout nempe, quoad libros profanos, aequitas poscit, omnia apta, pugnas inter se conciliandi, media tentare; priusquam contradictionis arguantur: idem quoad Libros SS. et iure praestabit interpres Christianus et ab aliis, si modo sibi constare velint, praestandum iure postulabit. Et licet talis conciliatio in libris profanis non semper obtineri possit, in Libris tamen SS. conatus nunquam frustratur [201]), quin necesse esset hunc in finem aliam ingredi viam, quam quae in libris profanis hoc in negotio trita est. Quae cum omnino ita sint, una intelligitur, quod sit intuitu apparentium pugnarum interpretis officium: omnem scilicet operam suam non tam eo diriget, ut pugnam tollat, quae non existit, quam eo potius, ut pugnae speciem, et fontes, unde pugnae species enata est, detegat, eosque iuxta artis criticae et hermeneuticae principia obstruat; nam sic ipsa quoque contradictionis omnis species sponte evanescet. Itaque nunc in specie assignandae veniunt caussae antilogiarum, simulque modus indigitandus, eas removendi: quo

[201]) Nam, ubi J. O. Thiess, Krit. Komment. üb. d. drey erst. Evang. Halle. 2. Bd. 1806. p. 269—495. — Glassius (vel potius Bauer) l. c. (n. 55). p. 242—247. — Morus l. c. (n. 42.) V. 2. p. 3—5. — Vater Comm. über den Pentat. 1802—5. veras pugnas obtinere arbitrati fuerant, alii viri doctissimi, eas commode conciliari posse, invictis docuerunt argumentis. cf. F. Oesterlen, die Schein-Widersprüche in d. Schrift, Heilbr. 1810.— Die vereinigten Widersprüche der Bibel. Quedlinb. 6. Th. 1778—84. —

in negotio iuvat distingvere inter locos dogmaticos, historicos et propheticos.

§. 50.

Fontes, item modus componendi antilogias I. in locis dogmaticis.

In locis dogmaticis species pugnae oritur

1. E diverso scribendi consilio. Vix enim dubitare licet, quin pro diversitate scopi de una eademque re diversimode dici aut scribi queat, et rerum circumstantiarumque delectus, ac modus narrandi variet; e quibus omnibus, prout facile species dissensus nascitur, ita et modus fluit ei occurrendi, nempe: „singulos locos interpretare accommodate ad consilium scriptoris". Sic, tria priora Evangelia quarto adversari videntur, quum in hoc effata Jesu, Eius divinitatem probantia, crebrius et clarius exhibeantur: sed cessat difficultas, spectato diverso scopo Scriptoribus his proposito: caussa nempe, cur priores Evangelistae sublimiores Christi sermones omiserint, in eo posita est, quod intenderint, argumentis, lectorum suorum sentiendi rationi congruentibus, docere, Jesum esse Messiam; quem in finem maxime expediebat, narrare miracula a Jesu patrata, et ostendere, vaticinia, olim a prophetis de Messia edita, omnino convenire Jesu Nazareno. Ast Joannes, reliquorum Evangeliorum supplementa daturus, et divinitatem Jesu ostensurus, pro sublimiori hoc scopo, inprimis sermones Christi dogmaticos literis mandare debebat [202]). —

---

[202]) Cf. F. W. Rettberg, an Joan. in exhib. Jesu natura rel. can. Scriptis repugnet. Gott. 1826. p 81—84. F. C. Reinecke, Comm. de Evang. Joan. cum. Matth. M. et Luc. Evv.

Eodem modo exponendae sunt duae nobilissimae sententiae, Rom. III. 28. et Jac. II. 20. 24. de fide et operibus ceu mediis iustificationis; nam quid maiorem habeat pugnae speciem dictis his Pauli et Jacobi? quorum prior scribit: „arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis", alter vero: „fides sine operibus mortua est", item: „ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum". Ast tollitur pugna, spectato consilio, utrique diverso. Scilicet Romae inter fideles ex iudaismo, et eos ex gentilismo conversos magna exarsit contentio circa legalia Mosis, quae iudaizantes supra modum extollebant, omnem ab illis iustificationem repetentes. Itaque contra hos disputans Paulus, excludit tantum eadem illa ceremonialia legis Mosaicae opera, uti circumcisionem, in eodem contextu IV. 10—12. diserte commemoratam, atque iustificationem adscribit fidei, sed vivae utique, seu per bona opera efficaci, quae nempe ad opera bona moralia efficaciter incitat [203]). Jacobo autem negotium facessivere frigidi Christiani, arbitrati, fidem, etiamsi mortuam ac sterilem, iustificare, quibus proin eadem illa opera bona moralia, a Paulo simul sub fide comprehensa, commendat impensius, dicitque fidem mortuam, bonis operibus destitutam, quam Paulus prorsus non defendit, ad iustificationem haud sufficere. Ut

---

conciliato. Hanov. 1827. coll. n. krit. Journal, von G. B. Winer, 9. B. 1829. p. 322—340. F. G. Süskind, Magazin für Dogm. u. Moral. 11. St. Tübg. 1804. p. 110—119.

[203]) Vivam hanc fidem, quae per charitatem operatur alias gravissimis verbis inculcat, uti 1 Cor. XIII. 2. „si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum;" item Eph. II. 10. Col. I. 10. Gal. V. 19—23.

adeo Paulus cum Jacobo non collidat, sed nonnisi alium errorem ille, alium hic impugnet [204]).

2. E modo scribendi minus accurato. Commune quippe est Sacris pariter ac profanis scriptoribus, ut non eadem semper ratione proponant doctrinam, sed hanc, alicubi clare et accurate expositam, vel aliunde iam omnibus notam, alibi non rursus eadem diligentia explicent, imo non raro obiter tantum attingant, aliis, minus determinatis loquendi formulis, et imperfecte exprimant, aliqua praetermittant, vel denique doctrinam aliis in adiunctis, alio sub respectu exhibeant. Obtinet hoc in sermonibus Christi, e quibus cum nonnisi quaedam fragmenta, non systematice iuxta materiarum ordinem, sed occasionaliter in Evangeliis proponantur, quin integrum dogma quovis loco, cum omnibus determinationibus ad ακριβειαν dogmaticam sisteretur: haud mirum, si aliqua secum collidere videntur. Hinc facile est deducere praecepta, secundum quae compositio in talibus tentanda sit. Erit nempe in tali casu locus brevitate, aut quaqua demum caussa obscurus vel ambignus comparandus cum aliis, in quibus eadem doctrina dilucidius, accuratiusque proposita est, et iuxta analogiam doctrinae aliunde clare cognitae exponendus; verbo, locus ubi dogma obiter attingitur, explicetur ex eo, qui est in eo argumento classicus. eg. Joan. XVII. 3. ait Jesus ad Patrem: „Haec est vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (Messiam)," quae verba dogmati indubitato de divina Jesu natura adversari videntur. Ast haud probabile est, eum, quem adversa-

204) Erudite de hoc argumento disserit Knapp, l. c. (n. 141.) p. 413—456. — E. C. Rauch, über den Brief Jakobi, im n. krit. Journal von G. B. Winer, 6. B. 1827. p. 257—306.

rii divinitatis Jesu praetendunt, esse effati huius sensum, alioquin Joannes, illud adducens, ipse secum pugnaret, utpote qui apologiam dogmatis illius, in hoc ipso Evangelio adornandam, suscepit, iuxta propriam suam confessionem **XX. 31.** „haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius;" cui scopo conformiter gravissima adducit Jesu effata: **X. 30.** „Ego et pater unum sumus;" **XIV. 9. 10.** „qui videt me, videt et patrem, — non creditis, quia ego in patre, et pater in me est;" imo **I. 1.** Jesum clare Deum nuncupat: „*και Θεος ἦν ὁ λογος*, et Deus erat verbum." — Christus itaque verbis cit. substantiam religionis suae expressisse, et ad duo principalia capita revocasse censendus est, quatenus et a stultitia gentilium distingvitur, qui plures fictitios deos colerent, et ab errore Judaeorum, qui Jesum Messiam esse negarent; ut adeo docuerit: medium consequendae vitae aeternae esse a.) fidem in unum verum Deum, — opposite ad polytheismum gentilium, quem proxime prosternendum, et principem huius mundi foras eiiciendum dixerat; quippe fide in unum Deum, satanae, cui ceu auctori gentilem superstitionem et corruptionem Judaei tribuebant, imperium destruendum, atque iacto doctrinae salutaris fundamento inscitiam et impietatem abolendam fore **XII. 31**; — b.) fidem in ipsum Jesum, qua Messiam, a Deo missum, opposite ad Judaeorum incredulitatem; quin propterea divinitas Jesu negetur: agnito enim Jesu, velut Messia, fides etiam habenda fuit doctrinae per Illum traditae, in qua continebatur quoque veritas de divina Eiusdem natura. Non ergo opponitur „solus verus Deus" Christo, sed falsis nu-

minibus, quibus abolitis in posterum unice verus Deus colendus sit [205]).

3. E lingvarum biblicarum genio, ab indole lingvarum occidentalium abhorrente. Multa namque habet sermo hebraeus sibi propria, quae, nisi eius genio conformiter exponantur, absona videbuntur, et certissimis veritatibus repugnantia. Modus has pugnae species removendi hoc praecepto continetur: „verte legitime, et ipsam rei naturam considera;" eg. Luc. XIV. 26. dicitur: „Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus;" ubi tamen Exod. XX. 12. habetur: „honora patrem tuum et matrem tuam;" et ipse Christus Matth. XXII. 39. inculcat: „diliges proximum tuum, sicut te ipsum;" imo et inimicos diligi praecipit Matth. V. 44. „diligite inimicos vestros ect." Similium conciliatio petenda est ex indole lingvae: constat enim, Hebraeos formula, gradum comparativum clare exprimente, destitui, ideoque in comparatione saepe minorem partem simpliciter negare, ut partis maioris gra-

---

[205]) Nam et alias Deus nunquam dicitur *αληθινος verus*, nisi ut ab idolis discernatur, ut 1 Joan. V. 20. 21. ubi, postquam Apostolus dixit, venisse Christum, „ut cognoscamus Deum verum," hanc admonitionem subiicit: „custodite vos a simulachris," cavete vobis ab idolis. — Juxta praesentem legem illustrari quoque debet Act. II. 38. „baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu;" scilicet qualis hic sit baptismus Jesu, clarius proponitur Matth. XXVIII. 19. „euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus S." Locus hic classicus est, cum normam agendi Apostolis tribuat; igitur baptismus in nomine Jesu, priori loco eo nonnisi sensu commemoratur, quia ab Ipso est institutus, non quod in solo Jesu nomine sit administrandus.

dus comparativus ex eius affirmatione intelligatur; si vero de animi affectu sermo est, ille, qui minus diligitur, odio haberi dicitur, iuxta illud Rom. IX. 13. coll. Mal. I. 2—3. „Jacob dilexi, Esau autem odio habui," licet his nihil aliud exprimatur, nisi minus intensa Esavi dilectio: uti id clarum est etiam e Deut. II. 1—5. ubi Deus ipse cavit, ne Hebraei e terra Edom, posterorum Esavi, vel palmam terrae occuparent, quoniam perennem esse voluit Esavi haereditatem, quod quidem minime odientis est. Itaque *μισειν* (odisse) c. l. genio lingvae conformiter verti debet „postponere, minus diligere," ut hebr. שָׂנֵא „odisse, posthabere, minus amare." Quare et loco parallelo Matth. X. 37. legitur: „qui amat patrem, aut matrem *plus quam me* ὑπερ εμε, non est me dignus."

4. Ex usu loquendi biblico neglecto, aut non satis cognito, qui proin solertius examinandus erit. Sic non pauci ordinariae providentiae eventus in Deum auctorem immediate referuntur, atque in his etiam mala moralia, etsi divinae sanctitati repugnent. Notissimum est illud Exod. IV. 21. XIV. 4. quod „Deus induraverit cor Pharaonis, ne dimitteret Israelitas, prout Dominus praeceperat per Mosen;" quae phrasis mire torsit interpretes, cum obduratio cordis humani, ut sic in malo perseveret, Deo sanctissimo aperte adversetur. Idem fere legitur etiam in N. F. ait enim Christus Matth. X. 34. „non veni pacem mittere sed gladium; veni separare hominem adversus patrem suum" ect. ubi dissensiones et inimicitias, quibus doctrina sua occasionem datura esset, sibi quasi auctori tribuit, cum tamen eas certe non intenderit, qui alias amorem mutuum, pacem, concordiam, dilectionem inimicorum iterato gravissime inculcavit Matth. V. 44. XXII. 39.

Joan. XIII. 34. 35. XIV. 27. XV. 12. [206]). Paulus quoque de gentibus Rom. I. 24. 26. scribit: „tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, — in passiones ignominiae." Quod pariter, si nostro usu loquendi sumatur, a Deo alienum est. Ast usus loquendi biblicus perpetuus docet, esse in omnibus his dictis metonymiam caussae pro effectu, usurpari verba activa metonymice de iis, qui alicuius actionis non ipsi auctores sunt, sed tantum occasio, et quidem saepe remota, quatenus actionem non impediunt [207]). Et quidem quoad Aegyptios et Pharaonem id clarum est e Psal. CIV. 23—25. ubi psaltes, praemisso eo, quod Deus in Aegypto populum suum auxerit vehementer super inimicos suos, addit: „convertit cor eorum, ut odirent populum eius, et facerent dolum in servos eius;" evidens enim est, quod Deus odium hoc Aegyptiorum in populum suum noluerit; sed quia providentia Eius ita auctus est populus, ut ab eo sibi iam ipsi metuerent

[206]) Cf. E. A. Frommann, de Christo Irenarcha; in ejusd. opp. philolog. hist. T. 1. Coburg. 1770. p. 209. ss.

[207]) Si in caussam inquiratur similium metonymiarum, quae de Deo usurpatae, durae, Deoque indignae videntur, ea sine dubio quaerenda est in remota horum librorum aetate, qua philosophia de rebus divinis, adhuc in statu quasi infantiae, parum exculta fuit, quum ratio nondum limites inter Dei praecepta et consilia, voluntatem directam et meram permissionem sat severe discernere novit, quae solum tardius, provecta et exculta magis philosophia, magis ab invicem discreta sunt, et ipsis lingvis illata. Cum igitur nunc sermone utamur cultiori, ideisque imbuti simus hac in re magis defaecatis, rudior ille orbis antiqui sermo nobis iusto durior videtur, quamvis Hebraei ipsi similes expressiones tam parum sumserint proprie, quam parum nos sumimus, dum hodiedum veterum imitatione haec illave evenire debuisse dicimus, quia „sic fata tulerunt."

Aegyptii, et ob hanc caussam rex cum suis consilium iniret, quomodo sapienter opprimeret Hebraeos Exod. I. 7—10: etiam consecutum hinc odium in ipsum Deum transfertur. Similiter igitur statuendum etiam est de dicta induratione: cum enim Deus decreverit educere populum ex Aegypto, idque per Mosen urserit, Aegyptii autem duos minimum milliones mancipiorum amittere noluerint, sed, quamdiu poterant, repugnaverint, auctor hebraeus suo loquendi modo hanc etiam obstinationem regis, populique sui immediate in Deum, velut auctorem, refert, quamvis Deus, aliud longe intendens, solummodo occasionem dederit illi pertinaciae, eamque non impediverit. Hinc est, quod alias repugnantia dicta ipsi Pharaoni adscribatur, velut Ex. VIII. 15. „videns autem Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus," item IX. 34. „videns autem Pharao, quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum" ect. Hinc est quoque, quod ad graviores plagas iteratis vicibus fateatur se peccasse, oretque veniam, uti IX. 27. „Misitque Pharao et vocavit Mosen et Aaron, dicens ad eos: peccavi etiam nunc." cf. X. 16. ss. [208]).

---

[208]) Usus loquendi biblicus, rite cognitus componit quoque antilogiam inter 2 Cor. V. 21. ubi Christus dicitur factus peccatum, et 1 Pet. II. 22. „qui (Christus) peccatum non fecit;" Joan. VIII. 46. „quis ex vobis arguet me de peccato?"— Constat enim „peccatum" in Bibliis varias habere notiones, uti: peccatum morale, concupiscentia et fomes peccati, sacrificium pro peccato, poena peccati ect. ut adeo 2 Cor. V. significet hostiam seu sacrificium pro peccato. — Pariter Matth. XX. 28. dicitur: „filius hominis venit — dare animam suam, redemtionem *pro multis*," ita XXVI. 28. Christus in ultima coena dicit: „hic est sangvis meus N. T. qui

5. E simili verborum sono, etsi ipsae res multum differant: spectato nempe sono, phrases nonnullae, similes esse videntur, quum tamen pro adiunctis diversis diversa polleant significatione; quare simili in casu sedulo distingvenda significatio verbi, et antilogia subito evanescet. Sic Gen. XXII. 1. legitur: „tentavit Deus Abraham, ut offerret filium suum Isaac;" Deut. XIII. 3. „non audies verba prophetae illius (qui cultum idolorum commendat), quia tentat vos Dominus Deus, ut palam fiat, utrum diligatis eum;" e contrario Jacobus I. 13. ait: „Deus neminem tentat." Ast verbum „tentare" diversa notione sumitur utrinque, prioribus nempe locis significat „experiri, periculum facere," uti liquet e Dan. I. 12. „tenta nos obsecro diebus decem," i. e. fac experimentum, dando nobis tantum legumina ad comedendum, et aquam ad bibendum (cf. 1 Sam. XVII. 39.); atque e significatione ver-

---

pro *multis* effundetur in remissionem peccatorum;" ex adverso 1 Joan. II. 2. docetur: „ipse (Christus) est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;" et Paulus 1 Tim. II. 6. ait: „qui (Christus) dedit redemtionem semetipsum pro omnibus." Pugnam tollit usus loquendi biblicus ratione vocabuli „πολλοι multi" quod nonnunquam (uti hebr. רַבִּים Dan. XII. 2. Ps. XCVI. 1. coll. 6.) ponitur pro omnibus;" uti eg. Rom. V. 15. dicitur: „unius delicto multi mortui sunt," ubi tamen v. 12. iam praecessit: „in omnes homines mors pertransiit;" ita etiam 1 Cor. X. 17. 33. πολλοι et παντες permutantur; denique quod Hebr. IX. 28. dicitur: „Christum semel oblatum esse ad *multorum* exhaurienda peccata," id 1 Tim. II. 6. asseritur de „omnibus." Itaque ll. c. vox „multi" sumi non potest in vulgari notione, sed conformiter usui loquendi, (et analogiae doctrinae alibi distincte expositae) sumenda est latius, nempe pro „omnibus."

bi arabici بَلَا „tentavit hominem per beneficia, vel per afflictiones." Apud Jac. vero „tentare" est „incitare ad malum morale," de quo in mox consequentibus sermo continuatur; quod utique sanctitati Dei repugnat [209]).

6. E non satis expensa temporis ratione, personarum indole, orationis contextu, aliisque adiunctis. Qua ratione similibus pugnis medela sit ferenda, per se intelligitur. Sic exclamatio Matth. XXVII. 46. „Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!" sublimi Jesu characteri parum convenire videtur; ast disparet offensio, si perpendatur, verba illa nil aliud, quam rabbinicam, tunc usitatam citationem e Bibliis esse [210]), ac

---

[209]) Huc referri potest illud Prov. XXVI. 4. „ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis", et v. 5. „responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur;" — utilis, nec sibi repugnans doctrina traditur utroque loco: nempe, stulto conviciatori, contumelioso, et maledico non respondendum esse seu conviciis, seu contumeliis, svadet v. 4. auctor: „sic enim, inquit, qui agit, illi similem se ostendit." Interdum tamen stulto respondendum esse gravioribus verbis, et argumentis, ut suam stultitiam intelligat, neve sibi sapiens esse videatur, commendatur v. 5.

[210]) Scilicet antiqui Hebraei, cum Biblia in capita et versus nondum divisa essent, pericopam aliquam e Libris SS. citare cupientes, eiusdem aut substratam materiam aut initialia verba consveverant adducere; prout ipse Salvator effatum Exod. III. 6. formula „super rubum" citavit Mar. XII. 26. dicens: „de mortuis autem, quod resurgant, non legistis in libro Mosis, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob". — Qui plura exempla cupit, consulat Bertholdt l. c. (n. 18.) 1. Th. p. 206. s. — et Jahn l. c. (n. 18.) 1. Th. p. 370. Ceterum de illa exclamatione Jesu cf. Linzer theol. prakt. Monatschrift. 4. Jgg. 1. B. ed. 3. Prag. 1821. p. 269—274. — Zeitsch. f. die Geistl. des Erzbis. Freiburg 1828. p. 166.

si dixisset Salvator: Psalmus (XXI. profecto Messianus), cuius haec sunt initialia verba, cum praesentibus meis adiunctis conferendus est, ut constet, quis sim, et cur tanta tolerem tormenta. — Pariter, dum Jesus Matth. XII. 38—42. XVI. 1—4. pharisaeis, signum divinae suae legationis petentibus, praesens miraculum denegat, id nequaquam, ut recentiores quipiam contendunt, adversatur illis locis, in quibus legationem suam divinam miraculis comprobat, et ad ea provocat, uti Joan. X. 25. „loquor vobis, et non creditis, opera, quae ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me;" — 37. 38. „si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, — si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre." (cf. Matth. XI. 3—5. Joan. XI. 41—43. XIV. 10—14. XV. 22—24. ect.) Sed probe praeviderat Jesus, patranda miracula a pharisaeis principi daemoniorum tribuenda esse, adeoque irrita futura, prout patrata quoque Matth. IX. 34. XII. 24. eidem tributa fuerant: atque ideo solum recusavit eorum petitioni deferre, praesens patrando miraculum, promisit tamen futurum, nempe gloriosam suam resurrectionem [211]).

7. E diversa Scriptorum aetate. Sic dóctrina V. F. quandoque cum N. F. collidere videtur; licet enim, qui de religione in Literis SS. agunt, omnes

---

[211]) Cf. G. C. Storr, hat Jesus seine Wunder für einen Beweis seiner göttl. Sendung erklärt? in F. J. Flatt, Magazin für Dogm. u. Moral. 4 St. p. 178—250. — add. 3. St. p. 32. ss. Rettberg l. c. (n. 202.) p. 84. ss. — M. Weber, opusc. acad. Lps. 1828. p. 313. ss. coll. Jenaisch. allg. Lit. Zeit. 1835. n. 200 p. 165. — H. A. Schott, opusc. exeg. crit. T. I. Jen. 1817. p. 111—222.

in substantia eius consentiant, pro diversa tamen aetate, aetatisque conditione, eadem etiam doctrina diverso modo sistitur: quo in casu serio examinetur ratio temporis quo, — et conditio, gradusque culturae intellectualis et moralis hominum, in quorum usum doctrina proposita fuit, verbo: „distingvenda aetas varia, variaque aetatis adiuncta, et concordabit Scriptura." — Scilicet sanctissima licet doctrina non omni aetati convenit, quoniam genus humanum non secus, ac singulus quisque hominum, per quosdam quasi aetatis gradus ad ampliorem culturam nonnisi pedetentim progreditur, donec ab infantili ruditate ad virilem perfectionem eluctetur, capaxque fiat sublimioris doctrinae, cum fructu amplectendae. Quemadmodum igitur sapiens magister saepe imperfectius quaedam tradit ante, quam perfectiori doctrinae suscipiendae animus tironis esset praeparatus, atque universim institutionem suam captui illius attemperat: ita et divina sapientia in gravissimo religionis moderandae negotio idem consilium, quod in regendis omnibus rebus, secuta, hominum, temporumque rationem benigne habuit ita, ut apta quaeque aptis momentis largiretur [212]), quam sapientem oeconomiam Jesus in discipulis quoque suis sequebatur, sic eos affatus Joan. XVI. 12. „adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem." — Itaque, cum in V. F. homines minus culti, ac, ut ita dicam, in statu infantiae humanitatis constituti doceantur, et qui-

[212]) Cf. J. Pletz, l. c. (n. 10.) 3. Jgg. 1. Bd. p. 306. ss. add. 6. Jgg. 2. B. p. 288—291. — F. Brenner, hist. philos. Darstell. der Offenbarung. 2. Th. 1810. p. 69. — Czerny, l. c. (n. 55.) L. 1. p. 296. ss. — C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 26. 27.

dem modo, huic conditioni accommodato, in N. F. vero humanitas adultae aetatis spectetur: nemo mirabitur, si, post plura annorum millia, ab exordio generis humani praeterlapsa, Christianum institutum eandem doctrinam vel compleat, vel clarius proponat, vel magis urgeat, vel restringat, aut extendat, aut reformet, — si quasdam puriores, ac eminentiores doctrinas suis sectatoribus proposuisse cernatur, quarum adhuc incapax erat vetustius aevum, — si quaedam occurrant in N. F. praecepta moralia, quae humano generi antiquitus ob culturae sufficientis defectum non conveniebant, — si quaedam in V. F. permissa, in N. F. prohibita legantur. Sic videre est polygynaeciam obtinuisse iam in Lamecho ante diluvium Gen. IV. 18. 19. — frequentatam dein a summis etiam pietate viris, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, — permissam a Mose, quae tamen in nova lege Matth. XIX. 1—9. interdicta est. — Ita etiam studium vindictae, quod quidem iam David erga Saul regem 1 Sam. XXIV. 7—16. XXVI. 8—11. merito improbat, alibi iustis, velut praemium virtutis promittitur Psal. LVII. 11. „Laetabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit, in sangvine peccatoris." In N. F. vero docemur, non resistere malo, inimicis ignoscere, pro persecutoribus Deum exorare, et condonare debitoribus nostris, ut et nobis dimittat Deus debita nostra. — Huc referendae sunt dirae illae et imprecationes in V. F. passim obviae adversus impios, quorum prosperitatem tam aegre fert ipse etiam Jeremias, ut cuperet, se nunquam conceptum et natum fuisse Jer. XX. 14—18. Similia aetati illi, et populo huic indulgenda sunt: cum enim Deus virtuti praemium praesens pollicitus sit felicitatem temporalem, saepe mirantur probi prosperitatem impiorum,

implorantque divinam iustitiam, ut, vindicatis sceleribus, probi in virtute confirmentur, et a vexationibus impiorum liberentur, — improbi autem exemplis punientis iustitiae divinae terreantur, et ad sanam mentem redeant, — et inprimis, ne Deus ut iniustus, aut impotens blasphemetur. (cf. Ps. V. 11—13. IX. 17. LVII. 12. LXXXI. 8. CIX. 26—28.) — Ast in N. F. perfectior proponitur doctrina. Insuper

Si in lege Mosaica, inprimis cum doctrina N. F. comparata, quaedam iusto durius sonare videantur, oportet sedulo distingvere inter leges mere civiles et morales, — inter ea, quae permissa, et ea, quae praecepta fuerant. Potest enim legislator etiam divinus, sic poscentibus adiunctis, ad vitanda mala maiora indulgere minora moralitati strictae adversa. Sic Moses Exod. XXI. 24. 25. civiliter permisit ius talionis, ex quo eius, qui alterum mutilavit, vel sauciavit oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, vulnus pro vulnere ect. reddendum a iudice poscere licuit; in rudi enim, et utcunque fero adhuc populo, cui leges tulit, nisi talis poena fuisset statuta et laesus ius habuisset reum tali poena afficiendum poscendi, haud dubie pro vulneribus caedes successissent. Ast ius hoc Moses toleravit unice qua legislator civilis, quin illud moraliter approbasset [213]), nam qua prae-

[213]) Juvat notare, quae de hoc obiecto scripsit consentiens J. Stoppani, Ideen zur Beurtheilung des moral. Theiles des A. B. in J. Frint, theol. Zeitsch. 2. Jgg. 2. B. 1814. p. 95—97. „Jede weise Regierung muß auf den Zustand und die Empfänglichkeit der Nation bei ihrer Gesetzgebung Rücksicht nehmen, muß zuerst die gröbsten Ausbrüche der Sinnlichkeit beseitigen, und mit der zunehmenden Cultur auch ihre Gesetzgebung weiter entwickeln, und durch zunehmende Beseitigung der minder auffallenden Ausbrüche die Cultur des Volkes weiter befördern. Diesen stu-

ceptor morum, proximi, רֵעַ, i. e. omnis hominis, quocum agendum esset, et peregrinorum quoque amorem iterato inculcat, vindictam vero et inimicitiam severe interdicit. Exod. XXII. 20. 21. XXIII. 9. 12. Num. XV. 14. Lev. XIX. 18. 33. 34. Deut. X. 18. 19. XXIV. 17. XXVII. 19. — Exod. XXIII. 4. 5. Lev. XIX. 16—18. Deut. XXIII. 7. 8. — Verum quidem est, Judaeos, praesertim pharisaeos aetate Christi exercitium iuris talionis etiam inter privatos extra formam iudicii licitum existimasse, imo etiam moraliter licitum: ast profecto non ea fuit mens Mosis, velut ipse Christus Matth. V. 38—40. hanc eorum coecitatem, perversam-

---

fenweisen Gang mußte auch die mosaische Gesetzgebung, um weise zu seyn, befolgen, um so mehr, da sie durch eine besondere göttliche Dazwischenkunft sanctionirt wurde."

„Aus der Betrachtung, daß die mosaische Theokratie sich auch auf politische Gegenstände erstreckte, folgt nun ganz natürlich, daß sie oft Gesetze geben mußte, welche bloß Fragen des strengen Rechtes entscheiden, ohne auf die Moralität der Handlungen Rücksicht zu nehmen. Solche Handlungen billigt der Gesetzgeber keineswegs; er will nur, daß vor dem Gerichte so und nicht anders gesprochen werde, weil, wenn ein anderes Gesetz existiren sollte, im Staate größere Uebel entstehen würden. Das Tugendgesetz reicht viel weiter, als das Rechtsgesetz; daher muß das Rechtsgesetz manches dulden, was das Sittengesetz verbiethet. — — — Die Regirung erwartet aber von dem moralischen und religiösen Gefühle ihrer Unterthanen mit Recht, daß jeder, den auch die Gesetze nicht zwingen, das dem andern angethane Unrecht wieder gut zu machen, nicht unterlassen werde; denn der tugendhafte Mann übt auch da seine Pflicht aus, wo ihn kein Gesetz dazu nöthigt, er erfüllt auch das Geboth. — — Daß Moses den Buchstaben des äußern Rechtes von dem Geiste des Sittengesetzes zu unterscheiden wußte, zeigt schon dieses, daß er, wo er als Religions-Lehrer spricht, über jene Gegenstände, über die er als politischer Gesetzgeber Anordnung machte, auch moralische Gesinnungen zu verbreiten suchte.«

que legis mosaicae expositionem — potius detorsionem — improbat, aliamque, mitiorem agendi rationem commendat. — Simile exemplum habetur Deut. XXIV. 1. ubi Moses amplam libertatem concedit viris suas uxores dimittendi, et alias ducendi. Ast lex haec erat mere civilis, quam sapiens legislator ad maiora mala praecavenda turmae hominum inconditae „ob duritiam cordis" invitus concessit; quid enim hoc in obiecto intuitu moralitatis censuerit Moses, non e civilibus legibus, sed e privata sententia desumendum est, quam expressit Gen. II. 24. „Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una," quibus verbis docet, potiora esse erga se invicem coniugum officia, quam erga parentes. In similibus ergo lex N. F. perfectior quidem est vetere, minime tamen ei contraria.

§. 51.

II. In locis historicis.

Fontes apparentium pugnarum in locis historicis sunt:

1. Lectio, in ipso textu originali mendo laborans. Quemadmodum nempe sat superque exploratum habetur, in vetusta opera literaturae profanae lapsu temporis librariorum, et temere emendantium oscitantia non pauca vitia fuisse invecta: ita id multo frequentius et facilius locum habere potuit in Libris SS. quorum pars omnem aetatem historicam Graecorum et Romanorum longe antecedit. Quare, sicut criticus profanus prae omnibus sollicitus est, ut, quantum fieri potest, genuinum habeat textum exponendi auctoris, ideoque pro lectione falsa, quae contradictionem peperit, merito substituit alteram genuinam: ita idem pari iure praestabitur in Libris SS. dummodo critica haec

media suppetant. Et quamvis ob nimiam Librorum horum antiquitatem id semper fieri nequeat, sufficit tamen ad tollendam difficultatem, si probabili ratione ostendi possit, lectionem esse vitiatam, sic enim, etsi defectu adminiculorum lectio genuina restitui non possit, constabit tamen, veram non obtinere locorum pugnam. Valet id praecipue de numeris, in quibus describendis librarii, utpote literarum numeralium, quas vel in N. F. adhibitas fuisse, haud improbabile est, similitudine seducti, et facillime et saepissime peccarunt; neque proin verebitur interpres errores concedere, iisque remotis locum affectum a pugna liberare. Ad hanc classem praecipue pertinent libri paralleli, eandem historiam referentes, uti Libri Samuelis ac Regum, et Paralipomenon, item tria priora Evangelia, non exclusis libris aliis, qui licet diversissimi argumenti, in quibusdam tamen partibus paralleli sunt. Sic 1 Reg. V. 6. (vulgat. 3 Reg. IV. 26.) Salomo dicitur habuisse „אַרְבָּעִים אֶלֶף אֻרְוֹת סוּסִים לְמֶרְכָּבוֹ 40,000 praesepiorum pro equis vehiculorum suorum;" contra 2 Par. IX. 25. dicitur habuisse solum „אַרְבַּעַת אֲלָפִים אֻרְיוֹת 4,000 praesepiorum;" clarum est ergo in alterutro loco esse errorem, et probabilius in priori, in quo litera numeralis מ = 40, cum ד = 4 a librariis permutata fuerit. — Sic etiam 1 Sam. XIII. 1. legimus „בֶּן־שָׁנָה filius (unius) anni erat Saul, cum regnare coepisset, וּשְׁתֵּי שָׁנִים et duobus annis regnavit super Israel;" quae lectio tam aperte falsa est, ut ne ignorantissimus quidem hebraeus talia scribere potuerit, cum non qua infans, sed qua vir, ab humero et sursum eminens super omnem populum (1 Sam. IX. 2.) in regem electus sit; constat porro ex Act. XIII. 21. eum 40. annis regnasse: est ergo

clarum, inter בֶּן, et שָׁנָה excidisse numerum annorum aetatis Saul; et ante וּשְׁתֵּי periisse numerum maiorem annorum regiminis, ut adeo iam hodie lectio sit anceps. Potuit scriptum fuisse: בֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה filius 20 annorum, — item ante שְׁתֵּי, אַרְבָּעִים, aut literis numeralibus מב= 42; tardius autem oscitantia scribae excidisse מ= 40, remanentemque numerum binarium ב exscriptum fuisse voce integra; ut adeo initio scriptum fuerit: „viginti annorum erat Saul, cum regnare coepisset, et quadraginta duobus annis regnavit in Israel;" Apostolus autem Paulus Act. XIII. 21. rotundum numerum 40 expresserit [214]).

2. Auctorum diversorum scribendi modus, lectoribus variis varie accommodatus. Obtinet id inprimis in Libris SS. N. F. utpote a Scriptoribus variis in gratiam variorum lectorum exaratis, qui proin, quo debite intelligantur, moribus, ceterisque adiunctis diversorum lectorum conformiter exponi debent. Sic Evangelistae tempus, quo sententia crucifixionis in Jesum pronunciata, et executioni data sit, ita assignant, ut gravis inter eos pugna obtinere videatur. Joannes enim XIX. 14. scribit, caussam Christi coram Pilato actam fuisse et Pilatum crucifixioni Jesu annuisse „ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, hora quasi sexta;" Marcus e contra dicit XV. 25. Christum „hora tertia" fuisse crucifixum; insuper Matthaeus XXVII. 45. ait: „ab hora sexta tenebras factas esse usque horam nonam." Haec iam, sub eodem respectu sumta, simul subsistere non possunt. Joannis enim hora sexta, iuxta computum Hebraeorum foret

---

[214]) Cf. J. G. Dahler, de LL. Paral. auctorit. et fide hist. Argentorati 1819. p. 54. 61. 62. 82.

nostra 12ª, quo tempore iudicium coram Pilato agi iam non potuit, si Christus iuxta Marcum hora tertia, id est, nostra nona iam crucifixus est, ac tandem iuxta Matthaeum hora sexta Judaeorum, id est, nostra 12ª tenebrae coeperunt, et durarunt usque nonam Judaeorum, id est nostram tertiam pomeridianam. Sed mox conciliabuntur narrationes haeEvangelistarum, dummodo diversa horas computandi ratio,quam secuti fuerant, in censum vocetur. Matthaeus nempe et Marcus pro more, qui Evangelistis in numerandis horis fere perpetuo usu receptus fuerat, hic quoque secuti erant Judaeos, qui diem passim in 12 horas diviserunt incipiendo a mane, circiter nostra sexta, apud illos prima, usque vespertinam nostram sextam, seu illorum duodecimam (cf. Matth. XX. 1—8. Joan. XI. 9.). Joannes vero, quum Evangelium suum Ethnico-Christianis Asiae proconsularis, quibus de moribus Romanorum certo, non item Judaeorum constabat, destinaret, usus fuit methodo Romanorum horas diei computandi. Jam vero apud hos teste Plinio Hist. Nat. L. II. C. 79. ecquidem „vulgus ab luce ad tenebras" horas numeravit, in caussis fori autem mos (apud nos quoque receptus) obtinebat a media nocte 12 horas usque meridiem, et abhinc usque mediam noctem itidem 12 horas computandi [215]). Atque hunc morem secutus fuerit Joannes

[215]) Testantur id Aulus Gellius e Varrone, Noct. att. L. III. C. 2. — Censorinus, de die nat. C. 23. — Plutarch. Quaest. roman. LXXXIV. — Macrobius, Saturnal. L. I. C. 3. — Servius, in Aeneid. L. VI. C. 255. — Atque hanc diei iudicialis divisionem etiam sub imperatoribus obtinuisse, plura innuunt: sic de `aetate Claudii id docet eiusdem αποκολοκυντωσις (conversio in cucurbitam), de qua Seneca, Ludus de morte Claud. Caesar. Opp. T. II. Lugdun. 1592. p. 734. scribit: „mensis erat october, dies quintus, — inter sextam et septimam horam, —

in assignando tempore, quo Pilatus sententiam mortis in Jesum pronunciaverit: de indicio enim, etsi tumultuario scribens, divisione diei, in foro Romano recepta, et lectoribus nota, uti voluerit; ut adeo hora sexta, ab ipso indigitata, nostra quoque sexta matutina sit. Neque dubium patitur, an caussae iudiciales iam summo mane agi consveverint: nam id, quod apud Romanos passim obtinebat [216]), modo in specie furor Judaeorum importune postulavit probabiliter adhuc maturius; Pilatus tamen, quum vi iuris Romani sententia iudicis, ante ortum solis pronunciata, irrita esset [217]), in caussa capitali pro tribunali sedere non potuit ante horam sextam, utpote qua tunc, aequinoctio vernali, sol oriebatur. Ceterum nemo mirabitur, sententiam mortis iuxta Marc. XV. 25. primum „hora tertia," seu nostra nona matutina fuisse executioni datam, qui perpende-

---

Jam medium cursu Phoebus diviserat orbem,
Et propior nocti fessus quatiebat habenas.
Oblique flexam deducens tramite lucem,

Claudius animam agere coepit, nec invenire exitum poterat." — Pariter numerabantur horae sub Nerone; postquam matrem suam interimendam curasset, observabatur eclipsis solis, quam teste Plinio Hist. nat. L. II. C. 72. Corbulo in Armenia intra 10 et 11 horam vidit. — Sub Vespasiano, Plinius Secund. Epist. L. III. ep. 5. p. 68. ed. Lps. 1829. de Plinii maioris vita, et studiorum ratione scribit: „Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi, statim a nocte multa; hieme vero, hora 7, vel quum tardissime, octava, saepe sexta."

[216]) Sic Seneca, de ira L. II. C. 7. Tom. 1. Lugd. 1592. p. 920. scribit: „Haec tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores advocatos habent!"

[217]) Macrob. Saturnal. L. I. C. 3. „magistratus post mediam noctem auspicantur, et post exortum solem agunt." — A. Gellius, noct. att. L. XIV. C. 7. „Senatus consulta ante exortum solem, aut post solis occasum facta, rata non esse."

rit, donec duobus latronibus quoque, cum Jesu crucifixis, ius diceretur, flagellarentur, caussae scriptae Matth. XXVII. 37. pararentur, petulantiae militum Matth. XXVII. 27—31. satisfieret, atque ad locum supplicii perventum fuisset — facile duas tresve horas elabi potuisse [218]).

3. Diversus diversorum narrandi modus: dum alter factum leviter attingit, alter vero id prolixius describit, — alter rationem temporis, loci, personarum, variarumque circumstantiarum, accurate definit, nec quidquam praetermittit, quod ad rem intelligendam facit, alter vero minus accuratus est, numerum rotundum pro definito ponit, personas non exacte designat, et circumstantias quasdam vel omittit, vel alias adfert, — verbo dum alter altero specialius scribit. Sed similes narrationis diversitates contradictionem non involvunt, sed potius argumento sunt irrefragabili, scriptores in factis illis enarrandis inter se non collusisse, sed quemque independenter ab alio scripsisse; — neque proin aliud hoc in casu agendum, quam locus clarior consulendus, et ad eum impeditior in interpretatione accommodandus. eg. Matth. XXVI. 8—12. dicitur, quod, dum Maria, soror Lazari, ungeret caput Christi, recumbentis in Bethania in domo Simonis leprosi, „videntes discipuli, indignati sint, dicentes: ut quid perditio haec? ect." Joannes autem XII. 1—8. idem narrans factum, refert solum Judam verba illa protulisse. Verum nulla hic obtinet pugna, sed nonnisi specialior rei apud Joannem expositio; Judam nempe e sordida lucri cupiditate factum mulieris accu-

[218]) Legi meretur tractatus erudit. J. L. Hug, Krit. exeg. Bemerk. über d. Geschichte des Leidens u. Todes Jesu. in Zeitsch. für die Geistl. des Erzbisth. Freiburg. 5. H. 1831. p. 88—99.

sasse, tamquam praestitisset 300 illos denarios, quanti ungventum aestimabat, pauperibus elargiri, quam sic profundere; proprie autem hoc ideo dixit, quia fur erat, nam servabat loculum, et de illis, quae inferebantur huic, auferebat Joan. XII. 6. adeoque quia ademta ei fuit occasio, ex illa quoque summa aliquid in suum usum reservandi. Sed, quia tam speciosum attulit praetextum factum illud improbandi, plerique etiam e ceteris Apostolis, perversam mentem Judae non assecuti, ceterum autem cura pauperum ducti, una murmuraverint, quin adverterent, hanc agendi rationem divino Magistro contumeliosam esse. Quod ergo Matthaeus de omnibus Apostolis refert generatim, id Joannes speciatim tribuit Judae proditori, utpote auctori illius indignationis [219]).

4. Oriuntur antilogiae, si non satis in personam loquentem inquiratur, aut ea cum Scriptore S. confundatur. Sic 1 Sam. XXXI. 4. narratur, Saulum, in

219) Sic Gen. XV. 13—16. Deus inducitur Abrahamo praecinens; posteros eius, per 400 annos, sub durum servitutis iugum redactos, in Aegypto commoraturos, exacto vero hoc temporis spatio, in Palaestinam redituros esse. (דוֹר enim „generatio" hoc l. de 100 annis sumi debet, docente v. 13. ubi quatuor generationes, 400 annis aequiparantur.) Hoc dissentire videtur ab Exod. XII. 40. ubi Israelitae in Aegypto 430 annos commorati esse dicuntur. Facile autem haec conciliantur, si in memoriam revocemus; nihil fere frequentius esse apud historicos, quam ut numerum rotundum pro determinato ponant; id quod inprimis in oraculis obtinet, quae plerumque aliquid obscuritatis habere solent. Itaque locus Geneseos ex illo Exodi planiori, et ad *ακριβειαν* definito recte illustratur. — Huc referendum quoque tentamen egregium H. E. F. Guerike, Versuch einer Vereinigung der evang. Relationen über die letzte Mahlzeit Jesu. in n. Krit. Journal der theol. Lit. von G. B. Winer. 3. B. 1825. p. 257—274.

proelio vulneratum, irruisse in gladium suum, et sic se ipsum peremisse; mox vero 2 Sam. I. 2—10. refertur, quod Amalekita quidam, per Saulum provocatus, eum peremerit. Verum pugna nulla est: posterius enim hoc narrat idem Amalekita, qui certo mentitus fuerit, ineundae apud Davidem gratiae caussa, quem non dubitavit successorem Sauli futurum. — Pariter Act. VII. refertur Stephani oratio, habita coram synedrio, in qua quidem, signanter v. 16. manifesti sunt errores contra Gen. XXIII. 16. Jos. XXIV. 32. non tamen vera adest antilogia: Lucas enim tantum refert, quid Stephanus dixerit, pro huius vero inerrantia nullum firmum pugnat argumentum.

§. 52.

III. In locis propheticis.

Quo pugnae, quibus effata Prophetarum quandoque implicari videntur, certius, faciliusque tollantur, iuvat spectare 1.) prophetias in genere, 2.) in specie vaticinia de N. F. sonantia. Et quidem

1. Si eloquia Vatum vel inter se, vel cum effatis alius generis pugnare videantur, notanda venient sequentia:

a.) Si dicta Prophetarum posteriora prioribus adversari contingat, oportet caute inquirere, an utrobique Dei auctoritate, vel an non fors proprio tantum arbitratu loquantur. Sic Nathan Propheta 2 Sam. VII. 3. consilium Davidis, templum aedificandi, probat, ast v. 5—16. id ipsum reprobat, unaque praedicit, templum Jehovae non a Davide, sed ab eius filio, Salomone fore aedificandum; prius nempe proprio nonnisi iudicio, tum vero revelatione divina edoctus, fuerat locutus.

b.) Si minis eventus quandoque non respondisse legatur, oportet meminisse, calamitates quasvis plerumque sub conditione expressa vel tacita fuisse annunciatas, nempe „nisi resipiscentia, et vitiorum emendatio subsecuta, aut consilio Prophetae obtemperatum fuerit," id quod Vates ipsi saepe aperte indicant, ut Jes. VII. 9. Jer. XXXVIII. 14. ss. Neque proin ulla locorum pugna est, si, quod Prophetae comminati fuerant, mutatis adiunctis, non evenit. Sic Jonas Vates III. 4. Ninivitis interitum urbis eorum annunciat, nisi poenitentiam agerent, — quae praedictio eventu caruit, quoniam Ninivitae ad meliorem frugem redierant [220]).

c.) Si de eodem obiecto vel subiecto contraria praedicta sunt: ad diversas aetates, diversosque status spectant; sic si Israelitis alicubi adversa, alibi autem laetiora annunciantur: de diversis temporibus sonant; aut si de Messia iam magnifica, iam humilia praedicuntur: status eius diversus, nempe humilitatis, aut exaltationis et gloriae significatur; ut adeo vana sit opinio Judaeorum, qui his duplicem Messiam, alterum humilem e posteris Josephi, magnificum alterum e posteris Davidis indicari fingunt.

d.) Si Prophetae futuros eventus meris tantum adumbrent imaginibus, has ad literam exponere, aut vero ad ultimum usque apicem premere non licebit, sed principalis tantum earum significatio erit tenenda;

---

[220]) Simili ratione Jes. XXXVIII. 1. Hizkiae (Ezechiae), aegre decumbenti, annunciatur mors e vicino instans, qui tamen, Deum enixe precatus, mox v. 5. hoc audire meruit oraculum: „haec dicit Dominus, Deus David patris tui: audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas; ecce ego adiiciam super dies tuos, 15 annos."

Prophetae enim pro ipsa elocutionis propheticae indole audacioribus saepe utuntur imaginibus. Terrae motus, casus siderum, obscuratio solis et lunae, quae passim additis similibus adiunctis adhuc magis exaggerantur, plerumque nonnisi magnas rerum conversiones designant. Sic, dum Messias Psalm. CIX. in vivacioribus imaginibus qua heros bellator et victor sistitur, id non aliud, quam gloriosam amolitionem omnium impedimentorum, quae regno Messiae coelesti, eiusque dilatationi obiicienda erant, significat; alias enim Messias perpetuo pacificus [221]) describitur adeo, ut arma ferrea in instrumenta agriculturae conflanda fore dicantur [222]).

2. Si quaeratur de vaticiniis ad N. F. spectantibus: ex his nonnulla paullo obscurioribus formulis, vel non satis definitis imaginibus adumbrata sunt, quae sufficientem lucem per eventum demum sortirentur, qui optimus est obscurorum vaticiniorum magister: oportebit itaque consulere historiam universam quidem, signanter vero illam N. F. quae optatam vaticiniis V. F. praeferet facem, et caliginem illis offusam dispellet; atque hoc adminiculo eo securius uti licebit, si auctoritas Christi, aut viri cuiusdam divinitus eruditi accedat, effatum aliquod propheticum explicantis: haec enim interpretatio non potest non esse verissima, utpote profecta a viris, ab eodem Spiritu edoctis, quo

[221]) Jes. IX. 6. inter cetera celebratur Messias „princeps pacis;" et v. 7. de eo dicitur: „pacis eius non erit finis;" item Zach. IX. 10. „loquetur (id est, commendabit, praecipiet) pacem gentibus."

[222]) Jes. II. 4. „Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces." cf. Mich. IV. 3. — Zach. IX. 10. „disperdam quadrigam (currus bellicos) ex Ephraim, et equum (equitatum) de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli."

Prophetae ducti vaticinia fuderant [223]), ut adeo in vaticiniis hisce exponendis Libri N. F. praecipuo sint subsidio [224]); ast hi ipsi simul praecipuum constituunt fontem, e quo et veteres religionis novae hostes, Judaei, Celsus, Porphyrius, et Julianus [225]), pariterque recentiores [226]) in hoc argumento multiplices derivabant contradictiones: cum in N. F. obvie e V. F. adducantur sententiae, tamquam de Christo sonantes, quae tamen, spectato contextu, in loco illarum nativo eum sensum nullatenus ferant, quo in N. F. adduci videntur, atque hinc saepius tot et tantae accusationes conflatae sunt adversus Evangelistarum seu inscitiam seu fraudulentiam. — Quod vero in specie attinet illa vatum effata, in N. F. adducta, in quibus obtrectationum similium auctores plurimum videntur confidere,

---

[223]) Quapropter eiusmodi interpretationi eadem auctoritas est tribuenda, quam Jurisconsulti tribuunt interpretationibus legislatorum authenticis.

[224]) Cf. J. A. Ernesti, narratio crit. de intptione Prophet. Messian. in Eccl. Chr. Opusc. theol. ed. 2. Lps. 1792. p. 459.— Vitringa, de typo doctrinae proph. P. 3. C. 2. can. 14. — C. G. Anton, ratio Prophetias Mess. interpretandi. Dessav. 1786. p. 12. 13. 25.

[225]) S. Hieronymus Comm. in Oseae XI. 1. Opp. tom. 6. ed. Vallarsii Veron. 1736. p. 123. „Hunc locum in septimo volumine Julianus Augustus, quod adversum nos, id est, Christianos evomuit, calumniatur, et dicit, quod de Israel scriptum est, Matthaeus Evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet."

[226]) De quibus cf. J. G. Herder, Briefe d. Stud. d. Theol. betreff. 1. Th. Wien 1819. 17. Brief. p. 185. — E. W. Hengstenberg, Christologie des A. T. 1. Th. 1. Abth. Berlin 1829. p. 345. — Gesenius, Comm. zum Jesaias III. p. 160. s. — Junius, parallela sacra. Praef.

inter ea potissimum sequentia numerantur: Matthaeus II. 15. postquam narrasset iter Josephi et Jesu in Aegyptum, addit: „ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum"; quae verba Hoseae XI. 1. sensu literali de populo Israelitico sonant; — idem Evangelista paulopost, narrato infanticidio Bethlehemitico, addit II. 17. 18. „Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt"; quae verba Jer. XXXI. 15. historice ad transportationem Judaeorum in captivitatem Babylonicam referuntur; — Christus Matth. XIII. 14. inquit: „Et adimpletur in eis prophetia Isaiae (VI. 9.) dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis"; similiter XV. 7. 8. „Bene prophetavit de vobis Isaias (XXIX. 13.) dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me"; quorum effatorum neutrum in loco nativo de Christi temporibus sonat [227]).

Similes itaque, (ut prima fronte videtur, minus rectae) dictorum propheticorum interpretationes, ab Auctoribus N. F. profectae, divinae horum auctoritati parum convenire videntur; ast commoda suppetit ratio illos ab hac erroris suspicione plene liberandi, si nempe advertamus: a.) similia citata plerumque sensu mystico adduci, alias vero b.) pro perpetuo more scriptorum omnium, sententias V. F. in N. F. ad eventum similem eleganter transferri, quin ceu strictae pro-

---

[227]) Huc referuntur quoque Matth. VIII. 17. coll. Jes. LIII. 4. — Rom. X. 18. coll. Ps. XIX. 5. ect.

phetiae, demum in N. F. impletae spectarentur [228]). Scilicet

a.) E conceptu Librorum SS. quorum auctor eminentissimus Deus est, consequitur, quod Auctores illorum verbis suis etiam remotiorem aut mediatum sensum substernere potuerint, quem dein aut ipse Auctor occasione emergente, aut alter de altero declararet et definiret; et revera si Scripturae paullo penitius examinentur, observare licet, in illis non tantum *voces* adhiberi ad aliquid significandum, sed saepissime etiam *res*, vocibus significatas, ad significandas *res alias;* id quod inprimis in vaticiniis, pro ipsa sua natura, obtinet, ubi non raro res altera alterius typus, symbolum, figura est, unde distingvitur sensus literalis, verbalis, realis, mediatus, symbolicus, typicus, mysticus. Quapropter viri insigniter docti [229]) docent,

[228]) Alias, diversas, quandoque a longe petitas, ac violentas rationes similium antilogiarum tollendarum recenset H. K. A. Haenlein, Handbuch der Einleitung in d. N. Test. ed. 2. 1. Th. Erlang. 1801. p. 424—427.

[229]) Uti J. Maldonatus, in Comm. in quatuor Evang. Lugd. 1682. ad Matth. II. 15. p. 58. 59. — A. Calmet, Comm. in LL. V. et N. T. tom. 7. Venet. 1774. ad Matth. II. 15. p. 80. — Linzer theol.-prakt. Monatschrift. 5. Jgg. 2. B. ed. 3. Prag. 1821. p. 146. ss. — J. Gussetus in Wolfii curis ad Matth. II. 15. — J. A. Turretin. de S. Script. Interptne. ed. G. A. Teller. Francof. 1776. p. 127—141. — J. G. Rosenmüller, l. c. (n. 22.) P. 1. p. 29. ss. et in Scholiis ad N. T. t. 1. ed. 5. Norimberg. 1801. ad Matth. I. 22. 23. p. 25. — Hengstenberg l. c. (n. 226) p. 339—344. — L. J. Uhland, annot. hist. exeg. in Hoseam. P. X. Tubing. 1794. p. 14. ss. — A. Arigler, Herm. bibl. p. 22—31. et cum his viris fere consentanee H. Grotius Opp. theolog. t. 2. cont. annot. in Evang. Basil. 1732. ad Matth. I. 22. p. 11—14. — Mack, die messian. Erwart. u. Ansichten der Zeitgenossen Jesu; in d. theol. Quar-

non unam, sed plures esse implendorum vaticiniorum rationes; dicitur nempe prophetia impleri: α.) cum id fit ad literam, quod Propheta futurum praedixit; sicut Matth. I. 22. in Deipara Maria impletum refertur illud Jes. VII. 14. „ecce virgo concipiet, et pariet filium"; — β.) dum contingit, cuius symbolum in vaticinio fuit praefiguratum; uti 2 Sam. VII. 14. „Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium", proprie de Salomone dictum esse, perspicuum est, Divus tamen Paulus Hebr. I. 5. de Christo, ceu figurae antitypo interpretatur; et quod Exod. XII. 46. legitur: „os non comminuetis in eo", certe de agno dictum fuit, Joannes tamen XIX. 36. in Christo, qui per agnum significabatur, impletum dicit; — γ.) cum nec id fit, de quo literaliter sonabat vaticinium, nec id, quod per illud symbolice significabatur, sed quod illi simile, et omnino eiusmodi est, ut effatum vatis non minus congrue ad id, quam ad quod proxime spectabat, referri posse videatur; velut, quae Jesaias XXIX. 13. de Judaeis aetatis suae scripsit: „populus hic labiis me honorat", Matth XV. 7. 8. ad Judaeos Christo coaevos transferuntur.

Itaque principiis hisce conformiter citata Hoseae sententia sensu literali respicit populum Israeliticum, quem Deus Exod. IV. 22. filium suum primogenitum appellat, — mystice vero Christum innuit; quam interpretandi rationem ipsimet Judaei in multis locis admittere coguntur: fatentur namque, multa eg. de Davide, eiusque regno dici, quae ad Messiam pertineant, — multa, quae de populo Dei dicuntur, historice quidem et literaliter de gestis in V. F. intelligen-

talschrift v. Drey, cet. Tübing. 1836. p. 194—226. tractatus auctore crudito dignissimus.

da esse, quae simul ad Messiae tempora referenda sint. Uti ergo Spiritus S. apud Hoseam per eductionem Israelitarum ex exilio Aegyptio simul adumbratam voluit Messiae, ibidem exulaturi, reversionem: sic Matthaeus eodem Spiritus S. ductu verba Prophetae eo retulit. Ceterum non obstat quod apud Hoseam mox v. 2. commemoretur idololatria Israelitarum, quae, cum de Messia exponi possit prorsus nullatenus, simul impediat, quominus immediate praecedentia ex eodem contextu ad Christum referantur: nam „qui (Israelitae) ex parte typi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo eius fecisse censendi sunt; typus enim partem indicat; quodsi totum praecedat in typo, iam non est typus, sed historiae veritas appellanda est" [230]). — Quia vero

---

230) S. Hieronymus l. c. (n. 225) p. 124. — — Neque metus est, (velut arbitratur Meyer l. c. (n. 1.) 2. Th. p. 484.) nefors theoria hac stabilita, sensus mystici ubique arbitrarie fingendi occasio praebeatur, non enim is arbitrio relinquitur interpretis, sed ab auctoritate viri divinitus eruditi, talem innuentis, derivandus praecipitur. Sed „neque per hanc sententiam duplex unius dicti sensus statuitur; aliud enim est, plures sensus eiusdem generis s. literales statuere; aliud vero diversi generis: literalem, qui ex Spiritus S. intentione immediate per ipsa verba Scripturae insinuatur, et mysticum, qui non proxime per verba, sed per res verbis designatas a Spiritu S. intenditur. Potest etiam sensus Scripturae revera dici unicus tantum, si vocem *sensus* accipias in significatu latiore pro omni eo, quod a Spiritu S. intenditur. Sic nostro loco Hoseae reapse unus est sensus literalis, sed bis impletus, in typo (pop. Israel) primum, deinde in antitypo" (i. e. Messia Jesu). Ita Uhland l. c. (n. 229) p. 15. s. — cf. quae hanc in rem consentanee scripsit A. T. Hartmann, Blicke in den Geist des Urchristenthums. Düsseldorf 1802. p. 65. coll. n. theol. Journal v. Gabler. 11. B. 1803. p. 121.

non pauci sensum mysticum prorsus reiiciendum, — aut saltem in similibus locis citra sufficiens indicium ac fundamentum adstrui existimant, iuvat, ut his quoque satisfiat, et simul horum quoque principiis conformiter auctoritas Scriptorum N. F. e V. F. effata citantium, ab erroris suspicione vindicetur, — sub γ.) paucis indigitata, paullo uberius evolvere: nempe

b.) Auctores N. F. ab inimicis interpretationis mysticae eum nonnisi in casum in V. F. interpretatione a veritate deflexisse, adeoque seu errasse, seu fraudulenter egisse, iuste argui possent, quoties e V. F. citata non eo, quem litera in loco nativo fundit, sensu adducunt, si evinci posset, talia effata semper ceu vaticinia stricte talia adferri, id quod omnino secus est, cum illa pro more, apud omnes scriptores recepto, frequenter nonnisi ad similem eventum eleganti applicatione transferantur [231]). Profecto Graeci pariter ac Romani auctores recentiores antiquiorum sententias, in alium sensum translatas, sermoni suo, gemmarum instar, intexere consveverant occasione omni, inprimis vero, dum similitudinem quamdam inter effata citanda, et rem, de qua sermonem habebant, intercedere adverterent [232]). Non secus apud Hebraeos tri-

[231]) „Igitur falso interpretati esse non possunt, qui omnino noluerunt interpretari." G. C. Storr, de sensu historico, in opusc. academ. vol. 1. Tubing. 1796. p. 81.

[232]) Storr l. c. (n. 231.) Isenbiehl, N. Versuch üb. Weissag. vom. Emanuel p. 238—262. — Dresde, progr. natal. Chr. 1780. p. 7. 8. — Anton l. c. (n. 224.) p. 13. 14. e.) — Rosenmüller l. c. (n. 229.) — C. T. Kuinoel, l. c. (n. 91.) ad Matth. I. 22. 23. — J. D. Michaelis, Einleit. in d. B. d. N. B. 1. Th. ed. 4. Gött. 1788. p. 226. 238. ubi ex Olympiodoro adducitur: „examen apum os parvi Platonis melle replevit, ut verum de ipso fieret (ἱνα αληθες περι αυτου γενηται): de lingva

tam fuisse consvetudinem verba S. Scripturae usurpandi sensu accommodo propter quampiam similitudinem, complura testantur exempla: sic 1 Macc. VII narrationi de pluribus contribulibus inique occisis v. 16. subiungitur: „occidit eos secundum verbum, quod scriptum est (Ps. LXXVIII. 2. 3.): carnes sanctorum tuorum, et sangvinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret." Ita etiam 2 Macc. VII. 6. adducuntur verba Mosis Deut. XXXII. 36. „et in servis suis consolabitur," ubi sermo est de constantia fratrum, quos Antiochus occidi iusserat propter perseverantiam in observandis patriis Dei legibus. Denique Matth. XXVII. 41. ss. principes sacerdotum, scribae et seniores Christo in cruce pendenti insultant verbis Scripturae, certe non eo consilio, quasi crederent, imprecationes illas sensu proprio prophetico Christo convenire. — Porro mos hic transivit quoque ad Scriptores Christianos, qui aeque sententias Scripturae S. per nudam applicationem, ob aliquam rerum, aut nominum similitudinem quandoque gravioribus formulis citarunt [233]). Denique similium

eius mel dulce defluxit;" quod Homerus de Nestore dicit. Plura exempla e Romanis, Graecisque collecta exhibet J. F. Schleusner, Lex. graec. lat. in N. T. ed. 4. Lps. 1819. s. v. πληϱοω. t. 2. p. 588.

[233]) Sic S. Epiphanius Haer. X. vel XXX. adv. Ebion. op. omn. t. 1. Colon. 1682. p. 125. de Ebione ait: „in eoque quod scriptum est (Prov. V.) impletur: paulo minus versatus sum in omni malo;" ect. — Irenaeus contra Haer. L. IV. C. 20. opp. P. 1. Venet. 1734. p. 256. dicit: „Joanne vero non sustinente visionem: cecidi, inquit, ad pedes eius, quasi mortuus, ut fieret, quod scriptum est (Exod. XXXIII. 20.) nemo videt Deum, et vivet." — J. S. Assemanus Biblioth. Orient. t. 1. Rom. 1719. C. 6. §. 12. narrat Ephraemum Sy-

applicationum plena sunt Missalia, Breviaria, et quidquid est librorum, publico Ecclesiae usui destinatorum [234]).

Prout itaque graecis scriptoribus, quoniam Homeri dicta creberrime ad aliam significationem transferunt, vel Ciceroni, quia ad Atticum suum Graecorum sententiis contra auctorum consilium utitur, vel arabicis scriptoribus, quando suam sententiam libenter Corani formulis exprimunt, vel Judaeis ipsis, atque Christianis scriptoribus, dum in allusionis crebro usu elegantiam ponunt, — hermeneuticum errorem nequaquam solemus obiicere, neque nobis ipsis vitio vertimus auctorum veterum effata, in alienum ab eorum mente sensum accepta: ita neque auctoritati N. F. Auctorum quidquam decedere potest, quoties, consvetudinem eandem, inter populares dudum receptam, secuti, veterum sententias allusionis et aestheticae applicationis gratia in rem suam transferunt.

Sed, dicet aliquis, auctores N. F. effata e V. F. ceu vere prophetica adducere voluisse, ipsi innuunt

---

rum monitum esse ab Angelo his verbis: „cave, ne de te narretur, quod scriptum est (Hos. X. 11). Ephraim vitula, iugum ab humero suo repulit." Apud Eusebium Hist. Eccl. L. 2. C. 23. Augustae Taur. 1746. p. 72. Hegesippus de Judaeis, Jacobum fratrem Domini occidentibus, ait: „και επληρωσαν et impleverunt Scripturam, in Jesaia (III. 10.) scriptam: tollamus e medio iustum, quia molestus est nobis; propterea fructum operum suorum manducabunt;" (apud Prophetam de Jacobo Justo ne levissimum quidem vestigium est.) — Liceat addere illud S. Hieronymi Epist. ad Paulinum, Epp. sel. L. 2. Tyrnav. 1742. p. 28. „Socraticum illud impletur in nobis: hoc tantum scio, quod nescio."

[234]) Exempla adfert J. Major, quaest. sel. Scrip. S. Agriae 1767. p. 167.

haud obscure gravibus citandi formulis, uti: „ἱνα vel ὁπως πληρωθῃ το ῥηθεν, vel ἱνα πληρωθῃ ὁ λογος ὁ γεγραμμενος, vel και επληρωθη ἡ γραφη ἡ λεγουσα, ut impleretur, dictum, vel sermo, vel scriptura," ect. Verum, etsi formulis his saepissime adducantur sententiae e V. F. ut vere propheticae, et quidem in sensu Auctoris V. F.: universim tamen formulae illae citandi solae non praebent sufficiens argumentum, an locus quis V. F. ut vere propheticus adductus sit ab Auctore quodam N. F. etenim verbum πληροω et correspondens hebraicum מָלֵא „impleo" plures, et inter ceteras quidem talem quoque habet significationem, quae paullo ante indigitato aesthetico usui effatorum alienorum apprime congruit [235]); significat nempe מָלֵא non tantum proprie „implere, farcire," sed etiam meta-

---

[235]) Cf. Schleusner, l. c. (n. 232.) — Dresde, de sensu voc. πληρουν in N. T. praesertim, quum de V. T. usurpatur. Witeberg. 1786. 87. — Noebling, Diatribe de vera vi form. ἱνα πληρωθῃ ect. in N. T. recte constituenda. Susati 1785. — In vaticiniis mess. non esse urgend. formulas cit. in N. T. solemnes. Dresdae 1792. — Mack, l. c. (n. 229.) p. 196. ss. — W. Gesenius, l. c. (n. 83.) sub voce מָלֵא G. C. Knappii, l.c. (n. 141.) p. 533. s. ubi opportune additur, etiam verbum προφητευειν nonnunquam indicare: iam denuo pari eventu id confirmari, quod olim viri divini de alio tempore, aliisque de rebus aut hominibus dixerint, veluti Matth. l. sup. c. XV. 7. — Pariter iuxta J. P. Lange, Ueber den geschichtl. Charakter der Evangelien; mit Beziehung auf d. Leben Jesu v. Strauss. Duisb. 1836. p. 64. formula in N. F. obvia: „tunc adimpletum est ect." significat: „nicht etwa (immer) in jüdisch-rabbin. Äußerlichkeit: da ging eine Vorhersagung in Erfüllung, sondern: da vollendete sich eine Weissagung, da kam diese oder jene Lebens-Knospe zur schönsten herrlichsten Entfaltung, da wurde irgend eine geistige Vorstufe in ihrem Gipfelpunkte aufgehoben."

phorice „finire, absolvere, consummare" [236]); porro sumitur de eventibus, alicui effato praecedenti respondentibus [237]); sed adhibetur etiam pro exprimenda accessione alterius rei similis, uti 1 Reg. I. 14. Nathan iussit Bethsabeam ingredi ad Davidem, et inchoare sermonem, addens: „et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos;" implevit autem, ut patet e v. 23. ss. idem argumentum iterando partim, partim continuando. Et haec postrema notio frequenter recurrit in N. F. sic Luc. XXII. 16. dicit Christus: „Dico vobis, quia ex hoc non manducabo illud (nempe pascha), donec impleatur in regno Dei;" i. e. non amplius pascha his in terris celebrabo, sed longe nobilius et perfectius in coelis; nempe felicitas, in regno Messiano olim exspectanda, saepius adumbratur imagine, a conviviis desumta, qualia inprimis festo paschatis celebrari solebant; quoniam igitur Christus tunc paullopost rediturus erat ad illam felicitatem veram et aeternam: ob quampiam similitudinem pascha terrenum dicit implendum in coelis, comparans quippe gaudia illa similia etsi longe perfectiora, cum laeto convivio paschali. Ut adeo verbum „πληροω impleo" non tantum de complemento vaticiniorum adhibeatur, sed etiam de simi-

[236]) Uti Esther I. 5. „Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum."

[237]) Sic 1 Reg. II. 27. „Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo"; cf. 1 Sam. II. 35. — Item 2 Paral. XXXVI. 20. 21. „Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit — — donec compleretur sermo Domini ex ore Jeremiae."

lium comparatione [238]). Atque haec ipsa eventuum similium comparatio, e vulgari loquendi modo petita, obtinet etiam respectu dictorum S. Scripturae, qua fit, ut, si quid eveniat, quod aliquam habet similitudinem cum ante iam dictis, dicantur dicta haec impleta, haec illave accidisse secundum dicta illa (uti l. c. 1 Maccab. VII. 16. 17. — 2. Macc. VII. 6.). — Cum autem institutum Christianum cum V. F. intime iungeretur, quis miretur, Apostolos, nec eruditione profana percultos, nec in arte presse ac distincte singula dicendi versatos, de cetero historiae sacrae, sacrorumque Librorum V. F. gnaros, vulgarem loquendi modum secutos, advertisse passim ad similitudines, quae inter obiecta utriusque F. intercederent, aut veterum dictis usos esse pro suis, quin tamen in talibus semper strictum supponerent nexum propheticum [239]).

[238]) Pluribus id comprobant Hengstenberg l. c. (n. 226.) p. 339. 342. — Schleusner l. c. (n. 232.) — D. Tobenz, Instit. S. Script. P. 2. Vien. 1814. p. 426. — J. C. Velthusen, Bremisch-theol. Magazin. 1. Th. 1. St. Bremen 1795. — Haenlein l. c. (n. 228.) p. 422. ss. — Meyer l. c. (n. 1.) 2. Th. p. 477. ss. — J. Jahn, App. Herm. Vatic. de Mess. Fasc. II. Vien. 1815. p. 271—274. — Gratz, l. c. (n. 6.) p. 18. 19. ubi docetur, „illam loquendi rationem: τοτε επληρωθη ect. in similibus (Matth. II. 17. 18.) locis nonnisi formulam esse citandi, cui respondeat sensus: etiam hic valet, quod scriptura dicit."

[239]) Juvat notare, quae de hac quaestione scripsit, omnino orthodoxus Tobenz l. c. (n. 238.) p. 423. „Utrum citationes V. F. omnes tamquam totidem vaticinia de N. F. considerandae sint? resp. negative. Saepe enim ipsa loca V. F. de aliis dicta, non admittunt, ea ut vaticinia accipi. Nulla insuper necessitas urget, ea ut talia respiciendi. Quia ipsi Hagiographi N. F. nihil addunt, quo colligatur, eos prophetiam V. F. adlegare voluisse? Quum praeterea V. F. cognitione pleni fuerint, et os ex abundantia cordis loquatur, nihil magis naturale erat,

Qui ergo, Evangelistas inscitiae aut fraudis accusaturi, haec ceu meras prophetias adducta praetendunt, Scriptoribus SS. invitis obtrudunt ideas nostri temporis, a iudiciis nationalibus Judaeorum, illius praecipue aetatis, tam dissonas, quam ipsi ab iis distamus, climate, regionum tractibus, atque aetate.

Ex his ergo apparet, e solo usu illarum citandi formularum, ἱνα πληρωϑῃ ect. utpote ambiguarum, concludi non posse, Auctores N. F. effata e V. F. ceu vere prophetica adducere voluisse. Sed eoipso merito quaeritur, an ullum existat, et quodnam sit illud criterium, e quo id secure decidi queat, ut sic divina Scriptorum N. F. auctoritate, interpretatio vaticiniorum privata confirmetur. Criterium eiusmodi prout unicum, ita simul certissimum est, si Christus aut Apostoli ita allegent effatum V. F. ut indubium sit, eos ex illo loco, velut dicto prophetico argumentatos esse ad alios convincendos; quo vero id certo constet, oportebit rationem habere contextus, scopi orationis et substratae materiae: ex his enim definire licebit, an argumentum, ex aliquo loco sumtum, sit absolutum ac positivum ad certam veritatem omnibus comprobandam, an vero sit solum argumentum „κατ᾽ ανϑρωπον ad hominem;" licet enim doctori, sermone populari doctrinam aliquam defendenti, etiam „e concessis" dispu-

---

quam ut verba Scripturae V. F. sibi adpropriarint, iisque mentem suam expresserint; consequenter adcommodationem tantum illorum ad scopum suum fecerint." — Add. Michaelis l. c. (n. 232.) p. 223. „Wenn man ein Buch täglich lieset und studieret, so kann es nicht fehlen, daß uns nicht Stellen desselben im Schreiben öfter in die Feder fließen sollten. So redet der Jurist mit dem Corpore Juris, der Schulmann mit den Authoren, der Prediger mit der Bibel."

tare, i. e. assertum quodpiam, iustis rationibus evictum ac certum, ubi occasio postulat, aut uberius comprobare, aut ab impetitionibus adversariorum tueri argumentis, quae in se quidem parum firma sunt, ab adversariis tamen firmissima habentur [240]). Quodsi vero e contextu, scopo, et substrata materia innotuerit, Christum aut Apostolos e certo V. F. loco argumentatos esse positive, certum erit, effatum illud adduci ut propheticum [241]), tumque certe docebit simul experientia, illum sensum inesse effato eiusmodi etiam in loco nativo, quo illud a Christo vel Apostolis citatum fuisse constiterit. Sic dum Jesus Matth. XXII. 44. e Ps. CIX. 1. adducit sententiam: „dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis," effatum hoc V. F. sensu literali, i. e. prophetico de Messia allegat; scopus enim, et contextus clare docent, Jesum ex illis verbis argumentum positivum petiisse: tales nempe Pharisaeis proponit quaestiones, et ita argumentatur (v. 41—45.), ut cognoscatur, illos de summa Messiae dignitate convincere voluisse, eum nempe esse corregnantem Dei, adeoque naturae humana sublimioris. Accedit Psalmum hunc in N. F. saepius eodem consilio, in pari orationis serie de Messia Jesu exponi, uti Act. II. 33. 34. V. 31. Rom. VIII. 34. Hebr. I. 13. X. 12. ect.; et primo quidem loco S. Petrus Ps. CIX. 1.

[240]) Non temere hanc rationem secutos esse Apostolos, pluribus docuit Zachariae, theol. bibl. P. I. p. 135. ss.

[241]) Uberius doctrinam hanc evolvunt, Anton l. c. (n. 224.) p. 14. g., 15. 22. 69. — Storr l. c. (n. 231.) p. 82. — Hengstenberg l. c. (n. 226.) p. 344. — Tobenz l. c. (n. 238.) p. 430. — Meyer l. c. (n. 1.) 1. Th. p. 481. — J. G. Eichhorn allg. Bibliothek der bibl. Lit. 5. B. 3. St. 1794. — N. th. Journal von Hänlein und Ammon. 4. B. 1. St. 1794. p. 341. ss. — J. Jahn, Enchir. Herm. Gen. 1812. p. 95.

non quadrare in Davidem, ex eo ostendit, quod „coelum non ascenderit;" S. Paulus vero Hebr. V. VI. VII. demonstrat copiosius, quae dicantur Ps. CIX. 4. „tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchizedek," nonnisi in Jesu Messia locum habere [242]). Atque cit. verba revera in loco nativo quoque de Messia sonare, vix quispiam interpretum negat.

---

[242]) Pariter explicatur de Messia Ps. II. Signanter Act. IV. 25—28. docetur, quae Ps. II. 1. 2. („quare fremuerunt gentes ect.") de regibus et populis, qui Messiae se essent oppositnri, dicuntur, iam coepisse exitum habere, cum Herodes et Pontius Pilatus cum Judaeis Messiae resisterent; Act. XIII. 33. dicitur Deus, quod Ps. II. 7. („filius meus es tu, ego hodie genui te") Messiae promiserat, praestitisse Jesu in vitam revocando; Hebr. I. 5. e cit. v. probatur, Christum altioris esse naturae, quam sit angelica, quia ad Christum, nullibi vero ad angelos dictum est: „filius meus es tu ect." Non secus S. Petrus Act. II. 25—31. demonstrat Ps. XV. 10. („non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem,") agere de Messia, et minime convenire Davidi, cum hic sepultus sit, eiusque monumentum etiamnunc reperiatur Jerosolymis. — Divus Paulus Hebr. X. 5. ss. Ps. XXXIX. 7—11. („sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; — in capite libri scriptum est de me ect.") ad Messiam refert; quod autem locum hunc Ei non accommodaverit, sed de Eo vere intellexerit, recte ex eo colligitur, quod v. 5. diserte dicat, haec esse verba Christi, in genus humanum introducti, et quod v. 8. ss. ex hoc sermone, Ei tributo, argumenta promat. — Gen. XII. 3. („in te benedicentur universae cognationes terrae") de Messia exponitur Act. III. 25. Gal. III. 8. 16. — Item Jerem. XXXI. 31. ss. („ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum") S. Paulus Hebr. VIII. 8—13. de religione Christiana exponit, docente inprimis v. 13. ubi urgetur oppositio novae et veteris oeconomiae. Joel II. 28. (ubi omnis generis homines Spiritus divini par-

CAPUT. II.
DE ACCOMMODATIONE.

§. 53.
Indoles, et variae species Accommodationis.

Quod in se verum est, omni tempore verum est et irreformabile, veritas enim aeterna est: eapropter S. Scriptura N. F. supremam, completam, aeternamque complectens veritatem, in substantia doctrinae obiective perfectibilis esse non potest. Essent autem Scripta N. F. obiectivae perfectibilitatis capacia, si Jesus et Apostoli, doctrinam suam proponendo, erroneis et imperfectis coaevorum opinionibus religiosis sese accommodassent ita, ut non semper propriam perfectiorem proferrent sententiam, sed potius sic loquerentur, ut vulgi opiniones religiosas, quas tamen ipsi animo non fovebant, profiteri, et confirmare viderentur. Idque ipsum est, quod recentiorum non pauci praetendunt [243]), defendentes, Christo et Apostolis id

ticipes futuri dicuntur) respicere novam legem, docet S. Petrus Act. II. 17. indicans, eo ipso, quo loqueretur tempore, hoc oraculum coepisse exitum habere. — Denique eodem modo explicatur Amos IX. 11. Act. XV. 15—20. Ceterum cf. Haenlein l. c. (n. 228.) p. 429. inprimis vero Anton l. c. (n. 224.) p. 15. 17—23. 36—40. 56. atque libellum huncce, omnino utilissimum, legisse, poenitebit nunquam.

[243]) Praecipui huius sententiae patroni fere sunt: J. S. Semler, prol. de sapienti, quam Paulus sequutus fuit, doctrinae oeconomia; in ei. Programmat. acad. select. Hal. 1779. Ei. Apparat. ad liberal. N. T. intptnem. Halae 1767. p. 94. 95. Ei. Paraphr. ad Joan. XI. 25. p. 388. ad 1 Cor. X. 4.

tantum fuisse consilii, ut homines ad naturalis religionis principia edocerent; cum tamen doctrinarum positivarum magna adhuc esset in plebe, cuius in medio versabantur, auctoritas, prudenter ac consulto sese erroneis hisce aevi sui opinionibus [244]) accommodarunt, quo faciliores redderentur rudes populi ad meliorum cognitionum lumina admittenda: quare contendunt, interpretis officium esse, erroneas vulgi notiones e SS. Libris removere, iisque veras ideas, et genuinos conceptus, legi rationis conformes, e Christi et Apostolorum mente substituere; iam vero, inquiunt [245]),

II. 6. Ei. Abhandl. v. freyer Untersuch. des Canon. Hal. 1771—75. P. I. p. 120. P. III. p. 415. — P. van Hemert, oratio de prudenti Christi, apost. et evang. consilio, serm. ad capt. vulgi accomm. Amstel. 1791. Ei. Ueber Accommodation im N. T. Lpz. 1797. — Behn, üb. d. Lehrart Jesu ect. sich nach Volksmeinungen bequemt. ect. Lübeck 1791. — Senf, über Herablassung Gottes in d. christl. Rel. Hall. 1792. — Ueber Accommodation in N. T. in Eichhorns allg. Biblioth. 5. B. p. 420—430. — Ammon, de vestig. theol. judaicae in ep. ad Rom. v. ei. opusc. theol. Goetting 1803. p. 71. ss. Idem in Ernesti instit. interpr. N. T. ed 4. 1792. p. 310. ss. — G. L. Bauer, Herm. d. a. u. n. T. Lpz. 1799. p. 121—126. Ei. Herm. V. T. Lpz. 1797. p. 410. L. de Wette in Ersch u. Gruber allg. Encyclopaedie, 1. Th. Lpz. 1818. s. v. Accommodatio p. 266. ss. — Suspicio haec cadere quoque videtur in G. Riegler, bibl. Herm. Augsb. 1835. p. 75. Cf. Der Katholik von Weis. 59. Bd. 16. Jgg. 1836. p. 192.

[244]) Huc inprimis referunt doctrinam: de peccato originali, de satisfactione, de Messia, de angelorum et daemonum existentia, de carnis resurrectione, de universali omnium hominum iudicio, de vaticiniis V. F. ad Messiam spectantibus, ect.; addunt quipiam divinitatem Messiae.

[245]) Signanter Semler, in illustrandis Wetstenii libellis ad crisin et intpret. N. F. pertinent. Hal. 1766. p. 141. s. 164. App. ad int. N. T. p. 182. s. cf. Storr l. c. (n. 231.) p. 30. 58.

vera Horum mens in similibus circumstantiis per historico-grammaticam interpretationem inveniri nequit, eo, quod per hanc potius erroneae opiniones Judaeorum illius aetatis evolverentur, et auctoribus religionis Christianae tribuerentur, adeoque superstitio propagaretur, atque hinc Libros N. F. non historico-grammatice, sed philosophice exponendos esse, statuunt. — Quo haec conamina tendant, facile est perspicere: admisso namque hoc asserto, sequitur, omnia ea inter temporum illorum praeiudicia numeranda esse, quae ad rationis ambitum non pertinere videntur [246]), adeoque religionem Christianam esse mere rationalem, nullasque in ea contineri veritates, captum intellectus humani (limitati) superantes [247]), sed has, quae tales

[246]) Congruunt hypothesi huic quaestiones F. Geiger, der lichtvolle Protestantismus, im Katholik, von Scheiblein, 8. B. 3. Jgg. 1823. p. 39. „Alles wegwerfen, ist dieses schon perfektioniren? — Gott gab uns eine Vorschrift, nach welcher wir uns perfektioniren sollen: besteht etwa das Licht darin, wenn wir das Ding umkehren, und die Vorschrift Gottes perfektioniren wollen?" p. 37. „Die Offenbarung ist eine Thatsache; ist es vernünftig, eine Thatsache nach eigener Vernunft gestalten zu wollen?" — „Accedit, rem hanc agi manifesta contradictione; parte enim ex una, ratio a revelatione expectat et cognitionem ignoratarum adhuc veritatum, et incertarum certitudinem et confirmationem, — hocque ipso ratio submittitur revelationi, ut discipula Magistrae; — parte vero ex alia, ratio eadem adversus revelationem erigit cervicem, fitque inexpectate docens et Magistra, prorsus indocilis, et obstinata adversus quasvis alias, ad rationis ambitum haud pertinentes, doctrinas, usurpato has ab illis discernendi, aliasque ceu veras recipiendi, et alias, ceu erroneas, reiiciendi iure, tametsi utraeque eodem prorsus Dei testimonio essent corfirmatae." (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 88.

[247]) Vere itaque advertit in Krit. Journal d. theol. Lit. von Ammon u. Bertholdt, 3. B. 1815. p. 406. censor op.

videntur, spectandas esse ut involucra rationalium veritatum, ut nucleum, in quo veritates purae rationis religiosae et morales, tamquam medulla, sint reconditae, exinde per interpretationem philosophicam eruendae [248]).

At vero Jesum et Apostolos sese coaevorum opinionibus nequaquam, prout praetenditur, accommo-

---

Dogmatik v. Bretschneider: „Die Hypothese der Accommodation ist in Wahrheit der Tod aller Theologie, alles Christenthums."— Et J. Fessler, Ansichten von Relig. u. Kirchenth. Berl. 1805. T. 3. p. 99. „Die Freyheit der Schriftbehandlung war nicht mehr zu begrenzen, nachdem Semler seinen Grundsatz von der Perfectibilität der göttlichen Offenbarung in ihrem Inhalte durch Menschen gelehret hatte. Das künstlich erzeugte Kind führte in seiner Entstehung den Namen: rein-biblische Theologie. — In seinem Jünglingsalter hieß es Exegese; und beschäftigte sich mit Muthwillen damit, aus der h. Urkunde mit der Fackel einer weltweisen Kritik ein Wunder nach dem andern, jetzt dieses Dogma, dann ein anderes, wegzubrennen. Gegenwärtig steht der Mann, als *rationalismus*, in seiner vollen Kraft da, frey kämpfend gegen Bibel, und Dogmen-System."— Id unum hic monuisse velim: cum videamus hypothesin eam praecipitem ivisse in eas errorum vias, ubi fidei pernicies parata est, aut certe imminet; quantopere expediat, nobis, alieno periculo cautis, ab illa cavere!

[248]) „Ancillam olim existimabant theologiae philosophiam, quae sola nunc regnat; atque utinam theologia solum naturalis, et non etiam revelata imperiosam hanc maiestatem pateretur; haec quippe solum div. oraculorum sententiis nititur; non autem sophistarum acumine ponderanda est." J. H. Otho, Lexic. rabbin. philol. Alton. 1757. praef. p. II. — Hinc iuste suspirat S. Horváth, Tudományos Gyűjtemény, 1836. IV. köt. p. 117. „Arra kellene minden felekezetnek köz erővel törekednie, hogy szűnnének meg az emberek az észt, melly temérdek sokat nem tud, 's nem tudhat, bálvánnyá tenni, söt istenesiteni."

dasse, gravissima evincunt argumenta [249]); quae prius quam in medium proferantur, iuvat distingvere varias accommodationis species [250]), ut clarius pateat, de qua agitetur quaestio: neque enim generatim et absolute negari recte potest, Jesum, eiusque legatos sese coaevis accommodasse. Discernenda quippe est accommodatio 1. moralis, 2. paedagogica, 3. aesthetica, 4. negative dogmatica, tandem 5. positive dogmatica. Jam

Accommodatio, in genere, est loquendi, vel agendi ratio, attemperata ad captum vel sententias alterius; in specie vero accommodatio

1. Moralis est positio actionis non praescriptae,

[249]) Contra accommodationis hypothesin praeter alios strenue pugnarunt: J. Rambach, diss. qua hyp. de SS. ad err. acc. exam. subii. In Ei. Exercit. herm. p. 301. ss. — J. Hecker, diss. de err. in LL. S. non prob. Gött. 1748. — Storr, l. c. (n. 231.) §. 9—21. Ei. Comm. in Ep. ad Hebr. P. II. §. 10. Ei. Doctr. Chr. Pars theor. ed. 2. 1807. p. 96. ss. 179. ss. et praef. p. VIII—XIII. — (C. Häuff) Bemerk. üb. d. Lehrart Jesu mit Rücks. auf jüd. Denk. ed. 2. Offenb. ad M. 1798. — Censor in krit. Journal. v. Ammon u. Bertholdt, 3. B. 1815. p. 405. ss. 12. B. 1821. p. 79—84. 357. s. — K. Stein, Apologetik des Christenthums, Lpz. 1824. p. 83. ss. — Th. Zeitschrift v. Frint, 1. Jgg. 2. B. 1813. p. 100—130. 2. Jgg. 2. B. p. 45. ss. 76. ss. 193. ss. — (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 83—100. — F. G. Süskind, im Magazin für Dogm. u. Moral. X. St. p. 96. ss. 191. ss. XIII. St. 1806. p. 68—97. — H. A. Schott, Theol. dogm. ed. 2. Lps. 1822. p. 60—63. Ei. Comm. in serm. Jes. de reditu ad iudic. Jen. 1820. p. 415. ss. — F. Ackermann, l. c. (n. 17.) p. 225. s. — A. Arigler, Herm. Vien. 1813. p. 208—223. — C. Unterkircher, Herm. ed. 2. Oenip. 1834. p. 129—133.

[250]) Has, exemplis illustrando, egregie recenset F. V. Reinhard, System der chr. Moral. 3. B. ed. 4. Wien 1813. p. 207—220.

vel omissio actionis, in se licitae, propter conscientiam alterius, quae secus offendi posset.

2. Paedagogica est docendi ratio, captui discentis ita conformata, ut docens, materias proponendas ita tractet, ut a debiliori discente intelligantur, vel ea penitus praetermittat, quae ad captum discipuli deduci nequeunt, vel si fors intelligantur, magis nocerent, quam prodessent [251]).

3. Aesthetica est applicatio et usus verborum alterius, de alia re sonantium, ad suum sensum vel scopum; dicitur vero aesthetica, quia unice ornatus gratia adhibetur, rectius applicationis nomine censenda.

4. Negative dogmatica est docendi ratio, qua edocendorum errores vel penitus praetermittuntur, vel nonnisi indirecte refutantur. Demum

5. Positive dogmatica est docendi ratio, qua quis erroneam opinionem aliorum, ut ut a propria mente alienam, qua suam tractat ita, ut eandem omnino probare videatur.

Jesum et Apostolos accommodatione morali, paedagogica, aesthetica, et negative dogmatica usos fuisse, certum est, harum enim manifesta in SS. Literis recurrunt exempla. Sic

1. Jesus abstinuit a conversatione cum gentilibus, ne animos Judaeorum, qui Messiam ad se solos mittendum arbitrabantur, a se averteret. Paulus votum Nazireatus vovit, ut Judaeo-Christianorum nonnullos

[251]) Hanc magistri virtutem ita describit Quinctil. Instit. orat. L. 2. C. 3. p. 76. Lps. 1829. „Praeceptorem, prudentem quoque, et non ignarum docendi, esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis: ut velocissimus quisque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat, nec procedat ultra, quam comes possit."

sibi conciliaret, qui, nimia veneratione erga legem Mosis ducti, Apostolum gentium eo amore, quem utique merebatur, haud fuerant prosecuti, quod Ethnico-Christianis iugum legis Mosaicae imponere nollet. Pariter Judaeorum salutis caussa circumcidit Timotheum, ne in antecessum a novo Apostoli comite abhorrerent. Denique quod scribit 1 Cor. VIII. 13. „Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem", id generatim profitetur 1 Cor. IX. 20—23. „Factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer. — Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos"; ubi testatur, quod inter Judaeos se subiecerit observantiae legis Mosaicae, et universe eorum, inter quos esset, externam vivendi rationem, si modo per se vitiosa non esset (v. 21.), fuerit secutus, ne alicui offensioni esset, quominus susciperet Evangelii doctrinam.

2. Jesus multa Judaeis in parabolis proposuit, quia clarius expositarum doctrinarum ferendarum non erant capaces; et Joan. XVI. 12. 13. Apostolis contestatur: „adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem". Sapienti hac docendi ratione Paulus quoque usus fuerat, ipso teste 1 Cor. III. 1. 2. „et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis" [252]).

---

[252]) Lac illud *divinae doctrinae* initia significat (cf. Hebr. V. 12.), non *falsas* Judaeorum sententias, quae prorsus non numerandae sunt in nutrimentis, ab educatore proponendis, sed in vitiis, quae, fors deprehensa, sensim depellere studet; verbo, Christianarum notionum *genera*, non

3. Accommodationis, rectius applicationis aestheticae in Bibliis plura recurrunt vestigia. Denique

4. Notum erat Christo, se a pluribus haberi pro Elia, vel Jeremia, vel Joanne Bapt. aut aliquo e veteribus Prophetis, et tamen nullibi apertum prostat indicium, hunc errorem ab Eo directe fuisse refutatum; satis habebat, docuisse, se esse Messiam, unde necessario vanitas omnium harum opinionum consequebatur. Pariter ipsas de temporali Messia ideas, dum coram multitudine doceret, vix unquam aperte refellebat. Verum

§. 54.

Accommodatio positive dogmatica in Libris N. F. non obtinet.

Gravissima est quaestio, an etiam positive dogmaticae accommodationi in N. F. locus sit? an Jesus et Apostoli erroneas coaevorum, aut imperfectas, suaeque puriori doctrinae oppositas opiniones religiosas ita tractaverint, ut ipsi quoque, quin eas ceu veras agnoscerent, et qua tales in perpetuum haberi vellent, easdem fovisse videri possint, imo debeant, obvia verborum litera spectata; ut adeo vera ipsorum mens in similibus non per grammatico-historicam, sed per philosophicam interpretationem eruenda esset? Tuto respondere licet, praetensam hanc accommodationem in Jesu et Apostolis nullatenus admitti posse: nam

1. Illa repugnat scopo et characteri doctorum veritatis et religionis, quales et Jesus et Apostoli non tantum videri volebant, sed reipsa etiam erant; et quidem, quod singulare est, munere hoc fungebantur non

iudaicas notiones a *Christianis*, in sua institutione Paulus distingvit. Dedit igitur parvulis parva, non falsa, ut ait S.

qua particularium sectarum auctores, verum qua universi generis humani doctores perpetui, volentes homines a tenebris ad lucem veritatis, religionisque verae perducere. Omnis autem doctoris aliorum officium est, ita loqui, ut intelligatur, item errores dedocere, adeoque opiniones, in auditoribus deprehensas, et melioribus magistri doctrinis oppositas, directe, vel saltem indirecte, puriores ideas proponendo, reiicere, ac refellere: quanto magis itaque hoc incumbet viris, qui omnium hominum in omne aevum volunt esse magistri, praesertim si hoc munus sua ipsi sponte implebant. Atque ab Auctoribus religionis Christianae id revera eo certius exspectare licet, cum pro hoc munere nulla unquam commoda temporalia, aut honores, sed aerumnas, ipsamque mortem acerbissimam praemii loco reportaverint; etenim, qui tanta tolerare parati erant, haud exhorruissent utique errores, scopo suo adversos, intrepide exstirpare, purioremque doctrinam absque involucris candide proponere, quamvis forte coaevi alias foverent opiniones. Profecto viros tales nemo aequus illum docendi modum praesetulisse dixerit, qui quovis homine honesto, inprimis vero zelosis veritatis magistris indignus est; alioquin vel hoc ipsum studium veritatis sanctissimum, quod saepe saepius impensissime commendarunt, atque erroribus vitiisque hominum animo strenuo impugnandis, ubique prodiderunt, non admittit, ut hac ratione nonnullos seculi errores, ad doctrinam religionis pertinentes probasse censeantur. Quibus serio perpensis nemo dubitabit, doctrinam, ab Ipsis propositam, ex animi sententia profectam esse. Sed magis

---

Augustin. L. 2. contra adversarium legis et prophetar. C. 2. Opp. t. 6. p. 620. ed. Basil. 1543. — Sapientiam hanc commendare videtur Jesus Matth. IX. 16. 17.

2. Illa repugnat muneri *divinorum* doctorum et legatorum, quos in praesens, imo in sempiternum in Jesu et Apostolis suspicere ac venerari oportet. Etenim tam Jesus quam Apostoli fuerunt divinitus missi et infallibiles humani generis magistri; religio pariter, quam docebant, divinae est originis et auctoritatis: a divinis vero doctoribus omnimodam veritatem, errorumque, doctrinae sanae oppositorum, sinceram, seriamque castigationem iure praetendimus et exspectamus [253]). Hi enim pro divina, qua gaudent, auctoritate (ceteroquin miraculis, prophetiisve indubitatis comprobanda), errores indicare et convellere facile possunt, — pro officio autem, veritatem docendi, etiam debent; neque seu humano respectu, seu difficultatum obmovendarum metu, seu persecutionum timore, seu denique angore, ne fors, si erroribus aperte contradixerint, doctrinae suae ulteriori aditum parare nequeant, — deterreri seu debent, seu possunt, quominus receptis erroneis opinionibus obviam eant: non enim propriam agunt caussam, sed Dei exsequuntur mandatum, de cuius singulari auxilio semper confidere possunt: omnia sibi, vel doctrinae divinae fors obiicienda impedimenta demum remotum, veritatique cuivis ingressum paratum iri. Nulla itaque sufficiens huius accommodationis caussa fingi potest; sic e. g. [254]) vana

[253]) Legi omnino merentur, quae in hanc rem scribit Herder l. c. (n. 226.) p. 186. 7.

[254]) Quidam praetendunt, Christo et Apostolis defuisse tempus, ad praeiudicia removenda, ideoque consultius fuisse visum, exspectare occasionem, qua scopus Illorum et facilius et certius obtinendus esset, adeoque menti Illorum minime obstare, si diebus nostris, quibus cultura ad altiorem perfectionis gradum provecta est, religio ad puram rationalis-

est exceptio, quod N. F. Auctores, necessitate compulsi, sese erroneis coaevorum opinionibus accommodaverint, secus reliquae doctrinae suscipiendae insuperabiles obices posituri, prudentia ergo naturalis hanc Iis svaserit agendi oeconomiam, quae proin, divino Eorum characteri repugnare, dici nequeat. Nam etiamsi id daretur, quaeri tamen posset: cur adminus subtiliorem aliquem nutum seu Jesus Apostolis, seu hi familiaribus suis discipulis, iisque prudentioribus et docilioribus non dederint, unde colligere potuissent, eiusmodi sententias, erroneas esse, et nonnisi ob coaevorum debilitatem toleratas, harumque loco alias, rectiores esse adoptandas; iam autem huiusmodi nutus, atque privatae institutionis documenta non tantum nulla proferri possunt, sed potius et Jesus, separatim cum Apostolis agens, et Paulus, ισοψυχῳ Timotheo suo, ipsisque vehementioribus iudaismi adversariis scribens, non secus docuisse deprehenditur, atque alias [255]; manifesto indicio, Eos veritates, nunc exosas, ex animi sententia proposuisse; alioquin, si, velut praetenditur, Jesus veritates illas unice, semet praeiudiciis suorum accommodaturus, proposu-

mi simplicitatem reducatur. — Ast vero, qui se Christi disciplinae commiserant, vel agnoverunt Eius auctoritatem legislativam, vel non; si primum: opus non fuit, commodius ad praeiudicia evellenda tempus praestolari, quia in Jesum sincere credentes, omnem eius institutionem venerabundi amplexi fuissent; — si alterum: Christus inutiliter se illorum opinionibus accommodasset, utpote sic nec auctoritatem sibi conciliando ullam, nec illis quidquam veritatis et luminis communicando.

[255]) Cf. G. C. Storr, doctr. christ. Pars theor. ed. 2. 1807. p. 70. — J. A. L. Wegscheider, inst. theol. dogm. ed. 5. Halae, 1826. p. 97.

isset, atque id solum habuisset consilii, ut homines pure tantum naturalis religionis principia edoceret, — hunc suum scopum assecutus necdum esset, quia orbis Christianus octodecim iam seculis, et ultra firmiter tenet, tenebitque illa dogmata, quae quidam per accommodationis ignobilem artem in religionem Christi irrepsisse statuunt [256]); adeoque, qui sapientis oeconomiae caussa se accommodasse praetenditur, minime egisset sapienter [257]). Imo

Concessa etiam hac accommodatione in Doctoribus novae religionis, cum innegabile sit, Illos ita docere, ut plerasque populi opiniones, e. g. de Messia,

---

256) Cf. Storr, l. c. (n. 231.) p. 72. n. 180.)

257) Nam „es muß auch die ganze Herablassung zu den falschen Meynungen Andrer nie die Absicht haben, diese Meynungen auf immer zu unterhalten, und das Wachsthum der Aufklärung dadurch zu verhindern." Reinhard l. c. (n. 250.) p. 213. s. — „An non relucet insipientia? Si necdum, considera: errores illos praedicationis initio *locales* tantum, sicuti narratur, fuisse, — dein vero praedicationis ad universum mundum extensione, *locales* illas, ac *temporales* doctrinas, effectas esse universales, atque per id praeparatas *aeternitati*, — humanumque genus, sub specioso liberationis a localium, et temporalium errorum servitute obtentu, in novam errorum servitutem tractum esse, tanto tristiorem, quo reddita desperatior liberatio, quippe erroribus *localibus*, in *universales* populorum, — et *temporalibus* in errores *aeternos*, commutatis hoc ipso, quod magna signorum demonstratione effectum sit, ut universus orbis eos errores, ceu totidem aeternas salutis conditiones esse persvaderetur, atque ceu tales reciperet etiam. — Reponunt: *interim* duntaxat relictos esse, abolendos postea, tempore feliciori. Ast — octodecim seculorum intervallum si quis vocare velit — *interim*, — idem *longam* quoque *brevitatem* credat oportet." (Krammer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 98. 99.—87.—97.— cf. quoque Storr l. c. (n. 231.) p. 72—74.

eiusque dignitate, de angelis et daemonibus ect. et aperte et graviter confirmare videantur, quin vel levissimo monerent indicio, his verborum involucris rationales tantum veritates esse substituendas, imo cum praeter has, novas quoque doctrinas, prius incognitas, et incomprehensibiles doceant, cumque pro omnibus his eadem divina auctoritas interposita sit: si omnia haec, ut supponitur erronea sunt, necessario consequitur, divina horum Doctorum auctoritate tales errores ita munitos esse, ut nullatenus pro erroribus declarari queant [258]); aut si eo non obstante errores haberentur: genus humanum divina auctoritate in his ita esset corroboratum, ut ab iisdem non prius se posset liberare, quam divina Jesu et Apostolorum auctoritate dimissa et pernegata, uti hoc itidem octodecim seculorum docet experientia. Illi enim, qui divinam N. F. Auctorum missionem usque in praesens crediderunt, una etiam eas doctrinas, quas nunc quidam erroneas vulgi opiniones fuisse dicunt, ceu divinas veritates semper suspexerunt; ex adverso philosophici interpretes, has veritates, pro erroribus declarantes, Auctorum quoque illorum divinam legationem negant [259]); itaque vel ad-

---

[258]) „Profecto, si firmata signis praedicatione, quae praedicabant, firmabant, sequitur manifeste, cum praedicaverint utrasque (nempe veritates et acceptas recentioribus et exosas), aut utrumque doctrinarum genus recipiendum esse, aut neutrum, — tamque rationabiliter negari ceterarum quoque veritatem posse, quam foret irrationabile, ob unum, idemque Dei, utriusque veritatem adfirmantis, testimonium, habere aliud pro vero, aliud pro errore." (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 86. 93.

[259]) „Si philosophiae munus esse videtur, praecepta Christi et Apostolorum vera ab admistis aequalium vanis opinionibus diiudicare et distingvere; legatorum divinorum au-

mittenda est Jesu et Apostolorum divina in docendo auctoritas, et hoc ipso reiicienda accommodatio positive dogmatica, huiusque sequela, interpretatio philosophica; vel si haec postrema adoptatur: divina N. F. Doctorum auctoritas est dimittenda; ast vero haec gravioribus nititur argumentis, quam ut propter hypothesim, nullis solidis innixam, gravissimis vero rationibus adversam, deserenda sit.

3. Suppetunt, quibus hypothesis haec re ipsa revincitur. Si enim quae opiniones eradicatu adeo periculosae visae fuissent, ut ob eas accommodatio inevitabilis evaderet: inter has profecto inprimis numerandae fuissent, quae de Messia ceu terreno, potente principe, et de perpetuo legis Mosaicae valore obtine-

---

ctoritas hoc ipso — tollitur, quando ne tum quidem, cum probantur eorum pronunciata, idcirco approbantur, quod auctoritas iis et fides adiungatur, sed quod philosophia nescio quae decreverit, hoc quidem loco vere illos pronunciasse. Et, quod maximum est, in hac caussa ne habet quidem philosophia iustam auctoritatem. Criticus certe philosophus, qui dubitat extra fines, humanae imbecillitati constitutos, egredi, de iis nominatim doctrinis, in quibus quaeritur, — nullum sibi iudicium arrogat; — quae autem philosophia vera nec limitum suorum nescia improbare non potest, quia certum nescit, et opinari non vult, ea etiam approbare tum licebit, quum confirmantur ab iis, quos — extra cancellos, quibus humana imbecillitas circumscripta est, — *re vera* egressos fuisse constat. Plurimum sane interest, utrum — dicta philosophi dogmatici hac solum de caussa amplexemur, quia *αυτος εφα*; an vero Christi — dicta assensu propterea comprobemus, quia idem praeivit, qui *αυτος εφα*, et mortui revixerunt, ect. — Si Deus est, isque verus est, si ab hoc verace Deo doctrinae Jesu origo divina miraculis confirmata est: dicta Jesu per se ipsa auctoritatem atque fidem habent." Storr l. c. (n. 255.) p. XI. s.

bant; hae enim altissime Judaeorum animis insederant, ut eas erroris arguere non liceret, nisi una animi illorum a religione nova absterrerentur, uti reipsa multorum absterriti sunt, dum eas Auctores N. F. impugnarent. Et ecce, eo non obstante utrumque hunc errorem tam Christus, etsi tantisper lenius, quam Apostoli, et hi quidem apertissime reiecerunt. Quodsi vero opiniones has, eradicatu maxime periculosas, tam animose convellebant, idem certe facturi erant quoad alias quoque, si eas pariter inter praeiudicia censendas existimassent. Ceteras enim, ut praetenditur, erroneas opiniones, nec subruere, adeo erat periculosum, neque difficile adeo, cum melioribus commutare; quin imo si simpliciter praetermissae fuissent, ceterae doctrinae Christi facilius recipiendae amplior via paranda erat. — Ita, si Apostoli corporum resurrectionem negassent, — si angelos et daemones mera divinae providentiae et iustitiae symbola esse declarassent, haud grave doctrinae novae recipiendae impedimentum posituri erant; [260]); cum constet, a Sadducaeis quoque non modo corporum resurrectionem, sed et spirituum et angelorum existentiam, ipsam adeo animae humanae immortalitatem fuisse negatam, quin propterea a Pharisaeis communione excluderentur; — aut si, adventum Jesu ad iudicium extremum universale nil aliud significare, asseruissent, quam futurum esse aliquando tempus, quo omnes pro merito praemiandi, aut demerito puniendi essent, abs dubio plures religioni Christianae conciliaturi erant; — id ipsum valet de divina Jesu dignitate, quae Judaeorum animos maxime a Jesu alienavit, et ab Apostolorum

---

[260]) Cf. Storr l. c. (n. 255.) p. 168. 179. s. 207. s.

quoque doctrina admittenda haud paucos removerit; ubi si solum docuissent: Jesum divinum esse legatum, etsi forte sublimioris, non tamen divinae naturae, doctrinam suam facilius plerisque persvasuri erant; satis namque constat, Christi divinam legationem rarissime in dubium fuisse vocatam, cum ex adverso sermones de divina Eius dignitate gravissimos tumultus, quotiescunque haberentur, excitaverint. — Neque etiam Apostoli, si e nuda solum oeconomia similia tradidissent, pari ratione tam coram Judaeis, quam gentilibus, qui similes opiniones neque fovebant, neque fovere poterant, docturi erant, atque ubique indiscriminatim easdem doctrinas eadem auctoritate inculcaturi. Etenim intuitu gentilium asserendum esset, Apostolos illis iudaicos errores studiose instillasse; quod sane dignitati, unaque officio eorundem, veritatem sincere docendi, quam gravissime repugnabat [261]).

4. Si Auctores N. F. unice offensionis vitandae caussa sententiarum illarum mentionem favorabilem iniecissent: saltem, non provocati, commemorationem earum declinaturi erant, minime vero sua sponte, citra omnem provocationem de iisdem sermonem habituri, eas uberius exornaturi, et ceu fundamentales novae religionis veritates commendaturi; id enim sapienti offensionis cavendae studio prorsus adversatur. Atqui Jesus et Apostoli doctrinas illas etiam tum, cum commemoratio earum non fecit ad declinandam, sed ad cumulandam offensionem, — cum auditores nullam seu necessitatem seu ansam mentionis iniiciendae attulerunt, — data opera, coram multitudine pariter, ac seorsim, gravissime inculcarunt; manifesto indicio,

---

[261]) Cf. Storr l. c. (n. 231.) p. 36. s.

quod tam aperte ac determinate docendo propria sensa ex intima convictione proposuerint [262]). Denique

5. Repugnat accommodatio haec indubitatis N. F. effatis, quae, Jesu et Apostolorum mentem ab eiusmodi accommodatione omnino alienam fuisse, demonstrant. Et quidem

a.) Jesus Matth. XV. 12. 13. clare asseruit, „omnem plantam esse eradicandam, quam Pater non plantavit," et quidem ea occasione, dum discipuli Eum monuissent, ob sermonem Illius, paullo ante habitum, Pharisaeos graviter fuisse offensos, siquidem traditiones eorum, pro divinis habitas, palam reiecerit. Haec sane Christi declaratio evidenter docet, Ipsum offensas non horruisse, ut earum evitandarum caussa accommodationi illi faveret. — Pariter sermonibus suis, de altiori sua dignitate, Joan. V. et X. adeo plebem concitavit, ut non solum blasphemus declararetur, sed plane periculum lapidationis iterato incurreret. — Denique coram summo gentis iudaicae tribunali Matth. XXVI. 63. 64. iureiurando affirmavit, „se verum esse Messiam filium Dei, venturumque, sedentem a dextris virtutis Dei," propter quam professionem solennem ad crucem condemnatus fuit, probe sciens praevie, hunc confessionis suae tristem exitum futurum. — An itaque prudenter credibile est, Jesum se coaevorum erroneis opinionibus ideo accommodasse, ut offensas vitaret, sicque doctrinae suae aditum certius pararet: qui tam libere et constanter errores quoscunque reiecerat, unaque veritates iterato pro-

262) Cf. Unterkircher l. c. (n. 189.) p. 130. — Storr ll. cc. (n. 231.) p. 62. (n. 60.) p. 180.

posuerat, quibus Judaeorum animos sibi adeo non conciliavit, ut potius maxime alienaverit [263]).

b.) Etiam quoad Apostolos Jesu manifesta adsunt documenta, quae contrarium evincunt. — Ita Paulus, qui Act. XIX. 19. Ephesios de charissimarum ipsis magicarum artium studio deiicere ausus fuerat, Act. XX. 20. ait, se nihil subtraxisse utilium, quominus ea doceret, atque seu palam, seu privatim annunciaret.— 1 Tim. VI. 20. — 2 Tim I. 14. III. 14. — Tit. II. 15. III. 8. Timotheum et Titum, ut depositum fidei, seu creditam sibi Jesu doctrinam, integram, et ab omni haereseos labe puram custodirent, hortatur, persvasum habens, omnia quae praedicasset, defaecata ab omni errore, puramque veritatem esse, quam stare immotam oporteat *semper*. — Gal. I. 8. anathema dicit omnibus, qui aliter, quam ipse, evangelizarent, etiamsi angelus de coelo esset, — v. 10. negat, legatum Christi esse, qui in tradendo Evangelio hominum auribus serviret, adeoque perspicue innuit, quam prorsus se indignam iudicaverit omnem doctrinae ad placendum accommodationem, quae de veritate, et eius, cuius legatus esset, mandato vel tantillum deflecteret, — II. 14. Petro, principi Apostolorum in faciem restitit studio puritatis doctrinae Christi illibate conservandae; sicque itidem docuit, quod ne momentaneum quidem erroris favorem, etsi duntaxat ad con-

[263]) Consilium, discipulos per erroris favorem lucrifaciendi, profecto longe abfuerat a purae veritatis Magistro, qui Joan. VI. potius permisit, ut discipuli, in doctrina de carne sua manducanda offendentes, discederent, quam ut assertum suum retractaret. cf. quoque Unterkircher l. c. (n. 189.) p. 132. — (Kramer) l. c. (n. 145.) Fr. V. p. 90. — Storr l. c. (n. 255.) p. 180. — J. M. Engstler, Instit. S. Script. Vien. 1775. p. 481. s.

versationem pertineret, tolerandum duxerit: — Generatim vero Apostolus hic doctrinas, quae a recentioribus inter iudaica praeiudicia reiiciuntur, tanto cum zelo proponit, ut evidens sit, eas ab illo verissimas haberi; neque illas discernit ab aliis, quae ab adversariis puriores religionis pure rationalis veritates habentur. Exemplo sit 1 Cor. XV. ubi futuram corporum resurrectionem e vera Christi resurrectione deducit, omnes adversariorum difficultates solvit, ipsamque quodammodo resurrectionis qualitatem determinat, et hoc quidem in conventu Corinthio contra illos, qui veram corporum resurrectionem negarunt. Quis iam sibi persvadeat, Apostolum se coaevorum erroribus quoad resurrectionem mortuorum accommodasse? cum ipse potius hanc eandem contra aliter sentientes serio ac fuse demonstret, et ne verbo quidem moneat, se sub resurrectionis symbolo solum animae immortalitatem, non autem veram carnis resurrectionem intelligi velle [264]).

Paria studia doctrinae integritatem in primigenia forma contra adversarios propugnandi obvia sunt etiam in ceteris Apostolis, uti in Joanne, qui iuxta declarationem suam XX. 31. Evangelium eo consilio scripsit, ut ostenderet, Jesum esse Messiam, ac filium Dei; — eodem fine plurimos sermones Christi, ad persvasionem de altiori Eius dignitate stabiliendam pertinentes, collegit, unaque diligentissime omni sinistrae verborum Jesu interpretationi pluribus in locis obviam ire conatur. Signanter autem in epistola prima totus in eo est, ut Christianos in doctrina, ab Aposto-

[264]) Cf. (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 90—92. — Storr l. c. (n. 231.) p. 74. s. n. 181., — et l. (n. 255.) c. p. 180.

lis accepta, constanter tenenda confirmaret, eosque contra quodvis seductionis periculum tutos praestaret.

Idem faciunt quoque Petrus, Jacobus, et Judas; atque omnium horum Apostolorum scripta inter se consentiunt, tam intuitu puriorum rationalium doctrinarum, quam et ceterarum minus rectarum, ut quidam statuunt, quae nonnisi involucra sint veritatum rationalium.

Si iam, omnibus perpensis, in talibus circumstantiis, adhuc iuste suspicari licet: an Scriptores N. F. ita sensisse, ac credidisse, atque universim serio docuisse censendi sint, uti aperta eorum sonant verba: nullus in orbe scriptor erit, de cuius cogitatis ac doctrinis, quamtumvis perspicue propositis ambigere non liceat, an non fors aliter, ac locutus fuerat, intelligendus sit. De N. F. Auctoribus vero eo minus dubitare licet, cum Ji, qua divini doctores, gravissime fuerint obligati ad veritates ita proponendas, ut nullum de sensu earum superesset dubium; cum ex adverso, admissa positive dogmatica accommodatione nullum adsit medium, mentem Eorum e verbis quantumvis claris exsculpendi; quin potius dictis Eorum talia subtrudentur, quae humanum, inconstans arbitrium substernenda iudicabit. — Itaque accommodatio positive dogmatica in N. F. prorsus non obtinet, ac proinde hoc non philosophice, sed historico-grammatice, i. e. ita est exponendum, ut ex adiumentis philologicis, logicis et historicis ostendi queat, sensum, quem e verbis eruimus, iisdem etiam a SS. Auctoribus substratum fuisse.

PARS III.

HERMENEUTICA CATHOLICA.

§. 55.

Indoles et leges Hermeneuticae Catholicae.

Quae regulae prae oculis habendae sint in interpretatione SS. Librorum, dum hi vel ceu humani, vel qua divini considerantur, in Hermeneutica Rationali et Christiana expositum est: in praesenti, quae proponenda sequitur, Hermeneuticae Biblicae Generalis parte Libri SS. spectantur ceu Ecclesiastici, seu tales, e quibus Ecclesia Christiano-Catholica inprimis dogmata sua depromit ac confirmat, qui proin sub infallibili eiusdem Ecclesiae magisterio constituuntur, — quapropter hic interpreti Catholico speciales praescribuntur leges in expositione eorundem SS. Librorum observandae [265]). Etenim Catholicus interpres praeter

[265]) De legibus interpretationis Catholicae scripserunt:— Kistemaker, l. c. (n. 37.) Jos. Pletz, Ueber Joh. XX. 21—23. — Pflicht des kathol. Interpreten bey der Behandlung dieses und anderer (von der Kirche dogmatisch) definirter Texte. in Frint's theol. Zeitschrift. 9. Jahrg. Wien 1821. p. 246. ss. Et: die Aussprüche des christlichen Alterthums über die richtige Erklärung der heil. Schrift. in Frint's theol. Zeitschrift 12. und 13. Jahrg. Wien

divinam SS. Librorum auctoritatem, quam et protestantium illi, qui necdum ad naturalismum prolapsi sunt, agnoscunt, alia insuper quoad eandem S. Scripturam, ipsamque Ecclesiam, cuius membrum est, veneratur dogmata, quae protestantes non recipiunt, quibusque Systema Catholicum a protestantismo essentialiter distingvitur [266]). Nempe quoad praerogativas et iura Ecclesiae: Catholicus in rebus, revelationem attinentibus, adeoque etiam in interpretatione SS. Literarum supremam et infallibilem suspicit Ecclesiae auctoritatem, eique prono animo obsequitur [267]); ex adverso

u. Triest 1824. u. 1825. — G. Fejér, Tabulas V. et N. Foederis rite interpretandi Lex suprema. Pest. 1815. — F. Geiger, die protestantische und katholische Bibelauslegung. Altdorf 1830. — Dr. Gratz, Apologet des Katholicismus. 1. Hft.: über die Grenzen der Freyheit, die einem Katholiken in Erklärung der heil. Schrift zusteht. Mainz 1820. — C. L. Gratz, l. c. (n. 6.) — J. Gläser, Verhältniß der Kirche zur h. Schrift u. deren Interpretation. Passau 1833. — W. Kozelka, l. c. (n. 4.) item: Ueber die Anwendung der bibl. herm. Regel: „Beachte die Analogia fidei. in d. neu. theol. Zeitschrift v. Pletz, 6. Jahrg. Wien 1833. — J. A. Möhler, Symbolik oder Darstellung der dogm. Gegensätze der Kath. u. Prot. Mainz 1834. ed. 3. p. 331—450. — J. Alzog, l. c. (n. 199.) — Wittmann, kath. Principien von der h. Schrift; übersetzt von Handwercher. Landshut 1834. — F. Vogl, l. c. (n. 76.)

[266]) Discrimen doctrinae Cathol. Protest. ect. exposuerunt: Ph. Marheinecke, Institutiones symbolicae, doctrinar. Cath. Protest. Socin. Graec. summam et discrimina exhibentes. Berolini 1812. — Der katholische Lehrbegriff im Verhältniß zum Protestantismus. (Auctor. anon.) Luzern 1818. — G. B. Winer, Compar. Darstellung des Lehrbegriffs der verschiedenen christl. Kirchenpartheien. edit. 2. Lips. 1837. — J. A. Möhler, Symbolik ect. v. not. 265. — C. A. Hase, Confessio fidei Ecclesiae Evangelicae nostri temporis rationibus accommodata. Lps. 1836.

[267]) Concil. Trid. Sess. 4. Decr. de usu SS. LL. „Ad coercenda petulantia ingenia" ect. cf. infr. §. 56.

protestans, reiecta Ecclesiae auctoritate [268]), quidlibet in rebus religionis audendi [269]) et dubitandi libertatem [270]) propugnat. — SS. Literas si spectes: hae

[268]) Luther opp. lat. tom. 2. Jenae 1557. p. 155. „*In his, quae sunt fidei, quemlibet Christianum sibi Papam et Ecclesiam esse*," docet.

[269]) Luther de instit. ministr. eccles. opp. lat. tom. 2. p. 584. „His locis — totius Scripturae — docemur, ut nostrae propriae quisquis pro se salutis rationem habens, certus sit, quid credat et sequatur, ac iudex liberrimus sit omnium."

[270]) Libertatem hanc recentiores quoque protestantes gloriabundi extollunt et defendunt: sic Wiedenfeld, l. c. (n. 199.) p. 68. resultatum disquisitionis suae his verbis proponit: „Quae omnia efficiunt, ut nulli Patrum, nulli Episcoporum, sive singuli, sive sint in Concilio congregati, expositionem Scripturae infallibilem tribuere nos liceat, deceatque." — Ita quoque Hase l. c. (n. 266.) p. 7. e.) „Huic loco sufficit, Scripturae S. interpretationem e quacumque externa auctoritate exemtam literarum libertati et scientiae vindicare." — J. A. L. Wegscheider l. c. (n. 255.) p. XIII. „Praecipuum Libertatis evangelicorum momentum est curare, ne ius suum Scripturam S. interpretandi *aliis* quam sanae rationis et verae eruditionis terminis circumscribatur." — Si perpendam, qua ratione principia haec in praxin deducantur, non possunt non probari, quae scripsit J. Pletz l. c. (n. 265.) 12. Jahrg. 2. B. p. 71. „Wir thun nicht Unrecht, wenn wir den Geist der neuern protestantischen Exegese bey aller Höhe der Gelehrsamkeit einen Geist des exegetischen Libertinismus (p. 69. audacia quidlibet audendi) nennen." — Funestas horum sequelas prospiciens J. F. W. Jerusalem, ipse protestans, fortgesetzte Betrachtungen p. 463. illimitatam illam libertatem esse dicit: „eine höchst unverantwortliche Frechheit, die ersten Grundsätze der Religion, und alles dessen, was der Menschheit nur heilig seyn kann, mit dem frevelhaftesten Muthwillen, durch Verdrehungen und Verstellungen in öffentlichen Schriften, die allen Kindern und allen Klassen von Menschen in die Hände kommen, verdächtig zu machen, und die Menschheit dadurch gleichsam so zu vergiften, daß alles Gefühl von Ehrerbietung gegen Gott und die Tugend dadurch getödtet wird, wie sich dieses leider täglich in immer schröcklicheren Folgen äußert."

Catholico praecipuus quidem, non tamen unicus sunt revelationis fons [271]), isque in quibusdam (2 Petr. III. 16.) obscurus; ex adverso protestans S. Scripturam unicum, plenarium [272]), et satis perspicuum [273]) cre-

[271]) Concil. Trid. Sess. IV. Decret. de Canon. Scriptur. „SS. Synodus — perspiciens, hanc (omnem salutarem) veritatem, et (morum) disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, — — omnes libros tam V. quam N. T. — nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, — pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, et veneratur. — — Si quis autem — traditiones praedictas — contemserit, anathema sit." cf. Catech. Rom. Qu. 12. — Bellarminus de Controversiis Christ. fidei adversus haereticos. edit. Paris 1608. tom. I. De verbo Dei non scripto. lib. IV. c. 2. — Vincent. Lirinens. Commonitor. advers. haer. (a. 434. conscripti) Poson 1764. C. 2. — Melchior Canus Locor. theologic. Bassani 1746. Lib. III. C. 3.

[272]) Confess. August. Art. 15. — Apolog. Art. 8. — Epitom. comp. §. 1. p. 543. „Credimus, confitemur, et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata, omnesque doctores iudicare oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica tum V. tum N. T. scripta." cf. Solid. declar. forma diiudic. controv. §. 2. p. 605. — Artt. Smalcc. P. II. Art. 2. p. 308. „Ex Patrum verbis non sunt exstruendi articuli fidei: regulam habemus, ut verbum Dei condat articulos fidei, et praeterea nemo, ne Angelus quidem," — cf. Formul. Corcordiae p. 570. v. 1. Confess. Helvet. II. C. 1. — J. C. Doederlein Instit. Theol. Christian. in Capp. Rel. theoret. P. prior. edit. 4. Norimberg 1787. p. 155. — Wegscheider l. c. (n. 255.) §. 45. p. 167. — Juvat adscribere, quae de his censuit vir protestans np. Cl. Mosheim, Streittheologie der Christen. I. Th. p. 321. „Wenn wir aufrichtig seyn wollen, so müssen wir gestehen, daß unsere Beweise von der Vollständigkeit der heil. Schrift den Katholiken kein Genüge thun."

[273]) Luther, de servo arbitrio. Opp. tom. III. fol. 182. „Id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atque firmissimum, Scripturas S. esse lucem Spiritualem, ipso sole

dendorum principium, seu, ut expressione symbolica utar, *solam normam* et *unicum iudicem* in rebus fidei esse defendit. — Si demum de complexu doctrinae revelatae quaeratur: interpretem Catholicum manuducit Analogia doctrinae ex universa revelatione, tum scripta tum tradita, auctoritate divina, deducta, quae proin una et irreformabilis est aeternum, neque SS. Literis adversari potest; ex adverso protestans unice noscit Analogiam fidei e solis SS. Libris haustam, et quidem humana tantum auctoritate, quae proin variabilis est et multiplex, atque cum vero Scripturae S. sensu pugnare potest. Igitur

Propter tam diversa, imo opposita Systematis Catholici et protestantismi principia omnino consequens est, ut interpres Catholicus praeter regulas, quibus etiam protestans interpres obligatur, alias etiam, principiis Ecclesiae suae accommodatas, imo e princi-

longe clariorem." Idem praefat. Artt. a Leone X. damnat. „De tota Scriptura dico: nullam eius partem volo obscuram dici." Idem Tischreden edit. Eisleb. fol. 528. „Die h. Schrift sey klar, und wohl zu verstehen." — „Auf der Erde sey kein klareres Buch geschrieben als die h. Schrift;" — „es sey Schmach und Laster, so man sagt, daß die h. Schrift finster sey, und nicht klar, daß sie jedermann mög verstehen, seinen Glauben zu lernen." Licet sibi non constet, dum Tischreden edit. Eisleb. foll. 3. 4. 318. scribit: „Man kann nicht ein einziges Wort in der h. Schrift genugsam ausgründen; da wir viel darin kennen und verstehen; so kennen wir kaum das A. B. C." — Sic Doederlein quoque l. c. (n. 272.) p. 156. scribit: „Minime negamus, interpretationem utriusque Testamenti multis ac gravibus premi difficultatibus, ac plurima δυσνοητα et obscura reperiri;" quamquam mox p. 157. subiiciat: „Contra hos (Catholicos) satis est adstruere, in fidei morumque ratione cognoscenda sensum verum et legitimum vel offerre sese sponte lectori cuique, vel facili opera indagari atque erui."

piis illis necessario profluentes, in interpretando prae oculis habeat. Leges autem has, sequentes statuere licet:

I. „Interpres Catholicus sensum alicuius effati SS. Literarum, ad res fidei morumve pertinentis, ab Ecclesia ex instituto declaratum amplecti tenetur." Pariter

II. „Interpres Catholicus expositionem S. Scripturae in rebus fidei aut morum, quam a SS. Patribus, moraliter consentientibus, certa sententia, enunciari novit, ceu veri sensus normam habere tenetur."

III. „In illis autem effatis SS., pariter dogmaticis, exponendis, de quorum sensu nec Ecclesia decisivam tulit sententiam, nec consentiens SS. Patrum interpres deprehendit testimonium, — semper paratus esse tenetur, interpretationem ecclesiasticam, quando et quotiescunque Ecclesia Scripturam S. exposuerit, prono animo amplecti, quamprimum ei haec congregatae, aut etiam dispersae, seu hodiernae, seu antiquae Ecclesiae mens innotuerit." Ceterum

IV. „Interpres Catholicus Analogiae doctrinae Catholicae non tantum negativum, sed et positivum influxum in S. Scripturae interpretationem concedere tenetur."

Nunc fundamentum harum legum venit exponendum, simulque necessaria iisdem lux affundenda [274]).

---

[274]) Hinc demum intelligere licebit, quo iure F. Lücke, neutestamentliche Hermeneutik. Götting. 1817. pag. 215. scripserit: „In keinem der (in der katholischen Kirche) erschienenen hermeneutischen Werke zeigt sich ein eigenthümliches Leben der Kunst und Wissenschaft der Auslegung; in allen nur ein allmähliges Losreißen von den überstrengen Banden der kirchlichen Auctorität und zum Theile schüchterne Nachahmung protestantischer Werke."

CAPUT I.
LEX PRIMA.

§. 56.
Fundamentum legis primae.

Fundamentum legis primae innititur iuri, quo Ecclesia gaudet, SS. Literas interpretandi auctoritate divina; cui iuri e parte singulorum eiusdem Ecclesiae membrorum correlata est obligatio [275]) eandem interpretationem amplectendi. Quod autem Ecclesia Catholica omnino pleno gaudeat iure S. Scripturam auctoritate divina interpretandi, sequentia evincunt:

1. Supremus in qualibet societate controversiarum omnium iudex, una est authenticus scripti, qui leges et statuta eiusdem civitatis complectitur, codicis interpres; vel enim ipse est legislator, vel certe pari potestate instructus: quare, si de sensu cuiusdam legis controversia excitetur, authentica eiusdem interpretatio, non penes singulum quemque [276]), sed penes su-

[275]) Recte monuit Bellarminus l. c. (n. 271.) l. III. C. 9. p. 152. „Judex (Scripturae) debet habere auctoritatem coactivam, alioqui nihil prodesset eius iudicium: at privati homines nullam habent talem auctoritatem."

[276]) „J. L. Hug, Bemerkungen über einige Klagen, mit denen man die Katholischen belästigt. in opere periodico, saepius iam, nunquam tamen satis laudato: Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freyburg. 1828. 2. H. pag. 89. „Denke man sich eine Gesellschaft, in der jeder Einzelne für sich die auslegende Behörde wäre, so hätte sie offenbar kein Gesetz, indem das Gesetz keinen Sinn hätte, als den ihm jeder nach Gefallen zu geben beliebte." — Pariter „F. Geiger, der lichtvolle Protestantismus;" im Katholik, v. G. Scheiblein. 8. B. 1823. Straßburg p. 35.

premam illam potestatem iudiciariam residebit. — Pariter, Ecclesia forum est legitimum, de rebus religionis suprema auctoritate decernens; S. Scriptura vero est fons primarius doctrinae revelatae, vel certe principale demonstrationis principium, unde dogmata hauriuntur et confirmantur: itaque Ecclesiae ius competit, SS. Literarum sensum, qui norma sit fidei morumve, ac lites fors enatas componat, suprema auctoritate determinandi [277]); alioquin ipsa Scriptura, utpote

---

„Mit einem Gesetzbuche allein, ohne Richter, ohne authentischen Ausleger wird man doch keinen Staat bilden wollen: wie will man denn einen religiösen Staat (Kirche) bilden, mit einem Gesetzbuche (Bibel), welches man der Auslegung eines Jeden überläßt?"

[277]) M. Prechtl, Rückblick auf die Beleuchtung der Dr. Tzschirnerschen Schrift: Katholicismus und Protestantismus. Sulzbach 1824. p. 125 s. „Welcher gefährliche Unsinn würde es im politischen Staate seyn, wenn der Regent ein Gesetzbuch als einziges, allen Unterthanen genügendes Princip aufstellte, und die Auslegung dieses Gesetzbuches der Einsicht und Willkühr eines jeden einzelnen Unterthanes überließe, ohne geeignete Maaßregeln für ein authorisirtes Richteramt zu treffen? Wäre dann nicht Anarchie und Verfall des politischen Staates mit Grunde zu befürchten! Eben dieses wäre in Hinsicht des kirchlichen Staates mit noch mehr Grunde zu fürchten: — — Machte sich also der politische Regent im erwähnten Falle eines gefährlichen Unsinnes schuldig; was muß man von jenen denken, welche ähnlichen und noch größern Unsinn dem göttlichen Gesetzgeber und Religions-Stifter der Christen zumuthen?!« — (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. III. p. 317. „Quis dirimet efficaciter ibi, ubi nullus authenticus agnoscitur iudex? — Scriptura? utique; sed interpres? unus quisque! — eiusdem unus quisque iuris! — at distincti unus quisque sensus!" — Hinc Luther quoque, inprimis durantibus Carolostadii motibus, se supremum declaravit interpretem, qui citra iacturam salutis negligi non possit, opp. germ. P. 7. Wider den falsch genannten Geistlichen-Stand, 1522. bey Hans Lufft. p. 330. cf. J. L. Hug, l. c. (n. 276.) — Czerny, l. c. (n. 55.) Lib. 2.

mortua, controversiarum iudex a nonnullis perperam statuitur [278]). — Cum autem fidei morumve norma, una

p. 112. ss. — Hayd, l. c. (n. 72.) p. 66. ss. — item Fragmente eines Layen, in d. neu. theol. Zeitschr. v. Pletz, 1. Jgg. 1. B. Wien 1828. p. 197.

[278]) Praetendunt protestantes ipsam S. Scripturam esse iudicem controversiarum, ast, ut loquitur Melchior Can. l. c. (n. 271.) L. II. C. 7. p. 19. „Scriptura iudex est mortuus, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet." — Prechtl l. c. (n. 277.) p. 125. „Die Bibel antwortet nicht, wenn sie um den Sinn einer zweifelhaften Stelle befragt wird; sie ist nur Gesetz, nicht Richter." — Möhler, l. c. (n. 265.) p. 405. „Der Leser der h. Schrift wird mit dieser selbst verwechselt. Es ist etwas ganz Anderes zu sagen" „die h. Schrift ist die Quelle der Heilslehre," „und etwas Anderes:" „sie ist die Richterin bey Bestimmung dessen, was Heilslehre ist;" „das Letztere vermag sie so wenig zu seyn, als das bürgerliche Gesetzbuch zugleich die richterliche Behörde vorstellen kann." — Hanc scripturarum indolem dudum pariter adumbravit Plato in Phaedri dialogo secundum Astii interpretationem dicens: „Hoc in se mali habet scriptura, in quo similis est picturae; nam huius quoque fetus constiterunt tamquam viventes, sin quid eos interrogas, plane auguste tacent. Eadem est sermonum ratio: existimes eos intelligentes loqui; sin autem de dictis aliquid eos interrogas, cupiens id cognoscere, unum indicant tantum semper idem; quum semel scriptus est, — non scit loqui apud quos debet, nec ubi non debet, tacere; male dein tractatus, patris semper indiget auxilio." Ceterum rationem, cur protestantes Scripturam simul iudicem celebrent, egregie reddit Abbé de Trévern, freundschaftliche Erörterung über d. Kirche v. England und Reformation. Deutsch v. A. Stupfel, I. Th. 1. Abth. Wien 1821. p. 161. s. „Sie (die Stifter der Reformation) stellten als obersten Grundsatz auf, daß nicht die Kirche, sondern die h. Schrift der entscheidende Richter in Glaubenssachen sey. So hatten sie nun nichts mehr zu befürchten, wenn sie von der Kirche an die Schrift appellirten, d. i. an einen unempfindlichen und geduldigen Buchstaben, der sich jedem Sinne fügt, den man ihm unterlegen will, der sich verschiedene Auslegungen gefallen läßt, ohne Ein-

eademque perpetuo esse debeat ac inmutabilis, sicut fides ipsa: consequens est, ut Ecclesia in huius iuris exercitio, adeoque in effatis ss. dogmaticis exponendis, infallibilis sit [279]). — cf. argtm. 5.

2. Idem ille Paracletus, qui SS. Scriptores, dum eloquia divina literis consignarent, ab errore immunes praestitit: etiam Apostolorum successoribus, e Christi

wendungen zu machen, weil er stumm ist; der sich unter die Folter beugt, und da, ohne sich zu beklagen, alle Gewaltthätigkeiten duldet, weil er ein todter Buchstabe ist."

[279]) Nisi sensus dogmaticus per Ecclesiam infallibiliter propositus fuerit, nutabit fidei regula; eadem semper et ubique non erit, et fides ipsa in discrimen adducetur. Insuper sublata, quam Ecclesiae, Scripturas interpretantis, inerrantia parit, dogmaticorum sensuum certitudine: — hoc ipso suffertur popularis ac securus Librorum SS. usus; deerit enim manuductio secura, extrusa per interpretes privatos, invicem pugnantes, omniaque complentes incertitudine; — iustus erit metus, ne positivae quaeque doctrinae omni Librorum SS. praesidio spolientur, quum non raro, dogmaticos textus, id, quod sonant, significare, negetur, veteresque sensus removeantur, quin alii, qui adversi essent confessionibus, surrogarentur; denique exponentur Libri SS., horumque auctoritas periculis iisdem, quae eosdem affligunt foris! — caussa enim omnium est incertitudo sensuum, sine dubio a securi, et authentici interpretis defectu repetenda. — Hanc irrefragabilis interpretationis necessitatem veteres quoque sapientes viderunt, quibus tam inviolabilis fuit interpretationum, quam ipsarum, quae praesto erant, tabularum ss. auctoritas; sic Cicero Orat. pro domo sua ad Pontiff. Cap. 41. Opp. uno vol. comp. Lips. 1827. p. 571. b. „Sic accepi, in religionibus suscipiendis, caput esse, interpretari, quae voluntas deorum immortalium esse videatur." Atque omnes omnino gentes, cum revelatione sacrorum inviolabilem interpretis auctoritatem copulandam esse credebant. cf. (Kramer) l. c. (n.145). fragm. IV. p. 76—79. Fragm. V. p. 332—334. Fragm. VI. p. 105. — Viser l. c. (n. 8.) P. III. p. 244—246.

promissis, divino suo auxilio adest, dum congregati, vel per orbem dispersi fidelibus, quid fide divina credendum sit, exponunt, et poscentibus fors adiunctis alicuius s. effati dogmatici sensum declarant [280]); est autem quivis legitimus et optimus suorum verborum interpres: igitur Ecclesia Spiritus S. praesidio munita, omnino pleno iure gaudet, SS. Literas, eodem Spiritu S. assistente conscriptas, auctoritate irrefragabili interpretandi [281]).

3. Auctoritatem Ecclesiae, in exponendis Libris SS. securam et inviolabilem, „poscit quoque extraordinaria eorundem Librorum origo [282]); quod enim ex-

---

280) Cf. Pletz l. c. (n. 265.) p. 247—249.

281) Hinc interpretatio SS. Literarum, instituta ab Ecclesia, est et recte dicitur *authentica* (utpote ab eodem eminentissimo Auctore profecta), atque absolutam parit certitudinem; interpretatio vero, ope regularum Hermeneuticae rationalis a privato facta, *doctrinalis* audit, et tantum subiectivam seu moralem certitudinem parit. cf. Pletz l. cit. (n. 265.) p. 265. ss. — Hollaz, Exam. theolog. acroam. Lips. 1763. ed. 2. p. 163. „Quicunque est auctor Scripturae, ille eiusdem et authenticus est interpres: atqui Spiritus S. ect. ergo. Maior liquet, quoniam unusquisque optimus est interpres verborum suorum. Minor constat 2 Petr. I. 21." — Vogl, l. c. (n. 76.) p. 34.

282) Id Wegscheider quoque etsi invitus agnoscit, l. c. (n. 255.) p. 159. „Si numen divinum inspirationem illam miraculosam librorum SS. vere necessariam duxisset, eandem et interpretibus quibusvis omnis temporis concedere debebat, ut scriptorum sensus, haudraro difficilis inventu, omni aetate et in omni populo recte cognosci posset." — Ceterum egregie hanc in rem scribit Möhler l. c. (n. 265.) p. 358. „Die h. Schrift ist Gottes untrügliches Wort; in wie fern aber ihr das Prädikat der Irrthumslosigkeit zukömmt, sind wir noch nicht irrthumsfrei; wir sind dies erst, wenn wir das an sich untrügliche Wort truglos in uns aufgenommen haben.« et p. 402.

traordinarie scriptum est, relinqui promiscuae interpretationi haud posse, sana docet ratio, quae violari extraordinarium Dei opus vetat, hocque ipso removet interpretationem privatam, utpote aptam ad violationem." Alioquin „nihil fingi pestilentius potest, ea hypothesi, in qua parte ex una scriptus religionis et moralitatis codex, pro divino, et infallibili recipitur, parte vero ex alia omnis securus, et infallibilis removetur interpres, interpretatioque omnis relinquitur unicuique; hoc enim casu, quidquid unusquisque ibi videt, videt et recipit ut verbum Dei, a quo recedere nefas. Fac, videre sensus graviter erroneos, faventes desideriis pravis, aut sensus periculosos auctoritati publicae et hominum societati; — nonne ipso divinae auctoritatis, divinique verbi obtentu seri necesse est erroneos, pravos, et civitati nocentes sensus"? [283])

4. Scripturae SS. V. F. a Christo et Apostolis, illae vero N. F. ab Apostolis et ceteris ἁγιογράφοις traditae sunt rectoribus Ecclesiarum, profecto non eam solum ab caussam, ut integrae custodirentur [284]),

„Wir halten es für nöthig, unter ganz besondern Bedingungen die evangelischen Berichterstatter ihre Erzählungen niederschreiben zu lassen, um von keinem Zweifel beunruhigt zu werden, ob sie wohl auch recht gehört, gesehen und begriffen haben; eben deßhalb hat man auch vom Anfang der christlichen Zeitrechnung an für nothwendig erachtet, unter ganz eigenthümlichen Bedingungen ihr rechtes Verständniß eintreten zu lassen, damit auch wir mit Entschiedenheit anzunehmen berechtigt wären, Was sie unverfälscht berichteten, ungetrübt aufgefaßt zu haben."

[283]) Cf. (F. Kramer) Fragm. VI. (n. 145.) p. 105—107.

[284]) (F. Kramer) Fragm. V. (v. not. 145.) p. 331. s. „Pertinent Libri SS. ad S. depositum Ecclesiae, huius custodiae creditum; quid, quaeso, est, quod, Libros SS. custodiendo custodit? Corticem ne tantum, chartam et membranas? — O nil igitur differt ab homine imperito, scrinii

sed et ut populo fideli earundem tenor et sensus genuinus exponeretur: itaque Ecclesia docens iure, divinitus sibi credito, gaudet SS. Literas interpretandi [285]).

5. Ecclesiam iure gaudere S. Scripturam interpretandi auctoritate divina, svadet etiam rectus conceptus de indole doctrinae divinae in SS. Literis, ceu primario fonte revelationis, contentae, — item conceptus de praerogativis et proprietatibus, quibus Deus Ecclesiam suam instruxit, atque semper pollere voluit, nempe de infallibilitate, et unitate in rebus fidei et morum. Scilicet

Ex indigentiis nostris moralibus certum est, et firmissimis rationum momentis comprobatur, indigere nos revelatione supernaturali: revera autem succurrisse nobis Deum tali revelatione, quae etiam veritates, ambitum rationis nostrae excedentes, continet, historia testis est. E natura vero et fine talis revelationis

---

aut cistae, thesauros continentis, custode! — nihil a Judaeorum synagoga, custodiente Libros SS., absque eorum intelligentia! — Quo autem fine custodit ? — ut privatorum hominum, interpretandi ius usurpantium, opera, latens in iis sensus eruatur? — proh improvidum custodem, Ecclesiam! quid enim aliud, quam discordiae pomum custodit? an non? — computa erutorum hac via sensuum pugnas et scandala, et decerne, an, nisi certitudini sensus consultum efficaciter alio modo haberetur, non haberi, eos libros, quam conservari, malis! — Confitendum nempe, Ecclesiam sensuum quoque, qui custoditis Libris insunt, custodem esse." — Cf. Hollaz l. c. (n. 281.) p. 163.

285) Etiam in V. F. interpretatio Scripturarum per labia Sacerdotum fiebat: Mal. II. 7. „Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est."

pariter inferimus donum infallibilis magisterii [286]), quod tum homines de facto dictae revelationis certos reddat, tum veritates revelatas illibate custodiat, simulque pure et genuine hominibus communicet [287]). Etenim de facto divino, quale revelatio supernaturalis est, nobis divina fide constare debet, ad id autem requiritur testimonium aeque divinum. Equidem de facto humano, naturali, ordinario, dummodo legitima adsint argumenta, moraliter saltem certi esse poterimus, idque in humanis rebus sufficit: ast aliud obtinet, si sermo sit de facto supernaturali, extraordinario, quod, quia sphaeram ordinariorum factorum excedit, etiam testimonium tale, nempe pariter extraordinarium postulat, ut omnis prudens de eo dubitatio arceatur [288]).

[286]) Incredibile enim dictu, quantis magisterium, ad tollendam omnem ambiguitatem divinitus datum, involvatur difficultatibus, si infallibilitatem adeoque securitatem ei abroges; profecto omnis eius peribit auctoritas. Quis magisterium, ad homines ab errore et incertitudine in perpetuum liberandos a Deo in Ecclesia sua ordinatum, cum doctrinarum, per idem magisterium propositarum, veritatis incertitudine, et periculis errorum, componet?

[287]) Neque enim dubitare licet, Providentiam divinam, cum et sapientissima sit et potentissima, prout in omnibus humanum genus concernentibus, ita, et praecipue quidem in re gravissima, in re religionis, ubi certum finem sibi praefixit, pariter, quidquid ad eum obtinendum necesse erat, praestitisse.

[288]) Humana argumenta fallere possunt, adeoque humana persvasio, quamcunque videatur fundata, potest esse erronea, quare nunquam ero certus, an, de quo quaeritur, revera ita se habeat; in dubio autem securitas, tranquillitas et firmitas haberi non potest. Sic ut populo firmiter persvasum fuerit, doctrinam prophetae vel vaticinium revera a Deo esse profectum, opus fuit testimonio divino, miraculo vel vaticinio iam impleto; ceteroquin poterit quis centies affirmare,

Testimonium autem supernaturale olim (de viva doctrina ab ipsis legatis divinis annunciata) constituebant miracula (en necessitatem miraculorum!), hodie autem (quoad doctrinam divinam, Scriptis SS. aut traditione ad nos propagatam) fundit auctoritas Ecclesiae infallibilis [289]) (en necessitatem praerogativae infallibilitatis Ecclesiae!) [290]); haec itaque ante omnem indagationem, interposita sententia sua, certos reddit fideles suos, generi humano revelationem factam esse.

Sed ad obtinendum finem, in quem revelatio divina data est, nequaquam sufficit, certos nos esse, talem revelationem revera hominibus contigisse, sed insuper requiritur, ut veritates revelatae hominibus illibate

---

sibi revelationem divinam obtigisse; aut alter quamcunque doctus et pius testari, doctrinam illius a Deo esse: non tamen firmiter credam, vel saltem certus esse non potero, quum uterque falli possit; sed si accedat testimonium divinum, constabit certo, fide divina. cf. quoque Annalen der Literatur u. Kunst des In- u. Auslandes. Wien 1810. 3. Bd. p. 200. — Möhler, l. c. (n. 265.) p. 403. s.

[289]) Hoc sensu dixisse videtur S. Augustinus Epist. fundam. C. 5. Tom. 6. edit. Frob. p. 118. „Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas." cf. de sensu horum verborum der Katholik, eine relig. Zeitschr. 13. Bd. 1824. 7. H. p. 50. ss — Hanc in rem facit, quod ibidem p. 74. legitur: „Das unfehlbare Ansehen der Kirche ist das Organ, wodurch wir allein kennen können, was Gott geoffenbaret hat."

[290]) Klee, System der kath. Dogmatik p. 77. „Ihr (der Kirche) magisterium, ihre Auktorität in Beziehung auf Wahrheit wäre ohne den Charakter der Unfehlbarkeit eine baare Nichtigkeit, eine logische und religiöse Blasphemie." — Sequelas tristes, quas defectus huius doni parit, videre est apud protestantes, qui parvulorum more fluctuant, altero diruente, quod alter aedificaverat.

innotescant, quo non tantum omnes genuina imbuantur notitia doctrinae divinae, sed etiam universi in unitate fidei coniungantur [291]). Si iam providentia sic ordinante fiat, ut vel tota illa revelatio, vel pars illius literis consignetur, quaeritur: num sperari unquam possit, fore, ut ex eiusmodi scriptis homines, sibi relicti, verbum divinum, purum et immaculatum hauriant? [292])

---

[291]) Quod olim, anno 1519. professus fuit M. Luther opp. germ. tom. 1. Jen. fol. 166. „Es ist kein Ursach so groß, daß man sich von der Kirche zu Rom scheiden solle; — — der Einigkeit sollen wir in Acht nehmen, und bey Leib nicht widerstreben päpstlichen Geboten;" — id a recentioribus protestantibus perperam controvertitur, sic H. G. Tzschirner, im Magazin für christl. Prediger, 1. Bd. 1. St. Hannov. u. Leipz. 1823. p. 1. ss. evincere nititur, „daß die Verschiedenheit der dogmatischen Systeme kein Hinderniß des Zweckes der Kirche sey;" aliis tamen repugnantibus, cf. Monatschrift für Predigerwissenschaft herausgg. von Zimmermann u. Heydenreich, 1823. Novemberheft. — item L. F. Fritzsche, Ueber die Vereinbarkeit des Rationalismus mit dem Zwecke der Kirche," im neuen krit. Journ. der theol. Literat. v. Winer u. Engelhardt, 1. B. 1824. p. 385. ss. ubi p. 389. legere est: „Wer von der Canzel herab die Göttlichkeit Jesu bestreitet, wer die, vom Erlöser verrichteten, Wunder nach Bahrdtischer Manier natürlich erklärt, oder auch nur die Wundergeschichten des Commentars von Dr. Paulus dem Volke mittheilt, wer es für Unsinn erklärt, an den Versöhnungstod Jesu zu glauben, und die Auferstehung des Herrn als ein Erwachen aus dem Scheintode darstellt, der stört die Zwecke der Kirche." cf. ibidem p. 162—164.

[292]) Responso praeivit G. T. Ziegler, in oratione acad. de rationalismo theologico, Viennae 1817. P. II. cca med. (in theol. Zeitschr. v. Frint, 6. Jgg. 1818. 1. B. p. 243. ss.) „S. Scriptura sine interprete, sine indice, cui acquiescere tute ac prudenter quisque valeat, nequit esse principium absolutum ecclesiae divinitus constitutae, quod vel varii vario sensu excipiunt; ac unde adpellatio habeat locum ad hominum peritiam vel perspicaciam." — item C. Unterkircher, Berichtigung

Quod argumento, e rei natura, et quotidiana experientia petito, iure negatur. Quaelibet enim scriptura, etiam humanum tantum continens argumentum, idemque clare edisserens, diversarum expositionum capax est: cum omnis usus loquendi saepe variet, plures admittat significationes, et determinatio sensus a pluribus dependeat adiunctis, quae non semper ab omnibus ponderantur aequaliter, quare et non omnes semper sensum auctoris assequuntur. Si autem hoc, experientia testante, in humanis fit libris, qui vernacula lingva exarati sunt, et frequenter obiectum describunt familiare [293]): quid sperandum restat quoad Libros Sacros?

---

der Recension seiner Hermeneut. bibl. gen. in kath. Lit. Zeit. v. F. Kerz u. F. A. Besnard, 1836. 3. B. 1. H. p. 95. „Ich erstaune, wie sich die Vernunft je so weit vergessen konnte, der Gottheit den Zweck zuzumuthen, daß die Menschen, wovon die meisten kaum lesen können, aus diesen Schriften — sich eine und dieselbe Religion entnehmen sollten!" — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1833. p. 10. „Hat Willkühr in diesem Fall Raum gewonnen, dann kann, weil Willkühr den Keim der Zwietracht schon in sich trägt, jene Einheit des Glaubens und der Gesinnung nicht bestehen, welche Jesus der Herr den Seinigen so sehnlich wünschte. Joan. XVII. 11. 20. 21. — Luculenter id apparet „e longaeva experientia, ad quam imprimis pertinet elenchus fatorum internorum coetus protestantium;" P. Speranza, l. c. (n. 85.) p. 26.

[293]) Ziegler l. c. (n. 292.) P. 2. init. „Nullum unquam exaratum fuisse, arbitror, librum tantae claritatis, ut diversi legentium animi germanam ubique scribentis mentem assequantur, nullum integritatis tantae, ut ambigentium scrupuli evitentur, nullum tam pressae limataeque dictionis, ut humani ingenii lubricos superaret anfractus, aut praecideret maleferiatorum argutias. Leges olim sapientissimas Graecorum Romanorumque respublicae condiderunt lingua vernacula, undique polita, stilo plano ac simplici, quo magis omnes intelligant, quid officii, quid iuris singulis competat civibus. Ni-

utpote, qui una e parte lingvis conscripti sunt, quarum usus loquendi, propter earundem a nostris disparitatem, vetustatem et peculiarem genium, difficillime eruitur, altera vero e parte obiectum divinum complectuntur, et id quidem etiam rationem humanam excedens. Atque tum propter singularem hanc materiae et formae Librorum SS. indolem, tum propter diversitatem ingeniorum, varium in variis culturae gradum, copiam vel inopiam praesidiorum hermeneuticorum, vehementiores naturae humanae affectus [294]), vim praeiudiciorum, studiorum, quibus quisque ducitur, varie-

---

hilominus quam frequentissime de genuino legum sensu, de iusta earum adplicatione et in foro et coram senatu disceptatum fuisse legimus. Eadem fortuna omnium prorsus regum imperiorumque hucusque fastos ac codices mansit, manebitque, dum homines vario sentiendi aguntur adfectu, dum haec mortalia gestant." — cf. quoque Speranza, l. c. (n. 85.) p. 27. ss.

[294]) Candide id fatetur Fr. Köppen, protestans, „Philosophie des Christenthums II. Theil p. 95. „Erwägend die Wandelbarkeit menschlicher Gesinnungen, die Leidenschaften einzelner Männer, Secten, und ihren Einfluß; so muß eine Autorität, welche die wahre Bedeutung und Auslegung des göttlichen Wortes aufrecht erhält, sehr wünschenswerth scheinen. Christus und seine Apostel waren eine solche Autorität für ihr Zeitalter; sollte sie hernach ganz gefehlt haben, da sie aus vielen Rücksichten immer unentbehrlicher wurde? Man braucht also nur das Lehramt der christlichen Kirche, so wie es den Platz der apostolischen Predigt einnahm, auch als Erben jener Autorität anzusehen, und dem Bedürfniß ist abgeholfen." Imo olim iam in Lutheri audaciam invectus fuit Carolostadius, in libro „de Canonicis Scripturis, Wittenb. 1520." scribens: „tantum sibi abiiciendorum codicum esse ius volunt, ut nulli sint, quos non nullos velint, atque omnia statim in falsum vertantur, quae ipsi suis naribus non bene olere autumant." cf. Gerdesius, frorilegium Libr. rarior. p. 53. ss.

tatem, et longe diversam diversorum in scrutandis SS. Scripturis contentionem fieri vix potest, ut omnes e SS. Libris eandem doctrinam genuine eruant [295]), cum moraliter impossibile sit, ut quamplurimas hermeniae regulas, quamvis in se verissimas, in interpretando omnes aequabiliter applicent [296]). Hinc factum

---

[295]) Verissimum omnino est, quod scribit J. Pletz l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 69. „Es gibt kaum einen Text, besonders wenn er auf das materiell geoffenbarte Christenthum Bezug hat, der nicht auf hundert verschiedene und sich widersprechende Weisen erklärt worden wäre, daß man fast zu sagen gezwungen wird, es gäbe so viele verschiedene Auslegungen als Köpfe sind, die sich an die Erklärung wagen." — pariter C. L. Gratz, l. c. (n. 6.) p. 85. „Multi e protestantium familia eo progrediuntur, ut interpretatione sua, dogmata antiqua convellant, atque eliminent, quo fit, ut alius aliam doctrinam amplectantur, alius ab alio dissentiant, quo eorum societas dissolvatur necesse est." — De abominanda horum dissensione sic lamentatur, unus ex illis, Cl. Harms, Leitfaden in d. Vorbereit. der Confirmanden. Schleswig 1820. „Bey uns ist es bekanntlich dahin gekommen: einen andern Glauben hat die Universität, einen andern das Lehrerseminar, einen andern die Gelehrten —, einen andern die Bürgerschule, einen andern lehren die 30 bis 40 Privatinstitute: so daß es sich findet, wie es nicht anders seyn kann: die Eltern und Kinder, die Brüder und Schwestern, die Ehemänner und Ehefrauen, die Vornehmen und Geringen ect. stehen in ihrem Glauben wenigstens so weit von einander ab, als nur immer die verschiedenen Kirchen von einander abstehen, und sollen doch alle für evangelische Christen gehalten werden!" — cf. J. Frint, „Ueber den Ursprung u. die Ausbildung des Rationalismus," in dessen theol. Zeitschrift, 3. Jgg. 2. B. p. 144. et 168. ss. — Vindiciae Joannis Jahn, Lips. 1822. p. 93.

[296]) C. G. Wiedenfeld, l. c. (n. 199.) p. 57. „Unde verbo Dei tam diversae semper enatae sint interpretationes: ex indole hominis eiusque conditione exoriri has censeo." — Germar, l. c. (n. 6.) p. 9. „Jeder der Interpreten hat noch

est, quod in tanta licet varietate sectarum, inde a cunabulis Religionis Christianae enatarum, omnes tamen dogmata sua, subinde prorsus absona SS. Scripturarum auctoritate defenderint. Unde cl. Werenfels suis ipsius bibliis inscripsit:

„Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque;
Invenit et pariter dogmata quisque sua." [297])

bisher seine Vorgänger des Irrthums bezüchtigt." — ambo protestantes.

[297]) Opuscula theol. philos. et philolog. Ed. 3. Tom. 2. p. 509. Lugd. Batav. 1772. — Id quod dudum observavit Tertullianus de praescript. haer. Cap. 17. 18. „Quid promovebis exercitatissime Scripturarum, cum, siquid defenderis, negetur, siquid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione." Cap. 39. „Neque essent diversae haereses, nisi possent perperam intelligi Scripturae." — Pariter S. Hieronymus Comm. in Cap. 1. Ep. ad Galatas. (tom. 4. p. 231.) „Interpretatione perversa, de evangelio Christi fit hominis evangelium, aut, quod peius est, diaboli. Alioquin omnes haereses ex Scripturis sibi consuunt cervicalia." — S. Augustinus Tom. 9. Tract. 18. in Joan. (p. 155.) „Non aliunde natae sunt haereses, nisi dum Scripturae bonae non intelliguntur bene." — S. Hilarius ad Constant. L. XI. num. 9. „Memento, neminem haereticorum esse, qui se non secundum Scripturas praedicare ea, quae blasphemat, mentiatur." — S. Vincent. Lir. Commonit. C. 2. vide infra §. 67. — Imo et M. Luther, wider die Schwarmgeister, opp. germ. edit. Lufft. tom. II. p. 102. ss. „(der Teufel) richt solch Gerümpel in der Schrift an, und macht viel Sekten, Ketzerey und Rotten unter den Christen. Und weil ein jegliche Rotte die Schrift für sich zog, und auf iren sinn deutet, ward daraus, das die Schrift den Namen überkommen hat, das sie ein Ketzerbuch heißt, als daraus alle Ketzerey entsprungen ist, weil alle Ketzer sich mit der Schrift behelfen." Sed relege quoque, quae de ipso Luthero, interprete, et sociis scripsit G. T. Ziegler (l. c. n. 292.) P. II. E recentissimis J. A. Voigtländer, Ent-

Patet ex his, quod, si unice pro cuiuslibet arbitrio e SS. Literis sensus, religioque derivanda sint, sperari non possit, fore, ut consensio et unitas inter homines in re gravissima obtineat [298]), aut veritates revelatae hominibus semper pure innotescant, quum potius saepe saepius perverse depraventur. Quin imo lubrica hac via tandem evenire, ut non tantum sinistrum sensum, etsi hic positivae revelationis indolem retineat, e Libris SS. hauriat interpres sibi relictus [299]), sed etiam, quod multo peius est, ut non

wickelung des Christenthums zur Welt- und Staatsreligion nach Spinoza. Halle 1836. p. 8. asserit: „Der Theismus ist bekanntlich aus der Bibel hervorgegangen." — Hinc merito suspirat Dr. Gratz, Apologet des Katholicismus. 8. Heft. p. 4. s. „Welchen unendlichen Nahrungsstoff die Erforschung der Bibel der menschlichen Leidenschaft gibt, wenn man von ihrer Erforschung das kirchliche Element trennt, darüber liefert uns die Geschichte leider die traurigsten Beispiele in Menge. Von je wurden die abentheuerlichsten Dinge aus der Bibel herausgelesen, und jeder fand selbst seine Leidenschaft in der Bibel gerechtfertiget. So wurde das göttliche Buch, welches gegeben ist, uns in der Finsterniß die Fackel voraus zu tragen, oft zur Mordbrandfackel herabgewürdiget; so wurde das heilige Buch, das uns zur Belehrung gegeben ist, ein Zankapfel, bey dem man einander die Augen ausschlug."

[298]) Consentit ipse Wegscheider l. c. (n. 255.) p. 23. „Nulla religio, nisi positiva, publicae religionis nomen potest obtinere, propterea, quod tantum externa quadam et legitima auctoritate fieri potest, ut *in doctrinis consensus* oriatur."

[299]) Hinc est quod scribit Pletz, l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 73. „Darum haben sich viele Stimmen gegen das Bibelstudium erhoben, und haben, weil sie für die Offenbarung Gefahr glaubten, das Alte gewünscht und das Bibelstudium verworfen." — item quod caussae instar subiicit p. 79. „Diesen wesentlichen Unterschied der neuern und alten Hermeneutik bey den Protestanten, dem die freye Exegese ihren Ursprung verdankt, setzen wir in das Losreißen der h. Schrift von der Kirche, und der Interpretation von der Kirchenlehre."

raro cuncta Scripturarum effata, reiecta omni positiva indole [300]), ad suae rationis placita ceu ultimam veritatis decempedam exigat, hoc inquam tandem evenire, pariter experientia ipsa testis est omni exceptione maior [301]). Hac quippe duce constat, impleri, imo iam

[300]) F. Brenner, Versuch einer hist. philos. Darstellung der Offenbarung, Bamberg 1810. 2. Th. p. 144. s. „Eine Anmassung der Vernunft in Sachen des Glaubens, hat gewöhnlich mehrere größere zur Folge, so lange bis sie sich zur frechen Gottesläugnung hindurchgedrungen hat. Am meisten sichtbar ist dieses von den Zeiten der Reformation an bis auf die gegenwärtigen. Damals entwand sich die Vernunft einiger Fesseln, die ihr der Glaube angelegt hatte, doch hatte sie noch Ehrfurcht vor mancher Authorität, — mit jedem Jahrhunderte ward ein neues Band gelöst, bis sie endlich den letzten Versuch machte, sich über das göttliche Ansehen der h. Schrift ganz hinwegzusetzen, das Wort Gottes in ihr verdrängte, und statt desselben Menschenwort einführte. Die neueste Exegese liefert den traurigen Beweis hievon. Diese klebt mühsam an dem todten Buchstaben, — würdigt das h. Buch zu einem ganz profanen Werke herab, — macht das Evangelium zu einem dürren Skelette, — tödtet den Geist der Religion." — Dr. Gratz l. c. (n. 297.) p. 4. „Sobald man von der Erforschung der Bibel das kirchliche Element entfernt, so wird das Christenthum unsichern, schwankenden Forschungen hingegeben, und man hat nirgends einen sichern Haltungspunkt. — Christus wandert dann durch tausend Köpfe, und jeder Kopf gestaltet ihn anders; er wird dem Wechsel der Zeiten, und oft den Träumen eines frivolen Zeitgeistes preisgegeben." — Imo et Cl. Theremin (protestans), Lehre vom göttlichen Reiche. Berlin 1823. p. 106. „Das philosophische Streben bey Erforschung der h. Schrift ist großen Verirrungen ausgesetzt. Indem die Vernunft sich mit den göttlichen Wahrheiten beschäftigt, geschieht es wohl, daß sie sich nicht blos als Mittel der Erkenntniß, sondern auch als Quelle derselben betrachtet, alles verwirft, was nicht aus ihr selbst kommt, und feindselig der Offenbarung entgegen tritt."

[301]) M. Dobmayer, Systema theologiae cath. Tom. 4. Solisbaci 1811. p. 173. „Die ersten Protestanten stimmten in den

dudum eventu comprobatum esse, quod duobus prope antea seculis praedixerat acutissimae mentis Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis [302]): protestantibus reiecta Ecclesiae auctoritate planam paratamque esse viam ad naturalismum. Etenim in hunc illos revera, e quo sub dimidium seculi superioris inductum contra reformationis naturam symbolicorum librorum iugum coeperunt excutere [303]), plenis velis delatos videmus hac nostra aetate [304]).

meisten Punkten mit den Katholiken überein, und giengen nur in der Lehre der Sacramente und der Rechtfertigung von uns ab; aber bey den heutigen ist kaum ein Artikel des positiven Christenthums mehr übrig. Es ist beynahe Heroismus nothwendig, sich zu symbolischen Büchern als orthodoxe zu bekennen. Uneinigkeit folgt aus dem Geiste des Protestantismus, und die Geschichte bestätiget sie nur zu sehr."

[302]) Histoire des Variat. Tom. 1. Livr. V. §. XXX. p. 211. cf. Vindiciae J. Jahn. Lips. 1822. p. 95. Imo id Luther quoque ex iacto singulorum in re religionis plenae libertatis principio naturaliter secuturum praevidit, Hauspostill fol. 373. scribens: „nisi dies iudicii mature venerit, fiet deterius, quam in Papatu, adeo, ut nec doctores quidquam scituri sint, de Deo et Christo."

[303]) Illud Tertulliani, de praescript. adv. haer. C. 42. „Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare;" de Lutheri et Calvini quoque sectatoribus dici potest eo a fortiori, quo minus illi sibi constabant, quum una e parte, reiecta infallibili Ecclesiae auctoritate, irrestrictam in rebus religionis libertatem propugnarent; altera e parte vero, auctoritate, omni praesidio securo destituta, libros praescriberent symbolicos, qui norma essent omnibus inviolabilis!! Quid ergo mirum, si recentiores eodem in re religionis libertatis spiritu, quo Lutherus veterum veteris Ecclesiae symbolorum auctoritatem fregit, acti, novissima quoque haec ecclesiae, in eo spiritu fundatae, symbola habeant nauci? — an non iure habere possunt nauci?

Quo simili malo apud nos efficaciter occurratur, necessarium sane est, ut aliud insuper praesto sit prin-

---

profecto, tam illi iure, quam Lutherus iniuria! hic enim, in obversum fundamentis Ecclesiae suae, e qua prodiit, — illi e contra novae Ecclesiae suae fundamento cohaerentissime! Quare impetebant dudum caute, et impetunt palam symbola haec velut novam, papisticae similem, imo vetere magis intolerandam, tyrannidem, — velut inventum, infestum ac lethale spiritui reformationis; — et revera franguntur vincula haec, ubicunque protestantismi spiritus spirat, — vimque inter doctos protestantes amisere omnem, ut in rudium duntaxat medio adhuc aliquid valeant; hinc Krit. Journal der theol. Liter. von Ammon und Bertholdt. 2. B. 1814. p. 317. ss. „Viele Theologen der lutherischen Kirche stellten den Grundsatz auf, daß man die h. Schrift nach dem Sinne der symbolischen Bücher interpretiren müsse; aber, weil dieses Princip ganz antiprotestantisch war, so konnte es sich auch nicht erhalten." — Jonathan Schuderoff (superintendens), Ansichten und Wünsche, Lpz. 1814. p. 79. „Die Fesseln der symbolischen Bücher sind dem verständig gebildeten Geistlichen ein Aergerniß und Thorheit." — Wegscheider l. c. (n. 6.) praef. p. XIV. „Neque liberaliori doctrinae officient vani nonnullorum conatus, ecclesias evangelicas ad librorum symbolicorum decreta revocandi, quorum memoria apud plurimos illarum socios dudum obliterata est." — Alioquin dissolvendum erat hoc opus, quia ex hominibus est. Act. V. 38. — Quoniam vero eo potissimum symbola haec neglexerant, quia illis coeptae, ast hauddum perfectae reformationis progressiones impediri dicebant: profecto nil mirum, si exinde, his iam soluti vinculis, sibi quoque in theologicis articulis quidpiam licere rati, pro sua meliori (ut loqui amant) sententia, et hodiernae eruditionis dignitate, christianae religionis ideam aliter rursum coordinare pergant. Quapropter aliud iam credunt hi, ac eorum antesignani, quin tamen plus audeant, quam maiorum suorum ostendunt exempla. Quodsi fas erat coriphaeis primas tabulas paullulum perpolire, quisnam prohibeat sequiorem aetatem, vel redire, unde illi egressi sunt, vel ulterius migrare. „Nam (scribit Wegscheider, l. c.

cipium generale, quo verus sensus S. Scripturae, inprimis circa substantialia doctrinae revelatae (fidei

(n. 255.) praef. p. XI.) illud hodie nemo exspectabit, fieri posse, aut futurum esse, ut totus ille dogmatum complexus, qualem sacrorum emendatores ad sui temporis rationes accommodate composuerunt, intelligentibus etiamnum probetur, et quae inde — melius ac verius expositá sunt, a doctioribus deserantur; — — progressus in literarum doctrinis per tot secula facti — plerosque protestantium — ad altiora quasi scientiae templa adduxerunt, unde aliam fidei religiosae formam ac speciem intuentur, quam maioribus nostris licuit;" — — p. XV. „sic vestigiis Lutheri — Calvini insistent, qui quum generoso quodam animi et ingenii impetu tot errores generi humano male inculcatos profligaverint, nunquam tamen se unos omnia perfecisse gloriati, nunquam, quae posteri melius intellecta edisserere possent, prohibere se velle professi sunt." — cf. (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragment. I. p. 130. ss. Fragm. II. p. 104. 123. — G. T. Ziegler l. c. (n. 292.) P. II. — Quo conamina haec ducant, tristi constat experientia. Hinc J. Frint, l. c. (n. 295.) 3. Jgg. 2. B. p. 335. „Man verfertigte die symbolischen Bücher, um der weitern Willkühr Schranken zu setzen. Aber vergeblich! — — Die Schüler (der ersten Reformatoren) verfolgten fleißig den Weg, welchen ihre Meister angebahnt hatten. — Sie an die aufgestellte Lehre ihrer Vorgänger anzubannen, war die höchste Inconsequenz; denn mit welchem Rechte hätte man sie an das Ansehen jener Männer binden können, welche sich selbst für fehlbare Menschen hielten, nachdem diese sogar das Ansehen eines für unfehlbar gehaltenen Lehrkörpers, nämlich die von Jesus festgesetzten Schranken niedergetreten hatten?" — J. Pletz l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 71. „Wie es jetzt ist, war es nicht immer bey den Protestanten; denn so sehr Luther und seine ersten Anhänger gegen die Kirche und ihre Lehre stürmten; so war ihnen doch das positive Christenthum heilig, der Glaube an die Göttlichkeit der Religion Jesu stand bey ihnen fest, keine Scheu vor den Mysterien überhaupt, oder vor Wundern und Weissagungen leitete ihre Schritte." — Hinc quoque lamentatur L. Sinner (protestans) de ambitu, util. necess.

morumque dogmata) genuine et certo cognoscatur. Tale principium universim sufficiens, — ut taceam lu-

---

Studii exegeseos. Bernae 1823. p. 7. „doctissimi ex ecclesiae nostrae theologis ab antiqua illa simplicitate piorum nostrorum reformatorum procul recedentes, antiquae orthodoxae fidei aedificium labefactare conati sunt, in scriptura s. omnia quaevis, sed Christum Dei filium non inveniunt." cf. quoque Dr. Plank, Geschichte der Entstehung des lutherischen Lehrbegriffs. VI. Bd. p. 702.

[304]) Id quod eorum opera, quae perpetuis tenebris sepulta cuperem, palam evincunt; e plurimis ubique obviis pauca notare iuvat, quamquam legentium pietati parcere maluissem, nisi asserti probandi ratio aliud flagitaret: Ueber Religion an meine Kinder. Frankf. 1792. p. 2. ss. — G. Denker, Kirchenglauben. 1799. p. 262. — Theol. Journal von Hänlein, Paulus u. Gabler. 17. Bd. 1801. p. 138. — J. L. Ewald, Anhang zu d. Religions-Lehren der Bibel. Stuttg. 1814. — Lit-Zeitschr. Halle 1817. Nr. 28. S. 223. — Wegscheider l. c. (n. 255.) p. 198. — Jenaische allg. Lit. Zeitung. 1836. Nr. 162. p. 331. — E. F. C. Oertel, Christologie 1792. — J. O. Thiess, Theses theol. dogm. Lps. 1793. — Neues krit. Journal der theol. Lit. v. Winer u. Engelhardt. 3. Bd. 1825. p. 87. — F. V. Reinhard, theol. christ. aucta a J. G. C. Höpfner, ed. 2. Lips. 1819. p. 171—208. — Vernunft oder Offenbarung? welcher soll ich glauben? Merseburg 1819. — Capita praecipua doctrinae Christ. e dictis Christ eruta. Lps. 1815. — Adde quos Kramer fragm. VI. p. 163—287. nominat. — Hinc protestans J. F. Kleuker, neue Prüfung der Beweise für die Wahrheit des Christenthums, Rigae 1789. 2. Th. p. 357. „Was man in unsern Tagen christliche Religion so häufig genannt wissen will, ist ein purer Name ohne die Sache, die dadurch bezeichnet wird; ein Name, den man, weil er doch einmal bedeutend ist, als eine wahre Larve vorhält, oder als Losungswort braucht." — Quibus perpensis, mirari subit, qua ratione Ecclesiam Catholicam violatae doctrinae genuino-christianae accusare, imo opinionem hanc tenerorum suorum animis in prima institutione instillare possint, prout e. c. in op.; Einige Catechisationen über

men internum, et spiritum privatum, quae quidam sat ridicule commenti sunt [305]), — nequit esse: a.) ratio

das Reformationsfest 1819. für die Landjugend des Cantons Zürich. p. 2. 8. Frag. „Wer war wohl daran die größte Schuld, daß das Christenthum mit so vielen Irrthümern befleckt wurde? Antw. Die römischen Päpste, die sich den Namen gaben, Statthalter Christi, und Nachfolger des Apostels Petrus seyn wollten, aber gar nichts von dem Geist dieses großen Jüngers unsers Heilandes an sich hatten." — Ceterum verissima sunt, quae scripsit J. Frint, l. c. (n. 295.) 3. Jgg. 2. B. p. 118. „Dieser Rationalismus ist, so bald man consequent wird, eine unvermeidliche Folge der Reformation, und die Reformation enthält nichts in sich, kann ihrer Wesenheit nach nichts in sich enthalten, was dem Rationalismus Schranken setzen könnte, bis er mit allem Positiven rein fertig ist, und das Christenthum in einen reinen Deismus aufgelöset hat. So bald man diesem Streben Schranken setzt, wird man im Protestantismus inconsequent; man greift seine Grund-Principien an, nämlich das Princip, außer der Bibel keine andere Erkenntnißquelle der Offenbarung anzuerkennen, und diese Urkunde nur durch die Vernunft zu interpretiren." Quae postrema veritas praesentem doctrinam proxime attinet.

305) Luther, de servo arbitrio. Opp. tom. III. fol. 182. „Per spiritum sanctum, quilibet — certissime iudicat et discernit dogmata et sensus." — Barclaius, Apol. thes. X. §. 19. „Vir rusticus, qui ne vel elementum novit, quando Scripturam lectam audit, eodem Spiritu intelligere, et interpretari potest." Cf. Buddei hist. isagog. theol. Tom. II. p. 19. — Sed de his plura notare taedet; opinionum illinc ebullientium portenta sermone clarius loquuntur. Alioquin probantur verba M. Prechtl l. c. (n. 277.) p. 127. „Der Privatgeist — gehört unter die grundlosen Bilder der Phantasie. Bey den vielen Widersprüchen verschiedener Individuen, wie kann so ein Geist Statt finden? Jeder Privatgeist ist der Vater des Fanatismus, und die Mutter ewiger Uneinigkeiten. Selbst Luthers Freunde erkannten sehr bald die Unbesonnenheit ihres Meisters, welche in der Lehre des Privatgeistes auffiel." Fere sic scribit quoque Wiedenfeld, protestans l. c. (n. 199.) p. 52. „Dubitare non possumus, nisi in theologicis plumbei sumus, quin ostentum maxime sit de-

sola, utut hermeneuticis subsidiis informata, quod e diversis, saepe saepius discordibus interpretationibus sat clare perspicere licet, quas vel doctissimi, eximiis facultatibus ornati, — philologicis, logicis et historicis hermeniae praesidiis imbuti interpretes in effatis biblicis etiam maximi momenti proferunt [306]), et quae,

---

flebile, quum — sutoribus atque textoribus provinciam S. Scripturae interpretis tradunt." — Cf. J. Schunk, Notio dogm. S. Scripturae, Landish. 1772. p. 385. — R. Stier, Andeutungen für gläubiges Schriftverständniß. Königsberg. 1824. p. 94. 416. ss.

[306]) Hinc J. Probst, Ansichten über die prot. u. kath. Kirche, oder Darstellung der Gründe, die einen Protestanten bewogen, zur kath. Kirche zurückzukehren. ed. 2. Luzern, 1830. p. XVIII. scribit: „Ich muß das offene Geständniß meines Herzens ablegen: daß ich mich nämlich glücklich schätze in den Schooß der Mutterkirche zurückgekehrt zu seyn. Ich suchte früher Ruhe in der Welt, und fand sie nicht. Ich suchte die Wahrheit bei den Weisen dieser Welt, und bei den Gottesgelehrten, die das protestantische Deutschland am höchsten preist, und siehe! ich fand Widersprüche, offenbare Schriftverdrehung, Entstellung der Wahrheit." — Cl. D. Arendt in libello, quo rationes, quibus commotus a protestantismo ad Catholicam Ecclesiam redierit, exponit, praeter alia, haec profitetur: „Es ist dahin gekommen, daß der Eine (Marhaineckc Dogmat.) die Lehre von der Trinität anerkennt, und festhält; während der Andere (Wegscheider Instit. doc. Christ.) sie durchaus läugnet; ein Dritter (Bretschneider Dogmat.) sie für antiquirt erklärt, oder für aus Accommodation entstanden; ein Vierter (Schleiermacher, christ. Glaube 2. Th.) gar Nichts von ihr wissen will; ein Fünfter (Lange, Beiträg. zur Kirchengesch. 2. Abth.) sie nebenbei erwähnt; ein Sechster aber behauptet, fünfzehn Jahrhunderte hätten durchaus geirrt; was bisher Orthodoxie gewesen, seie eigentlich Heterodoxie." Cf. Speranza l. c. (n. 85.) p. 32. ss. — Inde repetenda ipsorum quoque protestantium lamenta: M. C. Hauff, Briefe vom Werth der Relig. Urkunden, Stuttg. 1814. p. 155. „Es wäre beinahe kein Wunder, wenn man bei den so verschiedenen Ansichten und Behandlungsarten der Bibel in die Versuchung

aliunde non refrenatae, fidei unitatem dissolverent [307]), — b.) Magisterium, mere humanum, cui tanta, ut

käme, der Meinung beizutretten, dieß Buch könne gar nicht erklärt werden, d. h. es gebe kein sicheres Princip der Erklärung.« — Judica iam, an non periculum sit, ne Scripturae locum occupet subiectiva quaedam et varia ratio, et Christianismi locum rationalismus! — Fr. Köppen (protestans), Philosophie des Christenthums I. Th. p. 172. 173. loquens de Comitis F. L. Stolberg conversione, ait: „Die Mannigfaltigkeit der Auslegungen und der dabei befolgten Grundsätze zeigt dem Protestanten ein Labyrinth ohne Wegweisung: wie soll er sich retten, wie soll er be- und erkennen, da es doch eine unerschütterliche Wahrheit geben muß! Selbst entscheiden? Das wäre zu kühn bei der möglichkeit des Irrthums! Entscheiden lassen durch Andere? Sie sind ja insgesammt Menschen, und mangeln der höheren Erleuchtung! — Da sehet sich der geängstigte nach unwandelbarer Satzung. — Um die feste Satzung zu gewinnen, wirft er sich dem Katholizismus in die Arme. In diesem ist eine äußere Auctorität des Glaubens, höher als die Vernunft, und die Vernunft ruht aus im Schatten derselben." — Ewald (protestans) l. c. (n. 304.) p. 34. „Der Teufel ist gläubiger, als manche unsere Exegeten." p. 40. „Mahomed war viel besser." — G. Seyffarth, Hermeneutik des N. T. Lpz. 1824. p. 11. „Keine Erklärungsart hat bis jetzt einzeln durchgängige (constante) Anwendung gefunden.« Quibus Censor in Winer's n. Krit. Journal. 4. B. 1825. p. 328. subiungit: „Dieß ist natürlich wahr, quot capita, tot sensus." — Germar l. c. (n. 6.) „Die Interpreten gelangten zu nicht bloß wesentlich verschiedenen, sondern sogar zu ganz entgegengesetzten Resultaten.«

[307]) Quippe anima unitatis, — certitudo doctrinarum, — in tanto interpretum dissensu, necessario perit. — Köppen l. c. (n. 294.) p. 94. „Für die Einheit des Buchstabens, und feste Ausscheidung der Lehrverschiedenheiten sorgt der Katholizismus durch die Annahme der Tradition, und Unfehlbarkeit der Kirche.«— Cf. Winers n. Krit. Journal. 6. B. p. 250. 8. B. p. 110. — J. A. H. Tittmann, de unitate ecclesiae evangelicae, Lips. 1826. — Hase l. c. (n. 266.) praef. p. 3. ait „nostro tempore sperare non licet, ut dissensio erudita deleatur." Quae

eidem omnes tuto acquiescere possint, imo et teneantur, non competit auctoritas [308]); — c.) Nec id sem-

---

perpendens G. C. R. Matthaei (ipse protestans) l. c. (n. 191.) p. XII. suspirat: „Die Exegese kann nicht so bleiben, wie sie jetzt ist; sie muß bestimmter seyn." — Pariter F. Lücke, Apologia Aug. Conf. Berol. 1817. praef. queritur de „turpibus et perniciosis systematum, veluti undarum, quarum altera supervenit alteram, varietatibus." — Et C. F. Brescius, (Superint. gen.) Apologien verkannter Wahrheiten der Christus-Lehre. Lpz. 1804. praef. pericula hinc imminentia sic deplorat: „Auch von den besten Köpfen (auditorum theologiae) ist es nur selten zu erwarten, daß sie in der ungeheuren Menge von Meinungen, welche sie von den Professoren vernommen haben, sich zurecht finden; die meisten waren vielmehr durch den Widerstreit der aufgefaßten Meinungen in einem Zustand der gänzlichen Unentschlossenheit, wo sie die Wahrheit suchen sollten." — Imo iam olim Luther, de veritate corporis Christi contra Zvingl. scripsit: „Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas Scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Concilii decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus." cf. (Kramer) fragm. I. p. 114. — Eichhorn in seiner allgem. Bibliothek der bibl. Literat. 7. B. p. 955. „Verschiedenheit der Auslegung wird immer bleiben; — sie muß bleiben, weil eine Einheit der Auslegung eben so nachtheilig seyn müßte, als Einheit des Glaubens (!!) So etwas verlangen hieße zur Geistesträgheit ermuntern." (!) — Liceat addere, quae notat Cl. Hug l. c. (n. 276.) p. 72. „Von dieser Zeit (1760—1780. da die symbol. Bücher bey Seite gelegt wurden) ist die protestantische Kirche nur noch durch die bürgerliche Macht äußerlich zusammengehalten, ohne irgend einen gemeinsamen Lehrsatz. Noch ein Punkt der Einheit kömmt ihnen zu statten, zusammen zu wirken als Opposition gegen die katholische Kirche."

[308]) Quis sufficienti auctoritate sensum Scripturae S. proponi credet, si verum omnino esse, certo non constat? — Si illi ipsi, qui eum proponunt, incerti sunt, an, quod proponunt, veritas, et non fors error sit? — Si alii hoc, alii aliud proponunt? — Profecto „prout religio positiva sine di-

per praestat solus respectus ad analogiam doctrinae, auctoritate infallibili stabilitam, quo caveatur, ne e SS. Literis sensus eruatur, illi analogiae repugnans. Sunt enim Scripturarum effata, quae tam perspicue dogma quodpiam exprimunt, ut in iis non tantum non contrarius analogiae doctrinae, sed nec diversus ab interpretatione ecclesiastica sensus (etsi ceterum ana-

viniore magisterio existere non potuit, ita sine pari auctoritate nec potest persistere. Quidquid enim de scripturarum certitudine amplissime praedicetur, interpres tamen nisi humanis praesidiis uti non potest, retinetque mediorum naturam, quidquid vel summo ingenio atque labore inde fuerit deductum. Suus cuique partus esse quidem potest certissimus; ut vero et aliis sit, effici non potest, quoniam et hic obtinet: tam hominem se putat, qui audit, ac qui docet." Vindiciae J. Jahn. Lips. 1822. p. 95. — Frint l. c. (n. 295.) 3. Jgg. 2. B. p. 145. „Die Quelle der geoffenbarten, positiven Lehre ist die unendliche, die unfehlbare Vernunft, und die Quelle, aus welcher diese Lehre erklärt wird, ist eine endliche, dem Irrthume unterworfene Vernunft. Welche Verschiedenheit! Wo ist hier die Bürgschaft, daß die endliche, der Verirrung ausgesetzte Vernunft dem geoffenbarten Satze den nämlichen Sinn unterlegen werde, welchen die unendliche und irrthumslose Vernunft damit verbunden hat? Soll diese Bürgschaft in dem Bewußtseyn liegen? — Allein in uns liegt das deutlichste Bewußtseyn der Irrthumsfähigkeit und der zahlreichsten wirklichen Verirrungen! Ist sie zu finden in der Erfahrung? — Die Erfahrung zeigt ein Chaos von Verirrungen, in welchem sich die armen Menschen von jeher verloren haben!" — J. Kant, Streit der drey Facultäten. Königsberg 1798. p. 17. „Da es keinen von Gott autorisirten menschlichen Schriftausleger gibt (ast Catholici de tali gratulantur omnino!), muß der biblische Theolog eher auf übernatürliche Eröffnung des Verständnisses durch einen in alle Wahrheit leitenden Geist rechnen, als zugeben, daß die Vernunft sich darein menge und ihre — aller höhern Autorität ermangelnde — Auslegung geltend mache." cf. Annalen der Lit. u. Kunst. Jahrg. 1810. 3. Bd. Wien 1810. p. 197. ss.

logiae doctrinae, universim spectatae, non adversus) adstrui queat, quin ipsa Catholica doctrina afficiatur et laedatur. Talia effata (sedes dogmatum dicunt) sunt e. g. Matth. XVI. 16—19. XVIII. 18. de Petri primatu, et indefectibilitate Ecclesiae; Joan. XX. 23. de potestate sacramentali remittendi vel retinendi peccata; Joan. I. 1. ss. de divinitate του λογου; Matth. XXVI. 26—28. de S. coena, seu institutione SS. Eucharistiae; Jacob. V. 14. ss. de extrema unctione. In similibus ergo, quo integritas doctrinae revelatae illibata, et unitas fidei salva persistat, ea ipsa amplectenda est interpretatio, quam ille idem instituit eminens interpres, qui dictam doctrinae analogiam auctoritate stabilivit irrefragabili. — Quapropter — neque enim aliud iam superest —

d.) Desideratum principium universim, semperque sufficiens unice esse potest magisterium publicum, stabile, perpetuum et infallibile, quod prout universim circa doctrinam revelatam, quam Deus hominibus innotescere, atque ab omnibus firmissima fide credi, moribusque exprimi voluerat, decidat infallibiliter, ita in specie quoad s. exegesim, quatenus haec fidei morumve loca respicit, vel, ubi ubi id occasio exposcit, sensum effatorum divinorum definiat, vel quacunque ratione caveat, ne sinistre intelligantur, — verbo, normam interpretandorum SS. Librorum praescribat omnibus inviolabilem [309]); — polleat quippe et hoc

---

[309]) Möhler l. c. (n. 265.) p. 402. „Wir mögen dem redlichen Willen der evangelischen Briefsteller allein nicht vertrauen, wenn es sich um die Grundlagen der Ueberzeugung handelt, daß sie sich in der Anwendung und Entwickelung des von und über Jesus Vernommenen nicht verirrt haben; aber gerade weil wir Dies nicht wollen, und nicht wollen können; beruhigen wir uns

in munere auctoritate divina, cui omnes secure assentiri et possint et teneantur. Hac unice ratione praecavetur doctrinae revelatae corruptio [310]), omnis de ea evitatur sententiarum ambiguitas, omnisque prudentis dubitationis praecluditur occasio. Sic demum fiet, ut doctrina, divinitus patefacta, pure et illibate innotescat hominibus, hique omnes in unitate fidei coniungi valeant.

Atque tale magisterium a Salvatore Optimo in Ecclesia sua, quam dono infallibilitatis insignivit, institutum esse, laeti gratique agnoscimus [311]), cui proin

auch hier bei den gewöhnlichen Mitteln nicht, die um den Sinn eines Autors zu erheben, in Anwendung kommen. Dies Alles, weil hier ganz andere Bedürfnisse zu befriedigen sind, als durch das Studium eines römischen und griechischen Classikers, — weil es sich um Erkenntnisse handelt, von welchen das Heil unsterblicher Seelen abhängt." cf. J. Pletz, über die Einsetzungsworte des h. Abendmahls. in d. theol. Zeitschr. v. Frint, 11. Jgg. 1823. 2. B. p. 304. ss.

[310]) J. Frint in seiner Zeitschr. 2. Jgg. 1814. 1. B. p. 204. „So lange wir uns an der Unfehlbarkeit der Kirche wie an einem Anker festhalten, kann uns der Strom des Rationalismus nicht fortreißen." — Et protest. Theremin l. c. (n. 300.) p. 106. „Zur Verhütung der Gefahr gibt es kein anderes Mittel, als ein festes Anschließen an — das kirchliche Element." p. 115. „Die evangelische Kirche ist völlig rathlos in diesen Rücksichten."

[311]) Ex adverso condolemus protestantibus, qui in Winer's n. krit. Journal 8. B. 1828. p. 111. suspirant: „Gäbe es eine göttliche Autorität in der irdischen Kirche, außer der h. Schrift, mithin zugleich ein wahrhaft authentisches Interpretations-Tribunal, wer wäre geneigter, sich dieser Autorität in die Arme zu werfen, als der Protestant!" Et Germar l. c. (n. 6.) p. 57. „Es bedürfte einer infalliblen Interpretation, die es nun einmal weder gibt noch geben kann." Ubi tamen ipse Luther an zwey Pfarrherren von der Tauffe a. 1528. Opp. Tom. 4. ed. Jen. p. D. Richzenhain 1560. fol. 320. asseruit: „Wir bekennen, daß in

SS. Literas, in quantum dogmata respiciunt, e professo exponenti, quisquis eius membrum esse volet, assentiri tenetur [312]).

Hinc liquet, quod Ecclesia in Concilio Tridentino congregata Sess. IV. Decr. de usu SS. Librorum, merito sibi ius vindicaverit S. Scripturam interpretandi, dum ita decerneret: „Ad coercenda petulantia ingenia, decernit (S. Synodus), ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione

---

dem Papstthum alles christliches Gut seye, und auch daselbst herkommen seye an uns; nehmlich — die rechte heilige Schrift ect.“ item wider den Hannswurst a. 1541. Opp. tom. 7. ed. Rebart Jen. fol. 417. „Gottes Wort, oder Wahrheit, und kein Irrthumb muß die Kirche lehren, weil Gottes Mund der Kirchen Mund ist. — Gott kann ja nicht lügen, also auch die Kirche nicht. — Die Kirche kann nicht irren, denn Gottes Wort, welches sie lehrt, kann nicht irren.“ — Ceterum quis non miretur, protestantes in auctoritate altiori, quam *Ecclesiae* effata biblica exponenti vindicamus, offendere, et tamen asserere: „*omnibus* hominibus, vel infimae conditionis divinitus datum esse, propositi dicti biblici sensum genuinum assequi.“ Hollaz l. c. (n. 281.) p. 169.

[312]) Profecto arridere non potest, quod scribit Cl. J. Jahn, l. c. (n. 121.) p. 98. „longe absumus, ut ad authoritatem ecclesiae catholicae de qua, ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus.“ — Virum hunc doctissimum h. l. notare oportuit quidem, ceterum „non consvevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia.“ S. Hieronym. Epist. 41. Tom. 4. P. 2. Edit. M. p. 346. — De hoc argumento cf. A. Lechner, kann die Bibel ohne Auctorität gelesen werden. Augsburg 1829. — Hug. l. c. (n. 276.) p. 67. ss. — C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 66. ss. — Czerny, l. c. (n. 55.) L. 2. p. 84—98. Gläser l. c. (n. 265.) — (Kramer) l. c. (n. 145.) fragm. VI. p. 105—287.

Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat." Opponunt quidem nonnulli, quod Ecclesia hoc Decreto sibi ius tribuat tantum iudicandi de sensu Scripturarum, non vero has interpretandi. Verum iudicare h. l. idem est, ac interpretari, iudicium enim fert Ecclesia, non de genuina lectione, aut de obiectiva veritate effatorum divinorum, sed exponit, quem sensum, ceu verum agnoscat. Et alioquin, si Ecclesia, quod quisque largitur, iure pollet iudicandi de interpretatione Scripturarum, profecto etiam iure gaudet easdem interpretandi. Ceterum sequenti Cap. et sensus huius Decreti exponetur, et antiquitatis ecclesiasticae adducentur testimonia, quae legi primae pariter, ac secundae robur addunt. Id unum hic notare lubet: quod ex praedictarum praerogativarum, quibus vera Christi Ecclesia pollet, semperque pollere debebit, indole intelligatur, Decretum hoc a Concilio Tridentino non esse latum pro illis solum temporibus, neque proin disciplinare esse [313]). Prout enim Ecclesia usque ad consummationem seculorum perstitura est, ita quoque praerogativas illas persistere necesse est, quem in finem Ecclesia nunquam non debebit SS. Literarum, quoad fidei morumque dogmata, expositionem suprema auctoritate dirigere. Accedit, quod, etiamsi concederetur [314]), Decretum illud unice ad disciplinam

[313]) Velut inter ceteros voluit A. Arigler, Hermen. Bibl. Gen. Vien. 1813. p. 34. — G. Riegler, Bibl. Hermeneutik. Augsburg, 1835. p. 152. cf. Der Katholik v. D. Weis. 59. B. 1836. p. 189. C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 76.

[314]) Quod tamen interpres Catholicus non facile concesserit, nam „wenn es sich um Sachen des Glaubens und der Sitten handelt, so kann wahrlich von Disciplinar-Verfügungen nimmermehr die Rede seyn. Nun aber spricht dieses Dekret deutlich

attinere, nihilominus tamen ipsa haec disciplina talis sit, quae, utpote in omnis aetatis experientia fundata, efficit, ut ad praecavendos quosvis abusus Decreto illo omnes obstringantur omni aevo: nuspiam enim defuerunt, et minime quidem desunt hodie, qui Scripturam ad suos sensus torqueant repugnantem [315]); ut adeo caussa, et occasio, quae Patres Tridentinos ad Decretum hoc ferendum provocavit,. hodiedum obtineat, itaque et Decretum pleno suo polleat vigore, est necesse.

§. 57.

Vindicatio expositi iuris Ecclesiae adversus quasdam accusationes.

Ex adductis praecedente §. liquet, quod Ecclesia Catholica non exerceat in suos tyrannidem, dum

aus, daß es seine Anwendung nur finde, in so weit die Erklärung der h. Schrift Bezug hat auf Gegenstände des Glaubens und der Sitten. Es heißt ausdrücklich: nemo in rebus fidei et morum ect." Vogl l. c. (n. 76.) p. 102. 103. — Der Katholik v. D. Weis. 59. B. 1836. p. 187. 188.

[315]) Jam olim S. Clemens Alex. Lib. 7. Strom. p. 753. edit. Paris. notavit: „Alii, cum seipsos dediderint voluptatibus, Scripturam torquent ad suas cupiditates." Quibus J. Pletz l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 203. animadversionem subiungit omnino egregiam: „Die Erfahrung der Kirche zur Zeit des Conciliums von Trient, und die Klage über das: torquere ad suos sensus, ist also so alt, als die h. Schrift selbst ist, und wird immer bleiben, so lange es stolze Menschen gibt. Wäre also auch das Kap. der 4. Session bloß zur Disciplin gehörig; so wäre dieses eine solche, welche gegründet in aller Zeiten Erfahrung den Canon gewiß zu einem allezeit verbindenden machte. Die neueste Zeit hat die uralte Erfahrung in einem fürchterlichen Grade bey denen bestätiget, welche den Canon nicht weiter verbindlich erachten, und sie sind am wenigsten geeignet, uns von ihrer Behauptung zu überzeugen."

Scripturae interpretationem suo subiicit iudicio. Quod enim Ecclesia facit, id iure optimo facit. Dein, sicut interpretis pure rationalis libertas per leges hermeniae rationalis non censetur esse restricta: ita nec Catholici interpretis libertas per speciales suas regulas restringitur; hae enim ex indole systematis Catholici sponte sua profluunt ita, sicut regulae pure rationales e ratione pura. Alioquin non facile perspicere licet, cur magisterium Ecclesiae libertati nostrae obesse dicatur, cum illud ad quodvis magisterium *humanum* nihil addat aliud, quam securitatem et certitudinem absolutam de veritate, quam ipse revelationis finis, et Dei, homines ab errore liberandi consilium, poscit. Verum ipsi protestantes, qui id Catholicis oggerunt [316]), dum libros symbolicos instar normae habent, ad quam interpretationem exigunt, aut dum privatas suas interpretationes populo obtrudunt, verum in se et in suos exercent tyrannismum, sicque illa laesae conscientiae libertatis accusatio in eorum recidit caput, qui accusant [317]). Fundamentale enim protestantium

[316]) Wiedenfeld l. c. (n. 199.) p. 65. de hac doctrina Catholica scribens, ait: „quis audeat suam scripturae interpretationem omnibus obtrudere, et in aliorum animos exercere imperium? Sane horreo superbiam illam, — — vincula horreo, quae libertati humanae conantur iniicere, horreo tribunal ect." Sed liceat his reponere, quae Kramer, l. c. (n. 145.) fragm. II. p. 104. leguntur: „Quomodo nulla ibi *humanae* auctoritatis vincula sint, ubi et universi, ad sic et non aliter credendum, magistri vero, ad sic et non aliter docendum, adstringuntur catenis formularum et iurisiurandi?"

[317]) J. L. Mosheim, Kirchenrecht der Protestanten; neubearbeitet von C. A. Günther. Lpz. 1800. p. 343. „Der Lehrer soll dadurch (durch die symbolischen Bücher) nicht verbunden werden, alles zu glauben, was in denselben steht. Es ist keine Glau-

principium est, omnem credendorum et agendorum complexum in S. Scriptura contineri, huius vero idoneum et competentem interpretem quemlibet esse, qui subsidiis hermeneuticis se instructum, aut se spiritu privato agi sentit, — atque singulos unice ad id, quod suismet ipsi oculis vident in Scripturis, credendum obligari. Dum ergo ministri ecclesiae protestanticae

---

bens- sondern nur eine Lehrvorschrift, wornach die öffentliche Unterweisung soll angestellt werden. — — — Wenn er nur das, was andere glauben oder geglaubt haben, erzählen soll, so ist es gleichgültig, ob er das, was er vorträgt, selbst glaubt oder nicht." — Quomodo iam divina magisterii auctoritas salva persisteret, si, quod qua ministri verbi Dei aliis, ceu puram proponunt veritatem, veritatem reipsa esse, ipsi nec credunt, nec tenentur credere! — Perit profecto existimatio religionis ministrorum; an enim tali digni sunt homines, Dei nomine praedicantes doctrinas, ceu divinas veritates, de quibus dubitant ipsi, quas ne ipsi quidem credunt? Quare J. P. Gabler ipse protest. in seinem Journal für theol. Literat. 2. B. 1801. p. 67. mox citatis verbis Cl. Mosheim subiungit: „und doch kann der rechtschaffene Lehrer nicht gegen seine Ueberzeugung lehren." Imo auctor libelli: Ueber die Grenzlinien der Aufklärung p. 33. candide fatetur, mirum haud esse: „Wenn man uns in die Klasse der alten Haruspiker setzt, von welchen Cicero sagt, daß, wenn sie einander begegneten, sie sich ohne Lachen nicht ansehen konnten." Miseranda profecto, hoc in systemate, rudium et indoctorum conditio, quibus in vicem Magisterii, ab errore immunis, dati sunt magistri, de quibus credere iidem rudes obligantur, et singulos et omnes simul, decipi ac decipere posse! — Hug, l. c. (n. 12.) p. 73. „Diese, (die weder Fähigkeit noch Vorbereitung besitzen, die Aussprüche der Offenbarung zu deuten), sagt man, müssen dem Prediger glauben; also wieder eine Auctorität, die des Predigers, der heut für wahr halten kann, was er morgen verwirft. ect." cf. Kramer, l. c. (n. 145.) fragm. II. p. 102. 104. 131—137. fragm. VI. p. 152. — Prechtl l. c. (n. 277.) p. 128. ss. — C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 77.

suam mere humanam intelligentiam tamquam verbum Dei populo proponunt, aut dum e SS. Literis aliud eruere non audent, quam quod in symbolis suis, humana auctoritate confectis, definitum legunt, adeoque ad credendam doctrinam alligantur, quam non ipsi, sed alii in Scripturis viderunt: nonne tunc tyrannidem in conscientias suas, et suorum auditorum exercent; id enim, quod humanum, quod errori obnoxium est, fide divina amplectuntur, et quod falsum esse potest, ceu infallibiliter verum suis propinant. Desinant ergo Ecclesiam Catholicam tyrannidis arguere, nam credere in infallibilem fidei divinae magistram, eique obsequi, non est iugum; alioquin ibi vera est libertas, ubi nullum est errandi periculum [318]).

---

[318]) Cic. L. 4. ad Herenn. „Is liber est existimandus, qui nulli turpitudini servit." et Acad. Quaest. L. 4. „pro veris probare falsa, turpissimum est." — Trevern l. c. (n. 278.) p. 159. „Wie kann ein gebildeter Mann sich soweit verirren, daß er glaubt, er würdige sich zu einem Sklaven herab, wenn er seine Privat-Meinung der gleichförmigen Meinung aller Bischöfe der Erde unterwirft? Nach seiner Meinung bestünde also die Freiheit darin, daß sich jeder Einzelne über jede vorgesetzte Macht erheben könne. Ist das aber nicht der höchste Grad von Stolz?"— Pariter „quisquis, quod firmatum securo de veritate auctoritatis testimonio creditur, coece credi putat, coecus ipse est; quid enim ad certam veritatis cognitionem, hocque ipso ad praestandam cognitae veritati fidem, efficacius esse potest, divino de veritate testimonio magisterii, Deo teste securi?" Kramer, l. c. (n. 145.) frag. VI. p. 125. Nihil itaque periculi subit libertas nostra sub auctoritate, quae ad securam duntaxat veritatis cognitionem pertinet; quin imo nonnisi illius moderamine fieri potest, ut „in necessariis unitatem, in dubiis libertatem, in omnibus caritatem" obtineamus, (S. August. ep. 54. al. 118. ad Januar. C. 2.) „atque fidem ecclesiae nostrae Catholicae, quae columna veritatis, inter omnia

Dein, etsi Ecclesia iudicet de S. Scripturae sensu, non tamen sequitur, Ecclesiam esse supra Scripturam, — neque, licet sensus Scripturae S. sine Ecclesiae iudicio authenticus non sit, sequitur, verbum Dei accipere firmitatem et robur a verbo hominum [319]). Nam — inprimis, si, quisquis de Scripturae sensu iudicat, supra Scripturam est: sequeretur, ipsos adversarios, et omnem privatum, dum Scripturas interpretantur, esse supra Scripturam; — e stabilito Ecclesiae

dissidiorum iurgia, manet, sequamur, eiusque iudicio stemus, et ceu normam agnoscamus directricem. Haec est ancora, cui interpres adversus fluctuantem errorem in sacris paginis interpretandis innitatur." C. L. Gratz, l. c. (n. 6.) p. 86. — Alioquin, si magisterium hoc repudietur: „so tritt denn an die Stelle der lebendigen Autorität die andere todter, in ausgestorbenen Sprachen geschriebener, Bücher, und, da diese, ihrer Natur nach, nicht bindend seyn kann, eine viel unwürdigere Sklaverei." Schelling, Vorlesungen über das academ. Studium. p. 200. — Egregie observat Hug. l. c. (n. 276.) p. 75. „Um in bürgerlicher Gesellschaft zu leben, haben unsere Väter einen Theil der Freiheit aufgegeben; wie können wir nun eine unbedingte Freiheit ansprechen, und doch in der christlichen Gesellschaft seyn?" cf. p. 82. ss. — L. Seitz, sind die Katholiken wirklich Unfreie. Sulzbach 1822. p. 51—112. — Kann der kath. Kirche ein gleicher Grad von Freiheit zugeschrieben werden als der protestantischen? in allgem. Kirchenzeitg. 1827. Nro. 56. ss. — Besteht die Glaubens-Freiheit nur da, wo außer der doktrinellen Schriftauslegung keine autentische anerkannt wird? im Katholik, v. Weis. 25. B. 1827. p. 156—166. — D. Czerny, l. c. (n. 55.) Lib. II. p. 106—109. — Vogl, l. c. (n. 76.) p. 111—113. — Geiger, das Prinzip der Authorität. sämmtl. Schriften. Ury. 1831. 4. Bd. p. 149. ss.

319) Wiedenfeld l. c. (n. 199.). p. 65. „Absurdum videtur, homines hominibus, errabundis babylonicum doctrinae iugum imponere errabundos." — Ast advertendum, sententiam Ecclesiae Cath. non recte dici verbum hominum, est enim vere eloquium Spiritus S. cf. Trevern l. c. (n. 278.) p. 160.

iure „id profecto tam parum sequitur, quam parum ex eo, quod praetor vel magistratus civilis de lege profana iudicet, eiusque sensum interpretetur, inferre fas est, praetorem vel magistratum supra legem se elevare, eique suum communicare robur. Dein, sicut iudicium praetoris vel magistratus non circa veritatem legis, aut eius falsitatem, sed solum circa genuinum eiusdem sensum versatur" [320]): ita nec Ecclesia sibi arrogat ius, de obiectiva veritate verbi divini iudicandi, seu „non ita iudicat de Scriptura, ut pronunciet, hoc esse verum, illud falsum, quod Scriptura docet; sed supposito, Scripturas esse verissimas, id tantum edicit, quae sit e pluribus vera earum expositio," et quis sit verus earum sensus; idque dum praestat, „non supra Scripturam, sed supra iudicia privatorum hominum collocatur, unde non Dei verbum, sed nostra intelligentia, nostraque de sensu Scripturarum persvasio ac certitudo robur sortitur ab Ecclesia et confirmationem" [321]).

Pariter, quod dicitur, hac Ecclesiae auctoritate iusto et vero in re exegetica progressui limites poni, vanum est: si enim omnia et singula illa effata biblica, quorum sensum Ecclesia definivit, secundum leges hermeniae rationalis rite expendantur, profecto ille idem, quem Ecclesia declaravit, et non alius eruetur sensus, ita, ut prorsus nullum exemplum contrarium proferri possit.

Neque demum ex illo Ecclesiae iure ac praecepto sequitur, usum hermeneuticae pure rationalis in exegesi Catholica negligi. Nam, sicut Deus, dum consi-

[320]) J. Schunk, notio dogmat. S. Scripturae, 1772. p. 387.

[321]) A. Viser, Hermeneut. S. N. T. Poson. 1785. P. III. p. 264.

lia sua et veritates divinas per revelationem nobis manifestavit, noluit, ut usum rationis nostrae negligamus, alias enim neque necessitatem revelationis perspiceremus: sic neque, cum authenticum revelatae doctrinae interpretem daret, id egit, ut purae rationi quidpiam detraheret; sed potius sicut ibi, ita et hic, benigne supplere [322]) voluit, in quibus ratio limitata deficit, illi ducem infallibilem praeficiendo, a quo adversus omnia erroris pericula custodiatur, idque ideo, ut religionis notitia sincera et integra conservaretur [323]). Pariter, quemadmodum scientifica dogmatum tractatio propterea inutilis non est, quod in rebus fidei iudicium supremum et infallibile Ecclesiae competat: ita etiam hermeneuticae rationalis praecepta ideo superflua non sunt, quia Ecclesia in declarando sensu Scripturarum, in quantum dogmata respiciunt, iudiciaria pollet auctoritate. Accedit, quod ipsa Ecclesia, dum longe maximam Scripturarum partem nostrae relinquit indagini, ad acuendum magis magisque intellectum non parum conferat. Atque ita utrumque evenit, quod Salvator Optimus intendit, ut nempe ratio quidem in scrutandis Scripturis exerceretur, simul tamen infallibilis vigilaret Ecclesia, ne illa in hoc exercitio ad errores dela-

---

[322]) „Salvum rationi humanae manet vetus magisterii ius, eousque, donec Magistrum se et peritiorem, et securiorem, missum de coelo, adesse intelligat." Kramer, l. c. (n. 145.) frag. V. p. 115. cf. Fragm. VI. p. 308—9. — J. Frint, Zeitsch. 4. Jgg. 1. B. 1816. p. 10. ss.

[323]) „Nautica acu divina, apostolicae interpretationis linea, opus est ad cursum rite dirigendum; et consummandum". Verulamius Conf. L. 2. C. 3. §. 43. p. 24. — Cf. Frint l. c. (n. 322.) p. 15. ss. — J. Pletz l. c. (n. 265.) 9. Jgg. p. 249. ss.

batur [324]). Sed hermeneuticam pure rationalem in exegesi Catholica non negligi, clarissime patebit e solutione quaestionis:

§. 58.

Quas partes regulis pure rationalibus concedit interpres Catholicus?

Maximas. Eae quippe usui sunt Catholicis: 1. Cum Libros SS. ex ea parte spectantes interpretamur, qua cum libris mere humanis conveniunt. 2. Dum quoad S. Scripturae effata, per Ecclesiam Catholicam solemniter explanata, docere contendimus, authenticam interpretationem cum doctrinali esse identicam, seu interpretationem Ecclesiae etiam per regulas pure rationales probari et commendari. 3. Dum ceteram, eamque longe maximam S. Scripturae partem, cuius sensum Ecclesia necdum declaravit, interpretamur. 4. Dum S. Scripturae divinam auctoritatem, vel Ecclesiae infallibilitatem ex ipsis SS. Literis comprobamus; hanc quippe probantia Scripturarum effata iuxta rationalem hermeniam et traditionem, quae paris est cum Scriptura auctoritatis, iuvat exponere. (Sed haec effata ceteroquin clara sunt adeo, ut sensus citra operosam indaginem mox pateat.) [325]) — 5. Dum circa stabiliendum S. Scripturae sensum cum tali negotium nobis intercedit, qui divinitatem SS. Literarum, aut

[324]) „Praesto est auctoritas, cui tuto te committas, ubi ratio fluctuat: cui tuto credas, ubi scire nihil possis: paucis, ubi humanae desinit limes scientiae, lucidior conterminat fides divinis innixa promissis." Vindiciae Joan. Jahn. 1822. p. 97.

[325]) Plura de hoc momento exhibet Zeitschrift für Philos. u. Kath. Theol. von D. Achterfeldt ect. 14. Hft. Köln, 1835. p. 211. s.

Ecclesiae auctoritatem non agnoscit; cum adversariis enim paribus armis pugnandum est. Denique 6. Dum adaequatam SS. Librorum versionem adornamus[326]). — Facta, puncto 2.) mentione effatorum SS. ab Ecclesia explanatorum, opportune quaeritur:

§. 59.

Unde cognoscitur sensus S. Scripturae ab Ecclesia declaratus?

Cognoscitur: 1. E definitis Conciliorum Decretis. Effata, quorum sensum Ecclesia e professo declaravit, praeter alia plura, sunt fere sequentia: Concilium Sardicense (a. 347), quod passim ceu appendicem Concilii Nicaeni 1i suspiciunt, impiam et vitiosam appellat interpretationem, qua verba Joan. X. „ego et pater unum sumus," de mero consensu et concordia exponuntur, simulque affirmat, verba illa, de unitate substantiae, quae in Patre et Filio unica est, intelligenda esse. Concilium II. Nicaenum, quoad verba Exod. XX. 4. „Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem," definivit, hoc praeceptum ad Hebraeos pertinuisse, et cultui imaginum non obstare. — Concilium Tridentinum declaravit: Sess. V. Decreto de peccato originali, verba Rom. V. 12. „Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt," de peccato originali sonare. — Sess.

326) De his cf. Vindiciae J. Jahn 1822. p. 40. ss. — In vindicias J. Jahn animadversiones Commilitonis, Jaurini 1822. p. 37. ss. — J. Frint. Zeitsch. 3. Jgg. 2. B. p. 146 ss. — J. Pletz l. c. (n. 265.) 9. Jgg. 1. Bd. p. 249. ss. 261. ss. — M. Dobmayer, Syst. Theol. Cath. App. ad Tom. 4. Solisb. 1813. p. 173—176.

VII. de Baptismo Canone 2. verba Joan. III. 5. „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S." proprie esse intelligenda de aqua naturali ceu necessaria materia Baptismi. — Sess. XIII. de Eucharistia, Cap. 1. verba Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. 1 Cor. XI. „Hoc est corpus meum ect." sensu proprio esse sumenda de reali praesentia Domini nostri Jesu Christi in SS. Eucharistiae Sacramento. — Sess. XIV. de Poenitentia Cap. 1. et Can. 3. verba Joan. XX. 23. „Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt," sonare de sacramentali potestate remittendi vel retinendi peccata, non vero de potestate praedicandi Evangelium. — Sess. XIV. de Extrema Unctione Cap. 1. Can. 1. verba Jacobi V. 14. „Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei," exponenda esse de Sacramento extremae unctionis, et non de donis extraordinariis sanandi aegrotos [327]).

[327]) Juvat hic notare, esse nonnullos, qui expositum §. 56. ius Ecclesiae ideo in dubium vocent, quod Ecclesia hoc iure non semper utatur, neque integram S. Scripturam exponat. Verum, — praeterquam, quod adducta nunc effata sacra minime pauca sint et insuper gravissima respiciant dogmata, — illud tam est ridiculum, quam si terrae principis aut status ius, sic dictum eminens, in omnes privatorum facultates ideo in dubium vocaretur, quia non omnes singulorum facultates in suos convertit usus. Potius, sicut bonus civis, pronus esse debet, ut, quotiescunque iure suo eminenti imperans, aut status uti vult, facultatibus suis renunciet: ita etiam verus et cordatus Catholicus, — supremum ac eminens ius Ecclesiae, antiquae pariter ac hodiernae, Scriptu-

2. E sententia Ecclesiae dispersae; iuvabit nempe interpretem respicere mentem, quam maior et sanior pars membrorum Ecclesiae Catholicae de S. Scripturae sensu fovet [328]).

CAPUT. II.

LEX SECUNDA ET TERTIA.

§. 60.

Fundamentum legis secundae.

Fundamentum legis secundae superstruitur conceptui de SS. Patribus qua repraesentantibus antiquae Ecclesiae, et testibus traditionis divinae exegeticae; scilicet

1. Ecclesia tam congregata in Concilio, quam dispersa, omni seculorum decursu, eodem infallibilitatis gradu pollet, eademque divina assistentia gaudet antiqua, qua hodierna Ecclesia; antiquae autem Ecclesiae repraesentantes spectatissimi sunt ii, quos Patres dicimus, et quod ipsi, unanimes, certa sententia, in

ras interpretandi agnoscens, — prono animo esse debet, amplecti ecclesiasticam interpretationem, quoties talem in scriptis Patrum deprehenderit, aut Ecclesia, adiunctis ita poscentibus, iure suo utendum esse rata, Scripturam exposuerit.

328) Cf. J. Mezger, Instit. S. Scripturae, Salisburg. 1680. p. 305. — Tabulas V. N. F. intptdi. Lex Cath. vindicata 1816. §. XII. — J. Pletz, l. c. (n. 265.) 9. Igg. p. 253. — J. Alzog l. c. (n. 199.) p. 94—99. — Möhler l. c. (n. 265.) p. 382. ss. — Dobmayer l. c. (n. 326.) p. 157—160.

rebus fidei morumve enunciant, id antiquae Ecclesiae infallibilis sententiam exprimit [329]. Si igitur ipsi, moraliter omnes, in eandem effati cuiusdam dogmatici expositionem conspirent: haec expositio est ipsius Ecclesiae, seu ipsius divini interpretis, adeoque omni Catholico amplectenda.

2. Unanimis consensus Patrum est firmum et validum divinae traditionis, ab Apostolorum aevo ad nostra usque tempora quam integerrime propagatae, argumentum: sunt enim Patres vincula illa aurea, ope quorum traditionis non interrupta catena ad nos usque pertingit. Jam autem SS. Patres non tantum respectu articulorum fidei ferre valent testimonium, sed etiam circa sensum SS. Literarum. Quippe Apostoli et discipuli Jesu, quemadmodum eloquia Dei sive viva voce, sive scripto proposita in Ecclesiae custodiam tradiderunt, ita quoque eorundem, inprimis praecipuorum, vel quae difficilius intelligebantur, aut fors minus recte exponebantur, germanum sensum suis auditoribus profecto indigitarunt; postulabat, imo secum ferebat id illa prorsus paterne sollicita ad infantiam suorum filiorum demissio, de qua Paulus Apostolus saepe loquitur, et cuius, quoad praesentem in specie materiam, vestigium recurrit 2 Petri III. 15. 16. „Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini, sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam

329) Vogl, l. c. (n. 76) p. 78. „Ist von den h. Vätern, als Traditoren des Christenthums, die Sprache, so erscheinen sie uns nicht mehr als Privatpersonen, sondern gleichsam als die Repräsentanten der gläubigen Vorzeit, gleichsam als die Durchgangs- und Einigungspunkte der h. Lehre. Sie sprechen als solche nicht ihre subjective Ueberzeugung aus, sondern den Gesammtglauben der Kirche."

scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant: sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem." Memorari merentur, quae hanc in rem scripsit Bernardus Lamy [330]): „Satagebant Apostoli non solum verba tradere, sed et verborum suorum veram mentem explicare iis, quos eligebant in successores, ut et ipsi alios doctrinae suae facerent haeredes; unde his verbis ad Timotheum scribit Paulus 2 Tim. II. 2. : Et quae audisti a me per multos testes, haec commoda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere." [331]) Hae

[330]) Apparatus Biblic. Tyrnav. 1772. Lib. 2. Cap. 15. p. 426.

[331]) Adde: 2 Thess. II. 14. — 1 Cor. XI. 2. — 2 Tim. I. 13. 14. — 2 Joa. 12. — Illustre hanc in rem testimonium exstat apud Eusebium Histor. eccles. L. 3. C. 39. ubi auctor haec Papiae verba refert: „Si quis mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quaenam essent seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthaeus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent: — neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce." — Comes Stolberg, Geschichte der Religion Jesu, tom. 7. p. 370. „Wir werden die Erbarmungen Gottes nie genug preisen können für die Bücher der göttlichen Offenbarung; aber dennoch würde uns ihre Erhaltung nicht vor Spaltungen und Irrthümer sichern, wenn der Sohn Gottes seiner Kirche nur die Aufbewahrung, nicht auch die Ueberlieferung der apostolischen Deutung derselben vertraut, und sie dadurch zum Grundpfeiler der Wahrheit gemacht hätte." — Münscher, (protestans) Handbuch der christ. Dogmen-Geschichte, tom 1. §. 73." Man sah die Tradition für nöthig an, um die richtige Erklärung der h. Schrift aufzufinden, und um sich vor den verkehrten Auslegungen, welche die Ketzer sich erlaubten, zu hüten." — Commilitonis (G.

„graviorum locorum interpretationes in memoria pastorum Ecclesiae conservabantur, ab his rursus suis discipulis et successoribus communicabantur, donec per SS. Patres oblata occasione scripto consignaren-

---

Fejér) in Vindicias J. Jahn Animadvers. Jaur. 1822. p. 28. „Quis dubitet, originales ecclesias, non tantum praehabitos libros, verum sensus quoque eorum, ecclesiis aliis communicasse? — — Accessit eorundem sensuum, qui libris continebantur, praeexistens ubique ex Apostolica praedicatione recens plantatio, hocque ipso sensuum praedicatorum, qui iam praeexistebant, harmonia cum scriptis; quanta claritatis ad sensus scriptos ex iis accessione, qui praedicatione iam cogniti ubique fuere! — — Adde consvetudinem, praehabitos libros diligenter, et privatim legendi, hocque modo acceptos auditu sensus diligenter cum sensibus scriptis comparandi, ac veluti in his vivendi, — et palam in publicis fidelium conventibus praelegendi, atque iuxta sensus et communicatos a matricibus ecclesiis, et praedicatione acceptos, explicandi fidelium multitudini! Qui in hac Librorum SS. tractatione, originalium sensuum conservationem haud videt, talpa coeciorem esse oportet." cf. Möhler, Einheit der Kirche ect. p. 317—320. — C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 69. 70. — Kozelka l. c. (n. 4.) 5. Jgg. 2. B. p. 298. 299. — Verissime itaque scribit Fr. Brenner, Darstellung der Theologie in den Ideen des Himmelreichs. Bamberg. 1815. 1. B. p. 26. „Zur Erklärung eines jeden alten menschlichen Buches wird das Alterthum studiert, und gleichzeitige oder spätere Schriftsteller müssen Licht in die dunkeln Stellen bringen: warum will man sich nicht auf eine gleiche Art bei jenem alten, göttlichen Buche behelfen? Bei göttlichen Aussprüchen darf man sich mit seiner subjectiven Deutung nicht begnügen; willkommen muß da jedem das Alterthum seyn, weil es nach den Vorschriften der Apostel geformt, und in seinen Ueberlieferungen ein sprechender Commentar dessen ist, was der todte h. Buchstabe in sich fasset." Cf. J. M. Sailer, Grundlehren der Religion. München 1814. p. 475. ss. — Lessing, theologischer Nachlaß. Berlin 1793. p. 47. ss.

tur" [332]); ut adeo dubitandum non sit, multa esse in expositionibus SS. Patrum, quae ab ipsis Apostolis descendant. Quapropter merito sane licet adstruere, sensum, quem illi e loco quodam dogmatico unanimiter eliciunt, amplectendum esse. Unanimis enim virorum horum, ingenio, cultura, natione, aetate, loco ab invicem differentium et dissitorum consensus non e scientia atque eruditione eorum derivandus est, sed ex eodem traditionis Apostolicae fonte divino [333]).

3. Grave robur argumentis allatis accedit inde, quod tota antiquitas ecclesiastica S. Sripturam iuxta

---

332) D. Czerny, l. c. (n. 55.) Lib. 2. p. 116. et 131.

333) „Quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt." S. Augustin. contra Julian. Lib. 2. C. 9. Cfr. Epiphan. haer. 75. — Alexand. d' Argonne, de optim. method. leg. Eccl. Patr. P. I. August. 1756. C. 3. p. 14. „Ubi SS. Patres quidpiam ad fidem pertinens unanimi sententia definiunt, illis aeque firmiter adsentiendum est, ac Spiritus S. oraculo; neque enim in unam, eandemque sententiam, nisi Spiritu S. auctore, convenire uno animo possunt." cf. Melch. Can. Loc. theol. L. 7. C. 3. — Schelling, akademisch. Vorlesungen ect. „Das harmonische Zeugniß aller apostolischen Gemeinden ist nichts anders, als der Wiederhall des lebendigen Wortes, das sich durch Christus und seine Jünger fortdauernd ausspricht." — Ceterum de hoc argumento cff. Czerny l. c. (n. 55.) p. 115 — 117. Vogl, l. c. (n. 76.) p. 39. Paralipomena super exegesi bibl. Sabar. 1817. p. 470. ss. — Dissert. de div. auctoritate LL. deutero-can. U. T. Jaur. 1819. p. 235 — 247. — A. Viser, l. c. (n. 8.) P. III. p. 270 — 274. — D. Tobenz, l. c. (n. 238.) P. II. p. 431. ss. — Möhler, l. c. (n. 265.) p. 388. ss. — Vindiciae J. Jahn. p. 114. ss. — Geiger, l. c. (n. 265.) p. 29. — J. Frint, Zeitschr. 3. Jgg. 2. B. p. 124. ss. 4. Jgg. 1. B. p. 10—19. — Alzog, l. c. (n. 199.) p. 52. ss. 100. ss. — J. Láng, Patrologia, Budae 1809. p. 249. ss. 274. ss. — F. Kerz, Kath. Lit. Zeitg. Jgg. 1836. 3. B. p. 82. ss.

traditionem Maiorum exponendam esse doceat; e testimoniis longe plurimis [334]) praecipua attulisse sufficiat:

S. Irenaeus Lib. 4. adv. haer. C. 26. scribit: „Ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis, ecclesiae successio.— —Hi enim et fidem nostram custodiunt, — — et scripturas sine periculo nobis exponunt."

S. Clemens Alex. Lib. 7. Strom. (edit. Oxoniens. 1715. Tom. 2. p. 892.) scribit: „Illos, qui adversus ecclesiasticam traditionem scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse".

Origenes Tractatu 29. in Matth. (edit. Maur. Tom. 3. p. 864.) praecipit, Scripturam non esse aliter exponendam, „nisi quemadmodum per successionem ecclesiae tradiderunt nobis."

Opus non est, effata S. Basilii et Gregorii Nazianzeni adducere, de his enim Rufinus Hist. eccl. Lib. 2. Cap. 9. (edit. Frob. p. 254.) testatur: „Ibi (in monasterio) solis divinae scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumtione sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos, ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat."

S. Hieronymus in epist. ad Eustochium (edit. Maffejanae Tom. I. p. 720.) postquam nonnulla S. Scripturae effata exposuit, subiungit: „praestiti, ut docerem, quod didiceram, non a me ipso, id est, a praesumtione mea, pessimo praeceptore, sed ab illustribus eccle-

---

334) Cf. J. Pletz, l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 66—106. 199—248. — 13. Jgg. 1. B. p. 3—49. 316—366. — 2. B. p. 3—33. — Tobenz, l. c. (n. 238.) p. 432. ss. — Láng, l. c. (n. 333.) p. 280. 281. — Vogl, l. c. (n. 76.) p. 88—98.

siae viris." — Atque Comment. in Dan. C. XII. p. 724. „Scripturae S. intelligentiam absque Dei gratia et doctrina maiorum sibi imperitissimi — vindicant."

4. Firmissimum autem lex haec capit praesidium e Decretis Conciliorum; sic

In Concilio Milevitano II. an. 416. Cap. 2. decreverunt Patres, verba S. Scripturae, signanter Rom. V. „non aliter intelligenda esse, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica semper intellexit." (cf. M. L. Bail, Summa conciliorum omnium. Patavii 1723. Tom. 2. p. 124.)

Concilii Trullani an. 692. Canon 19. sic sonat: „Oportet eos, qui praesunt ecclesiis, clerum et populum docere, — ex divina scriptura colligentes intelligentias et iudicia veritatis, et non transgredientes iam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed et si ad scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo ecclesiae luminaria, et doctores suis scriptis exposuerunt." (cf. Bail l. c. T. 1. p. 336.)

Concilium Viennense II. oecum. XV. an. 1311. cum de sensu effati S. Joan. XIX. „Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum iam mortuum" ect. quaereretur, ita loquitur *in Breviatione Canonum, de summa Trinitate:* „Nos ad SS. Patrum et doctorum communem sententiam apostolicae considerationis aciem convertentes — declaramus ect." Concilium igitur, dum de intelligentia SS. Literarum pronunciat, sensum a Patribus communiter propositum instar normae habet, eosque ceu duces intelligentiae sequitur. (cf. Bail, l. c. Tom. 1. p. 461.)

Concilium Lateranense V. sub Julio II. et Leone X. an. 1512—1517. Sess. 11. hanc statuit legem: „Mandamus omnibus (qui evangelicam veritatem po-

pulum docturi essent), ut S. Scripturam iuxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, — explanent." (cf. Bail l. c. Tom. I. p. 611.) Denique

Concilium Tridentinum Sess. 4. Canonem SS. Literarum systemati Catholico conformiter exponendarum solemniter praescripsit: „Ad coercenda petulantia ingenia ect" cf. supr. §. 56. — Id ipsum autem, quod Concilium his verbis praecipit fidelibus, id facto quoque ac exemplo suo tum comprobat tum commendat; dum enim sensum effatorum biblicorum exponit, simul provocat ad Ecclesiae et SS. Patrum unanimem interpretationem, et eam, tamquam a Maioribus ex apostolica traditione per manus acceptam, fidelibus tenendam proponit, anathema dicens illis, qui negarent, illum esse verborum ss. sensum, quem Ecclesia ex unanimi SS. Patrum consensu tenet. (cf. §. 59.) — Citatum Concilii Tridentini Decretum non omnes exponunt aequaliter, eapropter iuvat paucis agere:

§. 61.

De sensu Decreti a Concilio Tridentino circa interpretationem SS. Librorum editi.

Non desunt inter recentiores interpretes Catholicos [335]), qui asserant Decretum Concilii Tridentini

---

[335]) Quos inter facile eminent: J. Jahn, l. c. (n. 18.) 1. Th. Wien 1802. p. 318—322. — et Enchiridion Herm. Gener. Vien. 1812. p. 41. — A. Arigler, Herm. Bib. Gen. Vien. 1813. p. 31—34. — (J. Tumpacher) in Vindiciis J. Jahn. Lips. 1822. p. 106. 119—189. — Láng, l. c. (n. 333.) p. 279. — S. Hayd, l. c. (n. 72.) p. 70. — G. Riegler, bibl. Hermeneutik. Augsburg 1835. p. 152. — Alzog, l. c. (n. 199.) p. 28. ss. 98 — 106. — Möhler, l. c. (n. 265.) p. 390.

de Scripturis interpretandis esse mere *negativum:* quo proin non praecipiatur, ut sensum S. Scripturae, quem Patres consentientes et Ecclesia profitetur, interpres Catholicus quoque sequatur, — sed unice caveatur, ne quis Catholicorum proferat interpretationem, quae analogiae doctrinae, ab Ecclesia Catholica propositae, atque consensu Patrum firmatae, repugnaret; atque hinc adstruunt, integrum esse, interpretationes repudiare, quamquam eas integra Patrum cohors probaret, iisque repudiatis novas proferre. — Fulcire conantur hocce suum assertum eo, 1. quod Patres Concilii Trid. Decretum edendo formula negativa usi fuerint. 2. Quod hoc Decretum latum fuerit unice contra protestantes, qui SS. Literas ita interpretabantur, ut veterem Ecclesiae Catholicae fidem subruerent. 3. Quod ipse Pallavicinus scriptor historiae Concilii Trid. affirmet, Caietanum non repugnare Decreto Concilii Trid. quamquam, reiectis expositionibus Patrum, novas protulerit. 4. Quod idem Pallavicinus testetur, „Concilium neque praescripsisse, neque coarctasse novis legibus rationem intelligendi Dei verbum, sed declarasse illicitum, et haereticum, quod suapte natura sua erat huiusmodi, et prout semper habitum et declaratum fuerat a Patribus, a Pontificibus, a Conciliis." denique 5. Caussae suae consulturi docent, per verba Concilii „sensus Ecclesiae" et „consensus Patrum" non sensum et interpretationem Scripturae, sed doctrinam et fidem Ecclesiae ac Patrum intelligendam esse.

Ego ex adverso defendo, memoratum Decretum positivi praecepti vim habere, et omnino tale esse, quale Hermeneuticae Catholicae Lege I. et II. expressi. Atque hoc nunc tum ex indole et occasione lati

Decreti, tum auctoritate laudati Pallavicini, aliorumque ita evincam, ut simul palam fiat, quam infirmo fundamento innitatur sententia adversa. Itaque

1. Initium duco a verissima regula hermeneutica: a.) Sensus ab auctore immediate intentus est tantum unus: sed eo ipso etiam non plures, sed una tantum unius eiusdemque loci interpretatio potest esse vera. b.) Expositio, quae proficiscitur a divino interprete, non potest non esse vera, atque ideo cunctae, ab hac discrepantes, falsae sunt. c.) Cum sola divini interpretis expositio sit vera, haec sola amplectenda, reliquae omnes repudiandae sunt: qui enim illam solam veram amplecti nollet, ei aut abstinendum esset ab interpretando, aut falsis interpretationibus obsecundandum, nec enim aliud superest. Sic eg. cum unus tantum Deus existat, hic solus adorandus est: qui hunc nollet adorare, ei ab omni cultu foret abstinendum, aut certe in falsorum deorum cultum prolaberetur, unus enim verus Deus excludit omnes alios. Unde d.) quemadmodum prohibitio: „non adorabis deos falsos”, suapte includit obligationem, verum Deum adorandi: seu, prout negativum hoc praeceptum, vim positivi habet: ita etiam prohibitio: noli interpretari expositioni divini interpretis repugnanter, vim habet positivi decreti: „ergo interpretare iuxta, — seu ipsam illam expositionem amplectere, quae a divino interprete proficiscitur”; tertium enim ut nec contra, nec iuxta, sed praeter interpreteris, implicat; nam una tantum interpretatio vera esse potest, quia et unus tantum loci unius sensus ab auctore immediate intentus est [336]).

[336]) De dictis cf. J. Alber, Instit. herm. N. T. Tom. I. Pest. 1818. p. 148. ss. — Tobenz, l. c. (n. 238.) p. 439. ss. — Commilitonis l. c. (n. 331.) p. 56. 66. — Vogl, l. c. (n. 76.)

— Haec iam generalia principia de divino interprete, atque una, sola vera, eius expositione, si ad Ecclesiam Catholicam, eiusque repraesentantes ac testes spectatissimos, Patres, applicentur, ita licet argumentari: — Omnis, qui Catholicam profitetur fidem, Ecclesiam, ceu divinum interpretem verbi divini suspicere tenetur: ex hoc autem iure, quo Ecclesia gaudet, interpretandi Scripturas auctoritate divina, sponte consequitur, quod, quotiescunque Ecclesia effata biblica, ad res fidei morumve spectantia, non obiter, sed ex instituto interpretatur, eius expositio sit sola vera, omnes aliae discrepantes sint falsae; ita igitur expositum s. effatum aliter non licet interpretari, quam Ecclesia idem interpretata est, et quidem ita, ut non tantum non liceat interpretationem proferre, quae ipsi analogiae doctrinae Catholicae repugnaret, sed incumbat obligatio, ipsam illam interpretationem, quam Ecclesia proposuerat, amplecti. Sic verba Christi apud Joan: „quorum remiseritis peccata ect". non tantum non licet ita interpretari, ut doceatur, sacerdotes carere potestate sacramentali remittendi peccata, id enim analogiae doctrinae repugnaret; sed nec licet (prout quibusdam placuit), interpretari de facultate, praedicandi Evangelium, aut homines in coetum Christianorum recipiendi, vel inde excludendi, — quamvis hic sensus analogiae doctrinae non adversetur; sed exponenda sunt positive, de ipsa potestate

p. 101. ss. — inprimis vero Dr. F. C. Wieser, Vertheidigung des gebührenden Ansehens, u. des wahren Sinnes einer Stelle in Trid. Decret. de editione et usu SS. LL. — in d. neu. theol. Zeitschr. v. Dr. J. Pletz, 10. Jgg. 5. Hft. 1837. p. 175. ss. et quam maxime 6. Hft. p. 302—31. ubi multa, huc et ad ss. §§. spectantia, egregie proposita invenies.

sacramentali: de hac enim verba haec Ecclesia exposuerat, cuius expositio debet esse vera, omnis autem alia discrepans, utut analogiae non repugnans, est eo ipso falsa, quia una tantum interpretatio potest esse vera. — Idem de SS. Patribus valet, velut Ecclesiae antiquae repraesentantibus: si itaque hi in expositione effati dogmatici consentiunt, exprimunt interpretationem Ecclesiae antiquae, quae vera est, adeoque amplectenda. — Patet ex his, Decretum Concilii Tridentini, positivi praecepti vim habere, idque eo quoque confirmatur, quod Pius IV. Summus Pontifex in formula iuramenti professionis fidei, idem Decretum authentice interpretatus, formam Concilii negativam forma positiva expresserit in hacc verba: „S. Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet S. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione SS. Scripturarum admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor." Verum hanc

2. Orthodoxam interpretandi rationem primus vitiavit Cardinalis Thomas Caietanus († 1534.), qui praefat. in Comment. in Pentateuch. ita scribit: „Si quando occurrerit novus scripturae sensus, textui consonus, — quamvis a torrente doctorum sacrorum alienus, aequos se praebeant censores." Et paullo inferius ita prosequitur: „Non itaque detestctur (lector) novum scripturae sensum ex hoc, quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum scripturae, et, si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem scripturarum sensibus priscorum doctorum, sed scripturae integrae sub catholicae ecclesiae censura, alioquin spes nobis erepta esset, exponendi scripturam sacram, nisi trans-

ferendo, ut aiunt, de libro in quinternum." — Propter hanc doctrinam Caietanus non tantum reprehensus fuit a plurimis, signanter a Melchiore Cano [337]), et a Cardinale Sfortia Pallavicino [338]) suo alias patrono; sed

[337]) Vir hic doctissimus, qui ipse quoque Concilio Trid. interfuerat, ita scribit, de locis theol. Bassani 1746. Lib. 7. Cap. 3. Conclus. 5. p. 219.: „Pauca de fama Cajetani dixero. Ego virum hunc, — semper feci maximi. Plurimum enim ecclesiam Christi suis literis iuvit. Longum est autem hominis commendare sive eruditionem sive ingenium: molestum etiam universa ipsius opera commemorare. Illud breviter dici potest, Caietanum summis aedificatoribus ecclesiae parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cuiusdam leprae admixtione foedasset, — et literas sacras suo arbitratu exposuisset. — Nam et vetustae traditionis parum tenax, et in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa, sed maiorum traditione, vera scilicet verbi Dei clave aperuerunt. Ita, quum plurima scripsisset egregie, vertit ad extremum omnia, et novis quibusdam scripturae expositionibus aliorum, quae vel gravissime dixerat, aut elevavit, aut imminuit certe auctoritatem. Invitus quidem facio, ut doctissimum virum nomine etiam expresso reprehendam, sed cum nominis et gloriae celebritas hoc loco a Lutheranis obiiceretur, notandam temeritatem putavi." Et p. 220. concludit: „Haereticorum itaque et schismaticorum communis fuisse videtur Caietani illa sententia."

[338]) Qui Histor. Concilii Trid. Aug. Vind. 1755. P. I. Lib. 6. Cap. 17. Nro 2. p. 240. ita habet: „Quod attinet ad Caietanum, qui eum ex editis in sacras literas commentariis aestimat, perinde se habet, ac qui non ex pennis, sed ex pedibus pavonis pulchritudinem aestimat; nempe accidit, ut hominis praecella mens, in aliis quidem operibus admirabilis, in his ducem secuta, hebraicae magis grammaticae, quam divinae sapientiae gnarum, (Caietanus nempe, ignarus lingvarum biblicarum, in adornanda versione opera magistri hebraei usus fuit,) iacuerit ingloria. Quin in eos Caietani Com-

neque defuerunt, qui eum haereseos nota signarent, prout idem Pallavicinus (l. nunc c.) testatur. Sicque factum est, ut citato Concilii Trid. Decreto, non tantum Lutherani sed et Caietanus praeberet occasionem. Id quod clare testatur Paulus Sarpi [339]) referens: „Circa articulum de sensu sacrae Scripturae, doctrina a Cardinali Caietano olim tradita, diversimodis sermonibus dedit occasionem. Ille enim docebat, quod ipsum facto quoque comprobavit, novum Scripturae sensum, quando cum textu concordat, et neque cum aliis Scripturae locis, neque cum fidei doctrina pugnat, reiiciendum non esse, etiamsi torrens doctorum ad alium sensum confluat. — — Qui contrariam sententiam tuebantur, asserebant, — effrenata hominum ingenia cohibenda esse, alioquin nullum fore contentionum finem." Quod ipsum revera a Concilio decretum fuit. Firmatur haec relatio inde, quod Pallavicinus, quamvis Caietanum adversus Sarpium ubi ubi licet, defendat: hanc tamen Sarpii relationem ne verbo quidem addubitet, eo minus neget, indubie contradicturus, nisi, ita rem evenisse, persvasum habuisset. Atque ex his satis patet, vanum esse assertum, quod Decretum Conc.

---

mentarios commotus Gabriel Prateolus Episcopus Claromontanus, ipsum inter haereticos connumeravit; et quamvis iusto severior fuerit ea censura in virum adeo pium atque illustrem, certe illius interpretationibus nullus datus est, nec ab haereticis, nec a Catholicis plausus" — Et Cap. 18. n. 2. p. 246. quoad interpretandi rationem Caietani, lectorem remittit ad paullo ante citata verba Melchioris Cani, huius opus ceu aureum volumen celebrans.

[339]) Qui se Petrum Svavem Polanum scripsit, Histor. Concil. Trid. Lips. 1690. L. 2. p. 260.

Trid. unice adversus Lutheranos fuerit editum [340]). Sed ultro

3. Obiicitur: Pallavicinus acta Concilii Trid. evolverat, ipse mentem Patrum Tridentinorum exploratam habens affirmat, Caietanum non repugnare Tridentino Decreto, quamvis interpretationes protulerit a sensu Patrum diversas; hincque concludunt, non fuisse mentem Concilii, expositionem Patrum, ceu normam inviolabilem praescribere. — Ast vero, quod Pallavicini auctoritas, quam veneror, non adversariorum, sed meo asserto patrocinetur, palam fiet, si ipsa eius verba, ad quae provocatur, penitius nonnihil fuerint examinata. — Retulerat Sarpi, Decreto Concilii praeter Lutheranos etiam Caietanum dedisse occasionem. Caietanum itaque defensurus Pallavicinus, non negat, interpretationem, sensui Patrum adversam, simul adversari decreto Concilii: sed negat, Caietanum facto protulisse interpretationem in rebus fidei vel morum, Patribus *consentientibus*, adeoque etiam Decreto Concilii repugnantem; sed, ut id comprobet, ad verborum quoque Caietani benigniorem interpretationem confugit, sicque unice facit eum Patribus Tridentinis con-

---

[340]) Ceterum, cur nomen Caietani a Concilio non fuerit expressum: Tobenz l. c. (n. 338.) p. 436. has assignat rationes: „1. quod Concilium nullum hoc loco nominet, sed generatim tantum loquatur; 2. quia teste Pallavicino, non obstante hac sua sententia, nullam tamen doctrinam commentarius illius continet contrariam iis, quae a Conc. Trid. tamquam dogmata definitae fuerunt. In quo ipsum inter, et protestantes sui temporis magna differentia erat. 3. Quod suum hunc errorem multis aliis bonis hoc opere inclusis compensarit, quibus fidem detrahere Patres Tridentini hac censura noluerint. 4. Dignitas etiam Caietani purpura fulgentis obstiterit, quominus nominatim reprehenderetur."

cordare. Ita vero scribit [341]): „*Caietani dictum Concilii Decreto non obstat. Prohibet quidem Concilium, ne SS. Literis aptetur interpretatio, repugnans unanimi S. Patrum sententiae* (i. e. interpretationi S. Scripturae, cf. punctum sequens), *idque in rebus tum fidei tum morum; ac Caietanus, utut rem Canus intelligat, de his minime loquitur, neque unquam declarat, fas esse adversus communes SS. Patrum sententias* (interpretationes) *obviam ire; sed fas esse, depromere Scripturae expositionem prorsus novam, et ab omnibus eorum* (singulorum — secus enim verba haec pugnarent cum immediate praecedentibus) *expositionibus diversam. Etenim, quemadmodum ipsi discreparunt* (ergo supponuntur hoc casu non consentire, sicque alioquin Decretum Concilii huc in specie non pertinet) *inter se in illius explicatione sententiae, adeoque singulae illorum explanationes per se ipsas dubitationi subiacent; ita, quantum coniicio, visum est Caietano, posse cunctas* (singulorum) *simul dubitationi subiacere, et quamdam aliam esse veram, quae ipsis* (singulis; nam id certe non de omnibus Patribus intelligendum est, quum ipse Pallavicinus immediate sequentibus numeris 3. 4. 5. prolixe demonstret, verum S. Scripturae sensum non potuisse omnes Patres latere, et eos, qui id negassent, a Patribus, a Pontificibus et Conciliis tamquam haereticos fuisse damnatos) *haud in mentem venerit.*"

Verba haec Pallavicini, *cum aliis eiusdem effatis mox puncto 4. adducendis collata*, docent, qualiter Caietanum defendat: Pallavicinus nempe eam imbiberat de auctoritate Patrum in exponendis S. Scripturis

341) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 18. n. 2. p. 246.

sententiam: integrum non esse, eas interpretationes deserere, quas universa Patrum cohors in fidei morumve materia complexa est, cum id prohibeat Concilium; si tamen Patres non quoad fidei morumve materiam, nec consentientes, nec certa sententia, sed opinantium more sensum Scripturarum enuncient: integrum esse, interpretationem proferre novam, ab eorum interpretationibus discrepantem. Et de hoc tantum casu Caietanum loqui *coniicit*, quia Caietanus generalibus utitur verbis, nec aperte dicit, Patrum expositiones, etiam in fidei, morumve materia, unanimi consensu, certa sententia adstructas, repudiari posse; ubi tamen hanc ipsam opinionem e verbis et commentariis Caietani non tantum Melchior Canus, sed, teste Sarpio, ipsi quoque Patres Concilii deduxerunt. cf. punctum 2. — Patet ex his, quod Pallavicinus neget quidem, Decreto Concilii adversari Caietanum, eumque defendat, verum nonnisi ita, ut verba eiusdem benignius interpretetur; ita autem eum defendendo Pallavicinus, ad cuius auctoritatem provocant adversae sententiae patroni, non horum, sed meo patrocinatur asserto [342]). — Quod autem Concilium Trid. revera eam damnaverit

[342]) Tobenz, l. c. (n. 238.) p. 437. „Apologiam profecto Pallavicinus Caietani fecit. Verum non in eo, quod sententia, quae communiter illi tribuebatur, vera sit; sed quod haec sententia Caietani non fuerit. Quae duo valde diversa sunt. — — Quod vero Pallavicinus doctrinam, quae communiter Caietano adscribebatur, improbarit, manifestum est, — — etenim — — laudi dat Melchiori Cano, quod — contra hanc sententiam — calamum strinxerit; licet Canum, et omnes, Caietano hanc doctrinam adscribentes, mentem eiusdem non fuisse adsequutos existimet." ect. cf. p. 435—439. — Möhler l. c. (n. 265.) p. 391. 2. — Dissert. de auct. div. LL. deutero-Can. U. T. Jaur. 1819. p. 244—246.

interpretandi rationem, quae expositioni Patrum adversatur, adeoque

4. Quod verba Decreti: „sensus Ecclesiae, unanimis consensus Patrum," et verba Pallavicini, puncto praecedenti citata: „unanimis sententia Patrum," non de analogia doctrinae, et fide Patrum, sed de interpretationibus S. Scripturae, per ipsos institutis, intelligenda sint, comprobo pariter auctoritate et verbis eiusdem Pallavicini et Sarpii, ac prae ceteris facto ipsius Concilii. Hoc namque in ipso Decreto instar rationis, cur non liceat sensui Ecclesiae refragari, assignat: „eiusdem Ecclesiae esse, iudicare de vero *Scripturarum SS. sensu*," quod, stante sententia adversariorum, haud congrue pro caussa allatum fuisset [343]). Dein, ubi sensum effatorum divinorum definit, non eam interpretationis suae assignat rationem, quod ea non adversetur analogiae fidei, sed eam, quod effata ea, Ecclesia ita a principio intellexerit, — ita SS. Patres exposuerint, sicque ab illis per manus traditum acceperit [344]).

Sarpi historiam lati Decreti ita concludit, ut appareat, Concilium eodem edendo interpretationes, et non fidem Patrum ceu normam interpretandi designare voluisse. Sic namque scribit [345]): „Cum ad suffragia super quarto articulo (de Scripturis interpretandis) ferenda ventum esset, Cardinalis Paciecus dixit, S. Scripturam a tot, tamque praeclaris eruditione, et probitate viris explicatam, ut nihil addi possit; haeresesque omnes inde natas, quod Scripturae novi sen-

[343]) cf. Alber l. c. (n. 336.) p. 151.

[344]) cf. Sess. Cap. et Can. supr. §. 59. cit. item Sess. 6. de iustificatione Cap. 8.

[345]) l. c. (n. 339.) L. 2. p. 263.

sus affingantur; esse itaque necessarium, petulantiam ingeniorum nostri seculi retundere, et efficere, ut antiquis Patribus, et Ecclesiae se regendos permittant. Atque in eam sententiam ab omnibus pene itum est." Denique

Quod etiam Pallavicinus Decretum Concilii, de interpretationibus Patrum intellexerit, inde liquet, quod, quotiescunque Decreti illius mentionem iniicit, nuspiam doctrinam aut fidem, sed semper interpretationes Patrum ceu amussim adducat, cui a nobis quoque conformanda sit Scripturarum expositio. Sic ad verba Caietani: non alligavit (Deus) ect. (cf. sup. punct. 2.) respondens scribit [346]): „Certum est, eam spem non adimi; quin amplissimum patere campum ad ingenium exercendum in Scripturae commentationibus; tametsi in fidei morumque materia nefas sit, *eas interpretationes deserere, quas universa Patrum cohors complexa est.* Felix huiusce rei fulget exemplum in tot Catholicis Scriptoribus, qui post Concilii Decretum divinas Literas interpretati, sui nominis gloriam non inventione minus quam eruditione compararunt." Horum rationem hanc assignat [347]): „Cum alioquin liceat, e quovis Scripturae loco novam sententiam elicere, ubi locus ille nec ab Ecclesiae auctoritate, nec a Patrum concordi consensione certam iam *interpretationem* obtinuit." — Porro hanc in rem ita scribit [348]): „Praeter auctoritatem ipsa ratio demonstrat, non posse haereticum non esse, quicunque in credendis dogmatibus adversatur sententiae, tamquam certae in *SS. Literis* agnitae a Patrum concordia. — — — Hoc tamen

[346]) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 18. n. 2. p. 246.

[347]) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 15. n. 3. p. 239.

[348]) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 18. n. 4. 5. p. 246. s.

intelligendum est, cum Patres illam *Scripturae sententiam* tamquam certam affirmant; at vero tametsi concordarent inter se de aliqua *Scripturae interpretatione*, sed opinantium modo, iam exemplo suo docerent, etiam alios opinari, adeoque pariter dubitare. Quare temeritatis certe notam meretur, qui absque novae rationis pondere oppositam sententiam ceu meliorem sustineret, sed non idcirco haereticus foret." Postremo firmatur assertum meum inde quoque quod Pallavicinus [349]) eum in finem, ut ostenderet, Decretum Concilii non esse novum, nequaquam conetur evincere, antiquitus quoque eos fuisse damnatos, qui interpretationem proferrent doctrinae et fidei Maiorum repugnantem; sed potius, allatis plurimis exemplis et decretis Conciliorum, operose adlaboret demonstrare, eos declaratos fuisse haereticos, qui negarunt, a Maioribus rite intellectas fuisse Scripturas, spretisque horum interpretationibus, novas protulerunt. His ponderatis

5. Jam ego quoque ultro ac secure largior et profiteor cum Pallavicino [350]): „Concilium neque praescripsisse, neque coarctasse novis legibus rationem intelligendi Dei verbum; sed declarasse illicitum et haereticum, quod suapte natura sua erat huiusmodi, et prout semper habitum, et declaratum fuerat a Patribus, a Pontificibus, a Conciliis." Sed, quid quoad interpretationem SS. Literarum tum natura sua sit haereticum, tum ceu tale declaratum fuerit antiquitus? ex iis, quae praesenti, et praecedenti §. dicta sunt, quisque facile intelliget.

---

[349]) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 18. n. 3. 4. 5. p. 246. s.
[350]) l. c. (n. 338.) L. 6. C. 18. n. 2. p. 246.

§. 62.

Solutio difficultatum contra legem II. moveri solitarum

E disputatis consequitur, vanam esse citatam §. praeced. nro. 2. Caietani exceptionem, dum novas suas interpretationes eo tuetur, „quod non alligaverit Deus expositionem Scripturarum priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturae ipsi integrae sub Catholicae Ecclesiae censura." Cum enim, ut ait Caietanus, Deus Scripturae expositionem ipsi Scripturae *sub Ecclesiae censura* alligaverit: recte dicitur, quod Deus eundem sensum consentientibus Patrum expositionibus alligaverit. Namque dum veteres Patres omnes in eandem conspirant expositionem, dubio vacat, expositionem hanc esse ipsius Ecclesiae antiquae, quam haec ex illa divinae traditionis scaturigine hausit, quam Christus et Apostoli aperuerunt. Et recte de hac antiqua, simulque vera et genuina interpretatione retinenda, amplius confirmanda, et contra obtrectatores defendenda, non autem de nova eruenda nos sollicitos esse oportet [351]). Dein, sicut omnis tradita doctrina,

[351]) Egregie Vogl l. c. (n. 76.) p. 113. „Höchste Aufgabe der Exegese bleibt es immerhin, das ewiglebende Wort Gottes, die Eine, Katholische Wahrheit des Christenthums aus den h. Schriften darzulegen." Et p. 120. „Freilich muß sie (die kath. Exegese) für immer verzichten auf den Ruhm, durch Aufstellung tollkühner Hypothesen zu leuchten, oder durch Huldigung des launenhaften Zeitgeistes zu glänzen. Doch sie, wie jede echte Wissenschaft, ringt nur nach der Wahrheit, wohlwissend, daß sie — die Wahrheit — nur Eine, und eine Unwandelbare ist, wie Christus, der sie uns verkündete, derselbe ist gestern und heute und in Ewigkeit, und daß Niemand einen andern Grund legen kann, als der gelegt ist, der da ist Christus Jesus. Hebr. XIII. 8. 1 Cor. III. 11." — Protestans ex adverso fateri cogitur

ita etiam interpretatio ecclesiastica, facti historici naturam praesefert; et sicut certitudo de historicis factis alligata est auctoritati testium, qui ea perhibent: ita etiam Deus, qui est auctor traditionis divinae exegeticae, expositionem Scripturarum Patribus, ceu testibus illius traditionis alligavit; non enim veteres Patres unice considerandi sunt, quatenus sensum proprio marte investigarunt, sed, et inprimis quidem hic, quatenus per traditionem exegeticam, sensum apostolicum, adeoque verum propagarunt.

Illa vero ipsa historica traditionis exegeticae indoles dissolvit etiam alteram difficultatem a Caietano motam: quod nempe spes praecidatur proficiendi in studio exegeseos, nisi integrum sit, novas perpetuo eruere interpretationes. An enim — si a pari argumentari licet, — spes in historia proficiendi praescinditur eo, quod facta infecta fieri nequeant, neque proin liceat, neglectis antiquorum monumentis, novas fingere narrationes? an ad faciendum in historia profectum eone opus est incitamento, ut liceat historias, antiquorum testimoniis firmatas, in fabellas convertere? Quem non miseret virorum, qui hunc in modum in historia proficere vellent? [352]) et tali ne spe lactandi sunt interpretes, ut nempe ipsis venia detur, veras interpre-

---

in Ammons krit. Journal der theol. Lit. 2. B. Sulzb. 1814. p. 318. „daß der Protestant gar keine stehende Bibelexegese hat. Alle Urtheile der Bibelausleger sind ihm bloß subjektiv."

[352]) Kerz, kath. Lit. Zeit. Jgg. 1830. 2. B. p. 201. „Ist bey den Katholiken kein Fortschreiten? — Es ist nur eine Wahrheit, diese ist bei Gott; und wenn er sie den Menschen mittheilt, so läßt sich daran nichts ändern, ohne sie in Irrthum zu verwandeln; — — — es ist doch bei historischen Wahrheiten nicht anders" ect. Lectu dignissima sunt, quae hanc in rem scribit Vogl l. c. (n. 76.) p. 114—118.

tationes, testimoniis antiquitatis sacrae munitas, in falsas pervertere? (nam una tantum interpretatio potest esse vera. cf. §. 61. 1. c.) — aut aurifabri industria tunc ne erit laudanda, si loco auri puri, adulteratum producat; et non potius, si praeexistens caelet, amplius perpoliat, vasa efformet semper splendidiora? Sed quid opus, tot congerere similitudines, cum neminem lateat, ipsa dogmatica effata, secundum recentiores in exegesi progressus, et hermeniae semper magis excultae praecepta, clariora reddi, amplius confirmari, solidiusque defendi posse, — in reliquis autem longe plurimis imo integris Bibliorum libris amplissimam patere omnimode proficiendi viam. Quare Pallavicinus, alias Caietani adversus Sarpium causidicus, in citata Caietani verba animadvertit: „Certum est, eam spem ect." (sup. §. 61. punct. 4. [353])

---

[353]) Melchior Canus l. c. (n. 337.) Lib. 7. C. 4. p. 230. ad eadem Caietani verba haec reponit: „Minime gentium. Nam — in S. Bibliis loci sunt multi, atque adeo libri integri, in quibus interpretum diligentiam ecclesia desiderat; — sed in illis etiam, quae antiquorum sunt ingenio elaborata, nonnihil nos — utilissime praestare possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturae suae omnia. Sed quoniam huic Caietani argumento Vincentius Lirinensis doctissime, elegantissimeque respondit, verba nos ipsius adscribemus, digna illa profecto, quae aureis literis scriberentur." Sed haec verba, quum a Cano minus fideliter adducta habeantur, ex ipso fonte, Commonitorii adv. Haereses. Poson. 1764. Cap. 22—25. p. 70—74. iuvat adferre: „O Sacerdos — o Doctor — pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. — Eadem tamen, quae didicisti, doce; ut, cum dicas nove, non dicas nova.

§. 63.

Unde, et quomodo hauriendus sensus S. Scripturae a Patribus enunciatus?

Hauriendus e Patrum scriptis: inter haec autem, quorum usum Catholicus interpres facere tenetur, inprimis censendi sunt eorum Commentarii, et ex his quidem illi praeferendi, qui literalem interpretationem sectantur; nec minori diligentia excutienda sunt opera eorum dogmatica et polemica, in quibus plurimorum ss. effatorum expositiones habentur. Ast tenuiori usui sunt hic homiliae, hae enim, ad populum fidelem dictae,

— Sed — nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur? habeatur maximus. — Sed ita tamen, ut vere profectus ille sit fidei, non permutatio. — Crescat igitur et proficiat; — sed in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia. — Imitetur animarum religio rationem corporum; quae licet annorum processu numeros suos evolvant, eadem tamen, quae erant, permanent. Multum interest inter pueritiae florem, et senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut, quamvis hominis habitus mutetur, una tamen eademque natura sit et persona. — Si humana species in aliquam non sui generis vertatur effigiem, aut addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur. Ita etiam religionis dogma sequatur has, decet, profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, — incorruptum tamen, illibatumque permaneat. — — — Quodcunque in hac Ecclesiae Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria excolatur, — hoc idem floreat, et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur." cf. quoque E. Klüpfel, Instit. Theol. Dogm. studio G. T. Ziegler. Vienn. 1819. P. I. Tom. I. §. 74. p. 299. ss. — J. Pletz, l. c. (n. 265.) 9. Jgg. 1. B. p. 259. * — Kerz, Kath. Lit. Zeit. 1836. 4. B. p. 41. — Hug, l. c. (n. 276.) p. 76. 77. — Möhler, l. c. (n. 265.) p. 385—393.

maiori e parte (exceptis homiliis S. Chrysostomi,) in eruendis e S. Scriptura morum praeceptis versantur; e s. suggesto autem etiam allegoricarum interpretationum usus, dummodo ad mores formandos valeant, commode fieri potest: atque hinc multa sane sunt in his, quae ingenii ubertatem produnt magis, quam Ecclesiae sensum, quae proin usum hermeneuticum praebere non possunt [354]).

Quo autem auctoritas Patrum in interpretatione e mente Concilii Trid. digne aestimetur:

1. Inquirendum, utrum sensum S. Scripturae certa sententia, ceu mentem Ecclesiae enuncient, vel an non fors opinantium aut plane dubitantium more loquantur.

2. Distingvendum est inter effata s. dogmatica, et inter ea, quae nec fidei, nec morum capita tangunt: quoad haec enim interpretationibus eorum non plus ponderis tribuendum est, quam rationes, quibus eorundem opinio nititur, evincunt.

3. Videndum e mente Concilii, ut etiam in locis dogmaticis non unius alteriusve Patris interpretationem ceu normam habeamus inviolabilem, verum id tunc tantum fiat, ubi eos consentire deprehenderimus. Nam „nemo, quantumvis doctus et sanctus, non interdum hallucinatur" [355]). Sic. Ps. XXXII. 6. „Verbo Domini

[354]) Cf. H. Goldhagen, Introd. in S. Script. V. T. Par. I. Mogunt. 1765. p. 174. 5. — Vogl, l. c. (n. 76.) p. 56.

[355]) A. Viser, Herm. S. N. T. P. III. Poson. 1785. p. 272. ubi praeter alia refert exemplum S. Cypriani, qui baptismum ab haeretico collatum reprobavit, item non paucorum SS., qui pro millenario regno militarunt. — — Ceterum G. Witaker, Disputat. de S. Script. contra Papistas. Cantabrig. 1588. p. 340. ss. saepe saepius aequitatis terminos mi-

coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum," non pauci Patrum de SS. Trinitate explicuerunt; ast vero rectius eadem verba e Patribus orientalibus S. Chrysostomus hom. 8. et 19. ad populum Antiochenum, — ex occidentalibus S. Ambrosius Libr. 4. in Luc. C. IV. et alii exposuerunt. Nuspiam nempe invenies exemplum, in errore quodam omnes Patres, aut etiam maiorem illorum partem haesisse, imo consensus illorum merito instar sententiae Ecclesiae, per orbem dispersae, habetur; et haec est ratio, cur Synodus unanimem consensum Patrum postulaverit [356]).

„Denique et illud breviter expediendum est, quomodo unanimis Patrum consensus intelligendus sit. Cum enim certum sit, pro variis temporibus, variaque

grat, dum prolixam syllogem dissensionum Patrum texere nititur.

[356]) Cf. Vogl, l. c. (n. 76.) p. 98. 99. 105—7. — Alioquin prout praecipit Vincent. Lir. l. c. (n. 353) C. 33. p. 87. „eorum duntaxat patrum sententiae conferendae sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes, et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt;" minime vero haereticorum; velut C. F. Ammon, histor. bibl. ascensus Jesu in coelum, Götting. 1800. p. 9. ss. per Ascensionem Christi, unice simplicem, invisibilem Eiusdem abitum ad gloriam coelestem, intelligendum esse, auctoritate haereticorum: Basilidis, Valentini, Carpocratis, Cerinthi ect. docet, utique perperam. — De usu aliorum antiquorum scriptorum egregie monet S. Hieronymus advers. Ruf. L. 3. Tom. 4. ed. Ben. p. 463. „In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus haeresin. In Origene miramur scientiam scripturarum, et tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo vero et memoriam praedicamus et super Trinitate fidei puritatem, sed in ceteris, quae Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes."

haeresum ratione, non eadem unumquemque explicuisse dogmata, — et effata S. — fieri etiam nequit, ut — quoad omne effatum s. dogmaticum omnium Patrum expositiones adducamus, quare ad unanimem consensum habendum sufficit, — si praecipui — illius aetatis, qua dogma agitabatur, Patres — conveniant in alicuius loci expositione, et ii maxime, qui circa eundem textum explicandum versantur" — [357]), non contradicentibus ceteris. Verbo, „non requiritur consensus Patrum, physice vel mathematice, sed sufficit moraliter universalis" [358]). Atque hinc simul intelligitur, nequaquam, ut nonnulli [359]) praetendunt, adeo operosum aut plane impossibile esse, sententias Patrum, huc facientes, colligere, sicque memoratum consensum

---

[357]) Viser l. c. (n. 355.) p. 276. s.

[358]) Láng l. c. (n. 333.) p. 258. — Idem docuere: Bellarminus l. c. (n. 271.) T. 1. de verbo Dei non scripto. L. 4. C. 9. p. 194. — Cardinalis Perron, Epist. ad Casaubon. Observ. V. — Bernard. Marechal, Concordant. Patrum; praefat. — Qui plura cupit consulat Vogl, l. c. (n. 76.) p. 107. ss.

[359]) Eg. Wiedenfeld l. c. (n. 199.) p. 63. „consensum S. interpretationis ut investiges, et ostendas, inexplicabilis res remanebit; — — hoc multo magis esset, quam cloacas Augiae purgare." Ita fere Dallaeus, de usu Patrum. Genev. 1656. p. 1. — Marheinecke, über den wahren Sinn der Tradition im kath. Lehrbegr. In den Studien von Daub und Kreuzer. 4. B. 2. H. p. 320—337. — E Catholicis (J. Tumpacher) Vindic. J. Jahn. 1822. p. 147. 148. 184. legis huius auctoritatem fractam cupiens quaerit, quis unquam acta conciliorum legerit, aut patres? ad quae Commilito l. c. (n. 326.) p. 58. reponit: „Quaestio, ubi de thesi agitur, extra rhombum; quam movisse dogmaticos, qui Ecclesiae iudicio adstricti pariter sunt, puduisset." Alioquin interpres cath. consensum Patrum normae instar sequi duntaxat tenetur, dum eum cognitum habet, quid secus agendum sit, dictat Lex III. Herm. Cath. sup. §. 55.

invenire : quum plura iam praesto sint subsidia maiora [360]), et minora [361]), sudore eruditorum parta, quae negotium hoc insigniter alleviant.

---

[360]) Uti inprimis Catenae Patrum, seu opera exegetica, expositionem SS. Librorum e plurium Patrum expositionibus contextam, exhibentia; in quibus colligendis egregiam operam collocarunt: in Pentateuchum: F. Zephyrius, Colon. 1573. — in LL. Reg. J. R. a Corduba, Lugd. 1652. — in Job: Niceta, stud. Patricii Junii, Lond. 1637. — in Psalm: B. Corderius, Antvp. 1646. F. a Puteo, Paris. 1530. A. Lippomanus, Rom. 1585. — in Proverb: Th. Peltanus, cur. Schott. Antverp. 1614. — in Jerem: Caten. in Jerem. Lugd. 1623. in Daniel: Catena in Script. vet. nov. Collect. e vatican. cod. ed. ab A. Maio, Rom. 1825. — in Evang. S. Thomas Aquin. Venetiis 1745—60. — Petr. Possini, Toloss. 1646—7. — B. Corderius, Antverp. 1628 et 30. — in Act. Ap. et Ep. Cath. J. B. Felicianus. Ven. 1548. — in Ep. ad Rom: Cur. J. Lonicer. Basil. 1537. — in Cantica U. F: A. Caraffa, Patav. 1564. ect. — Huc referre licet sic dictos Criticos sacros, et M. Poli Synopsim omnium Critic. et interp. U. T. Antverp. 1712. — De catenis antiquioribus, ab Olympiodoro, vel potius Niceta, Andrea Caesareensi, Aretha Caesareensi, Procopio Gazaeo, Oecumenio, Theophylacto, et Euthymio Zigabeno adornatis, pluribus egit J. G. Rosenmüller, Hist. Intptnis Libr. SS. P. 4. Lips. 1813. p. 215—356.

[361]) Nimirum quoad pleraque effata S. dogmatica sententiae Patrum assidua diligentia eruditorum collectae exhibentur, cf. eg. J. Pletz, über den Sinn der Einsetzungsworte des h. Abendmahls, in theol. Zeitschr. v. J. Frint. 11. Jgg. 1823. 2. B. p. 308. ss. Insignem pariter opem ferunt interpreti quorundam Commentarii e Patribus omnibus collecti, quales sunt, ut duos e principibus nominem, Maldonati in Evang. et Estii in Epist. Paul. — imo e protestantibus quoque non pauci in codice S. exponendo, testimoniis Patrum utuntur eg. Tholuck, Auslег. des Brief. Paul. an d. Röm. Berlin 1824. — et Kommentar zum Evang. Joan. Hamb. 1837. ed. 5. — Hengstenberg, Christologie des alt. Testam. Berl. 1829. — Heidenreich, Comment. in prior.

§. 64.

Usus exegeticus SS. Patrum adversus alienos a Sacris Catholicis.

SS. Patres non unice, qua repraesentantes antiquae Ecclesiae, divino munere infallibilis, considerari possunt, sed etiam qua coetus amplissimus, ab ipsis Apostolis, horumque discipulis fundatus, qui viros, eruditione [362]), et pietate [363]) spectatos, gremio suo complexus est. Quoniam vero tanto maioris ponderis ac auctoritatis est societatis testimonium, quanto maior vel illustrior est societas ipsa: emergente quaestione de Apostolorum doctrina, huiusque sensu, nemo non videbit, consentiens tam venerandae Patrum societatis testimonium summae esse auctoritatis, quia nec ignorare rem potuit, quippe ab ipsis Apostolis edocta, nec depravare propter membrorum tantam, talemque multitudinem, in quam ne suspicio quidem tam impiae conspirationis cadere potest. Profecto Pa-

---

Paul. ad Cor. Ep. Marbg. 1825. et Ueber 2 Thess. II. 1—12. im N. krit. Journal, von G. B. Winer. 8. B. 1828. p. 36. ss. — Ceterum qua ratione labor hic interpretum magis adhuc alleviari posset, pluribus docet J. Frint, in seiner theol. Zeitschr. 4. Jgg. 1. B. 1816. p. 29—36.

[362]) Quam ostendunt eorum opera, etiam obiter lustrata, „in quibus nescias, quid primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum;" ait S. Hieronymus in Epist. ad Magnum Oratorem. Itaque „peccant, qui Patrum tumulis superbe insultant, quumque eorum scripta vix primis labris degustarint, illorum albis dentibus rident simplicitatem." J. Rambach (protest.) l. c. (n. 8.) p. 101. — cf. Láng l. c. (n. 333.) p. 72—99. 327—331. Vogl, l. c. (n. 76.) p. 44—104.

[363]) Cf. Geiger l. c. (n. 265.) p. 11—19. Vogl l. c. (n. 76.) — Paralipomena ect. Sabar. 1817. p. 472. ss. — Theol. Zeitschrift von J. Frint. 6. Jgg. 2. B. p. 10. ss.

tres, partim morum ac consvetudinum orientalium, utpote sibi domesticarum, notitia adiuti, et lingvarum biblicarum, ipsis vernacularum, praesidio muniti [364]), multa in Scriptis SS. clarius videre poterant, quam nos, — partim aetati Apostolorum propiores, imo etiam ab his ipsis, aut horum discipulis instituti, prout doctrinam et sensum doctrinae apostolicae ignorare non poterant, ita summa fide et ipsi ea servabant, et velut sacrum depositum ad posteros transmittebant. Atque hoc obtutu concordans antiquissimorum Patrum „de sensu apostolico effatorum dogmaticorum" testimonium, omnino fide dignissimum, adeoque amplectendum esse, quilibet rei peritus continuo largie-

[364]) Ecquidem J. G. Rosenmüller, histor. Interpretationis Librorum SS. Lips. 1807. P. 3. p. 287. de omnibus, praeter S. Chrysostomum et Hieronymum, Patribus ita iudicat: „non magnos progressus in arte interpretandi S. Scripturam fecerunt. Caussae erant: 1. hebraicae lingvae ignorantia." Sed audiamus, quid reponat eiusdem magister M. Luther, Ueber die Auslegung der letzten Worte Dav. t. III. opp. germ. p. 2783. „Wenn es sollte Wählens gelten, entweder, daß ich der lieben Väter Verstand in der Schrift sollte haben, mit dem Mangel, daß die Väter zuweilen nicht die rechten Worte im Hebräischen haben, oder sollte der Juden gewisse Worte und Buchstaben ohne der Väter Verstand: — ich ließe die Juden mit Ihrem Buchstaben zum Teufel fahren, und führe mit der Väter Verstand zum Himmel." Patres nempe „coelesti lumine pleni, — non more nostrorum, accentus, syllabas, ac verba venabantur sed spiritum veritatis, spiritum sapientiae et divini amoris, qui non e verbis in animos redit, sed quo verba collustrantur et ad vitam suscitantur. Utinam omnes S. Scripturae interpretes hanc viam insistant, et si minus imitatione tantam ingeniorum praestantiam consequi possint, voluntate certe proxime accedant." Alzog l. c. (n. 199.) p. 113. 114.

tur [365]). Huic enim testimonio (quatenus hic spectatur,) inest argumentum historicum quidem et humanum, sed tanti ponderis, ut nulli prorsus dubitationi possit esse obnoxium, quod proin auctoritatem habere debet etiam apud protestantes, imo et incredulos, si sibi constent: secus enim pari iure omnem fidem historicam reiicere licebit, quod vel cogitare indignum et absonum est.

Alioquin, cur nobis non opituletur hocce praesidium, quod ipsi etiam protestantes in suis disceptationibus contra adversarios revelationis, signanter quidem in vindicanda SS. Librorum authentia adhibent? Neque enim minus res facti est, quidnam docuerint, et quemnam sensum doctrinae suae subiecerint Apostoli? — ac quinam hos SS. Libros scripserint? Cum igitur illi in postrema hac caussa recte interponant veteris Ecclesiae testimonium, quae eosdem nobiscum semper agnoverit Librorum illorum auctores: nos quoque pari iure, meritoque perpetuum priscorum doctorum con-

---

[365]) Congruit argumentum a pari ductum: „Je mehr man in der Erkenntniß auch der menschlichen Gesetzgebungen und ihrer Quellen vorschreitet, um somehr fühlt man das Bedürfniß, sich an die Ausleger derselben Gesetze in den früheren Jahrhunderten anzuschließen ect." J. Pletz, neue theol. Zeitschr. 1. Jgg. 1. B. Wien 1828. p. 198. — Quare iam olim praecepit Cicero Tusc. Quaest. L. 1. „Antiquitas et debet, et solet valere plurimum in caussis omnibus, quae, quo propius aberat ab ortu, et divina progenie, hoc melius ea, quae erant vera, cernebat." Agit vero l. c. de animae immortalitate, adeoque veritate religiosa. Et revera „constanter affirmare licet, nullum vel de Deo, divinisque legibus et decretis, vel de Christo, eiusque adventu, operibus ac documentis e S. Scriptura dictum produci posse, ad quod intelligendum non pervenerunt SS. Patres." L. A. Muratorius, de ingeniorum moderatione in negotio religionis, L. 3. C. 16. p. 612.

sensum per singula effata dogmatica in medium proferimus, et genuinum horum sensum id omne negamus, quod huic tanti coetus testimonio adversatur [366]). Et certe, si orbem sic implevisset schola Socratis, ut videmus institutum Christi; si primi sectatores illius philosophi, gesta, dicta, totiusque doctrinae ipsius systema scriptum reliquissent: nemo foret, seu tam hebes, seu insolens, qui obscuritate, aut dissensione aliqua quoad doctrinam illius semet offerente, non continuo consuleret, quomodo philosophi illius discipuli antiquissimi doctrinam eius exposuerint? et si quidem unanimem apud omnes invenisset consensum: tantorum certe testimonio acquiesceret, neque sensum a se fictum iudiciis, concordique fidei universorum anteponeret, nisi omnem exuisset verecundiam [367]). Nil proin mirum, non deesse inter protestantes, qui Patres, hoc ex obtutu spectatos, iusta laude non privent, imo ceu duces sequantur [368]).

---

[366]) Cf. F. Geiger l. c. (n. 276.) p. 36. — J. Frint, theol. Zeitschr. 6. Jgg. 2. B. p. 8.*

[367]) „Quis nunc medullas scripturarum magis noscet, quam ipsa Christi schola?" Tertullianus, Scorp. C. 13. cf. Melch. Can. l. c. (n. 337.) L. 7. C. 3. p. 223. Non est itaque, cur supercilium erigant novatores, ac supra Patres sese tumentes extollant; quasi ipsis solis in intima arcani sensus Scripturae penetralia ingredi concessum esset. Si tamen sunt, qui non erubescant venerandos maiores, et canos, sensus apostolici testes, ac magistros, proclamare palam pueros, qui discere veritatem a novissimis, nomen virorum usurpantibus, debeant; his congrueret illud Senecae, Epist. 4. „non pueritia in nobis, sed, quod est gravius, puerilitas remanet; et hoc quidem peius est, quod authoritatem habemus senum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, sed infantium."

[368]) Sic H. Grotius, in annot. ad cons. Cassand. „Omne verbum duobus stat testibus, in Scriptura et traditione, quae

§. 65.

Lex tertia.

Veritas legis huius ex iis intelligitur, quae de fundamento legis I. et II. dicta sunt; ex his quippe legibus illa corollarii instar fluit.

---

mutuo sibi facem allucent." — Buddeus, Isagog. hist. theol. L. post. C. 3. §. 3. p. 549. „Certum est Patres antiquitatis minime rudes fuisse, nec proficere quemquam in isto studiorum genere rite posse, nisi monumenta Patrum consuluerit." — Turretinus, Tract. de S. Scrip. Interpret. C. 2. N. 2. „Fatemur, magnam reverentiam deberi tum toti Ecclesiae, tum maiori eius parti, adeoque si constet certa loca S. Scripturae semper et ubique eodem modo intellecta esse, maximam esse rationem, sensum illum verum esse." — J. A. Ernesti, opuscul. philolog. crit. Lugd. Bat. 1764. p. 320. s. scribens de Erasmi paraphrasi, quam e Patrum scriptis contextam asserit, ait: „Hanc si quis, versatus in recentiorum libris, legat, agnoscat profecto, quam parum adiecerit illis horum conatus, imo quam non pauca recentiores deteriora fecerint." Ita ille et candide et vere. Idem, Instit. Interp. N. T. ed. 4. Lips. 1792. p. 224. „Nec contemnendum est totum illud, quod habet — antiquitas, aut illi scriptores prae novitiis negligendi. Nam quod nostra aetas proprii in eo genere boni habet, h. e. quod non ab antiquitate acceptum teneat, id non sane nimis multum est; saepeque vidimus, pro novis haberi, quae essent antiqua: deinde multa, quae antiquitas recte — capiebat, a recentioribus — in alium sensum tracta sunt." Huius discipulus S. F. N. Morus, Herm. N. T. ed. Eichstädt. Vol. 2. Lips. 1802. p. 230. laudat Origenem; p. 240. ampliores laudes tribuit S. Chrysostomo; pariter p. 244—266. laudat Theodoretum, Hieronymum ect. — Doederlein, l. c. (n. 272.) p. 189. „e Patrum scriptis multa et egregia interpretationis subsidia cogi posse, non ausim negare." Lücke, Anhang zum Comment. der Briefe des h. Joh. p. 296. „Man hat in der neuern Zeit auch in der protestantischen Kirche angefangen, über den Werth und Nutzen der älteren griech. und lat. Ausleger gerechter zu urtheilen. Man gibt zu, daß sie die

CAPUT III.

LEX QUARTA.

§. 66.

Expositio legis quartae.

Analogia [369]) fidei Catholicae est veritatum divinitus revelatarum omnium, tum scriptarum, tum tradi-

richtigsten Auslegungen haben, daß ihr exegetisches Genie und Talent oft musterhaft, immer aber bildend sind." Quare non pauci protestantes in Commentariis scribendis expositiones Patrum saepissime ceu rectam normam adducunt. cf. n. 361.

[369]) Rom. XII. 6. „αναλογια της πιστεως," probabiliter rationem virium et facultatum, a Deo, sive ordinarie, sive extraordinarie collatarum significat. Ceterum sensu theologico sumta Analogia fidei hauriri potest vel unice e S. Scriptura, vel ex illa simul et traditione, (vivo Ecclesiae deposito); stabiliri vero potest auctoritate vel divina vel humana, vel etiam citra auctoritatem nisu et opera tantum individui, rationibus pensitatis. Unde triplex dari potest illius conceptus; vel a.) qualem supra dedi, vel b.) congruentia veritatum, tantum in SS. Literis contentarum, humana magisterii alicuius auctoritate constituta, vel c.) congruentia veritatum in solis SS. Literis contentarum, humana cuiusvis privati sagacitate e SS. Literis eruta. In prima significatione tantum apud Catholicos et Graecos, qui Ecclesiae auctoritatem et traditionis necessitatem venerantur, potest obtinere, — in secunda apud protestantes, inprimis antiquiores, obtinebat, qui, Ecclesiae infallibili iudicio, et traditione reiecta, ad consensum in fide servandum doctrinas, in SS. Literis contentas, formulis quibusdam vestiverant, et asseclis credendas paullo post reformationis initia tradiderunt; tenor huius analogiae fidei invenitur in libris sic dictis symbolicis coetuum illorum, humana

tarum, in vivo Ecclesiae deposito contentarum, quae credendae proponuntur, congruentia, auctoritate di-

---

quorundam magistrorum, vel etiam unius auctoritate constitutis; differt ergo a priori et ambitu et auctoritate. — Tertio demum sensu occurrit apud protestantes recentiores, qui magis consequenter illam congruentiam e SS. Literis propria auctoritate deducunt; cf. J. Rambach, l. c. (n. 8.) p. 88. 101. — Buddeus, Isagoge hist. theol. p. 1560. — Wegscheider l. c. (n. 255.) p. 88. — Hollaz, examen theol. (n. 281.) Edit. Teller. p. 161. — S. F. N. Morus, Theol. Christ. ed. 3. Lips. 1795. p. 14. — H. A. Schott, Theol. Dogm. ed. 2. Lps. 1822. p. 63. — F. H. Germar, die panharmonische Interpretation der h. Schrift. Schleswig 1821. p. 323. ss. — haec analogia fidei non differt a parallelismo reali, — aliam protestantes habere non possunt; — quoniam vero haec humanae tantum innititur auctoritati, falli et fallere queunti, sequitur, pugnas inter hanc analogiam fidei et S. Scripturae sensum possibiles imo verosimiles esse, (apud Cath. pugna talis est impossibilis); Prout D. Tittmann, protest. über Grundsätze einer Polemik, im Magazin für chr. Prediger, von H. G. Tzschirner. 3. B. 2. St. Lpz. 1825. p. 15. loquitur: „die evangelische Kirche kann sich nicht weigern, selbst in den Symbolen für Irrthum zu erklären, was darin mit der evangelischen Wahrheit im Widerspruch stände." — Neque est, quod miremur, pro diversitate, quam inter hominum singulorum ingenia deprehendimus, analogiam quoque hanc variabilem esse et multiplicem (in systemate Cath. vero, una est et irreformabilis aeternum); quare J. P. Gabler, ipse protest. im Journal für theol. Lit. 2. B. 1. St. Nürnbg. 1801. p. 70. fatetur: „die Protestanten haben als solche, keinen feststehenden Lehrbegriff." — Pariter: Hase l. c. (n. 266.) p. 2. „Ecclesiae, non scholae, confessio scribitur, pax quaeritur, scholae nostro tempore plures ac variae esse debent;" et p. 7. — Profecto de his videntur sonare verba S. Hilarii Pictaviens. L. contra Constantium Imper. p. 101. edit Colon. „Periculosum, atque miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, — dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus,

vina, constituta [370]). Invenitur haec analogia fidei formaliter in praedicatione ecclesiastica, materialiter autem in Symbolis [371]), ab Ecclesia Cath. constitutis vel receptis, in definitionibus Conciliorum, quae dogmaticae audiunt, denique in universali Ecclesiae Catholicae praxi. Quoniam analogia fidei Catholicae non solum SS. Literas respicit, sed universum complexum veritatum divinitus revelatarum, — et auctoritati innititur divinae [372]), ea-

intelliguntur. Et cum secundum unum Deum, et unum Dominum, et unum baptisma etiam fides una sit, excidimus ab ea fide, quae sola est, et dum plures fiunt, ad id coeperunt esse, ut nulla sit." Recte quoque Katholik, von D. Weis, 25. B. 1827. p. 166. „Die Geschichte der Veränderung des protestantischen Lehrbegriffes hat ihren Beschluß nur mit dem Protestantismus selbst."

[370]) Czerny, l. c. (n. 55.) L. 1. p. 286. — Viser, l. c. (n. 8.) P. 2. p. 220. — (Anon.) Herm. Vet. Test. Pest 1796. P. 1. p. 213. — Pletz, l. c. (n. 265.) 12. Jgg. 2. B. p. 85.* Gratz l. c. (n. 6.) p. 57. — Matthaei l. c. (n. 191.) p. 20. 25. ss. — Encyclopaedie der Wissenschaft. u. Künste; hrsgg. v. Ersch u. Gruber, 3. Th. Lpz. 1819. p. 456. s. v. Analogie. — Kozelka, l. c. (n. 265.) 6. Jgg. 1833. 1. B. p. 297. ss. ubi de quarta hac lege multa egregie praecipiuntur.

[371]) De his cf. Czerny, l. c. (n. 55.) L. 1. p. 294. — J. Jahn, Herm. Gen. p. 98. — Möhler l. c. (n. 265.) p. 14. ss. — F. Streitwolf, Libri Symbol. Eccles. Cath. Götting. 1837.

[372]) Hocce insigni charactere, atque ampliori suo fonte, analogia fidei Cath. non tantum a parallelismo reali, sed et ab analogia fidei quorumcunque demum aliorum coetuum Christianorum essentialiter et distingvitur et debet distingvi; quapropter non possum a me obtinere, quin, reverentiae viris tanta eruditione claris debitae minime immemor, paucis attingam doctrinam J. Jahn, Enchirid. Herm. Gen. Vien. 1812. p. 96—100. et A. Arigler, Herm. Bibl. Gen. Vien.

propter et ambitu amplior est, et fide firmior,

1813. p. 199—203. de analogia fidei. Scilicet multa h. l. praetermittunt, quae in systemate Cath. dici debent, imo multa proferunt, quae Catholico prorsus non possunt probari. Definiunt quippe analogiam, J. J.: „summam, quam universa S. Scriptura spirat," cui accedat „historia doctrinae primorum ecclesiae seculorum," — A. A.: „doctrinas quasdam, atque praecepta omnibus Scriptoribus biblicis, imo et patribus communia;" quam autem analogiam sedulo distingvi vult, quod inferius addit, a „systemate dogmatico singularum partium," per quod non aliud potest intelligere, quam ecclesiasticae doctrinae complexum, quem singuli Christiani coetus profitentur suum. Imo J. J. subdit: „longe absumus, ut ad authoritatem ecclesiae Cath. de qua, ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus." — Parcant mihi, si exinde inferam, analogiam, sic propositam, non discrepare a parallelismo reali, per Patrum sententias, cum fuerint discipuli ipsorum SS. Scriptorum, suffulto; quod eo maiori iure affirmo, quia ipsi proponunt exemplum conferendorum discipulorum cuiuscunque antiqui doctoris, ad magistri sententias rectius intelligendas. Sic autem illa nil differt ab analogia fidei, quam protestantes adhibent, nam et ipsi Patrum dicta hinc inde ad illustranda effata biblica adducunt (cf. supr. nott. 361. et 368.), quin ulli eorum unquam in mentem veniat, auctoritatem aliam tali analogiae tribuere, quam mere humanam, in quolibet opere profano exponendo adhibendam. Ast id non sufficit, et ad systema Cath. non quadrat. — Sed quod systemati Cath. ex asse adversatur, illud est, quod A. A. rationis instar, cur systema dogmaticum nullum in interpretationem influxum habere possit, assignet, quia illa systemata diversarum partium magnopere diversa sunt. Scilicet confundit systema Ecclesiae Cath. cum illis reliquis variarum sectarum Christianarum; utut enim systemata illorum, qui a sinu Ecclesiae infallibilis separati sunt, varient, et, fallibili auctoritate stabilita, ceu principium interpretationis nonnisi perperam adhibeantur: id tamen de systemate Cath. asseri nequit, quod, ab Ecclesia, spiritu divino recta, stabilitum, sicut modo tantum unum

quam parallelismus realis S. Scripturae [373]).

est, sic fuit, sic erit inconcussum perpetuo, obiectiva veritate, et auctoritate divina gaudens; et recte propterea, et non aliam ob rationem, et insuper quia SS. Literae pariter divinum verbum continent, cuius autem interpretatio, si in dogmaticis effatis homo sibi relictus eam tentet, manca, vacillans, dubia est, — potest, imo debet supponi et consuli in interpretatione, quin unquam timendum sit, ne quis aberret a vera doctrina, si eam positive vel negative adhibeat. — Neque proin de systemate Cath. valet, quod de reliquis dici potest, nempe idem fore, si instar normae interpretationis habeantur, ac si systema aliquod philosophicum pro norma supponatur. Nescio, qualem sibi de systemate Cath. dogmatico forment conceptum, qui cum aliquo, qualicunque systemate philosophico illud confundunt. — Haec notanda censui. — Alioquin viros hos doctissimos meminisse oportuisset, in opere Cath. non unice ea proferenda esse, quae omnibus, cuiuscunque sectae sint, probantur. *Veritas* mensura dicendorum esto, non, quod aliis probatur vel placet. Sane, qui Dogmaticam Cath. scribunt, insuper habent, quae protestantes profitentur placita: pariter et in hermeneutica Catholicis destinata procedendum. Equidem interpres, si cum protestantibus rem habeat, perperam adduceret auctoritatem Ecclesiae ab illis repudiatam, sed paribus armis dimicandum habebit, adeoque regulas generales adducendas, quas illi pariter ac nos sequuntur; sed pro Catholicis scribenti nunquam negligere licebit, quae pro Catholicis valent; semper enim perperam agit, qui domestica non curat, aliorum tantum usibus semper inserviens. Hinc est, quod protestantes, nos nil proprii habere, subsannando iactitent, nosque perpetuo ceu mendicos ad suam mensam uberem ablegent (v. supr. n. 274.), (quamvis in praxi magnam partem suorum commentariorum e S. Hieronymo, Chrysostomo, item e Sanctio, Estio, Maldonato (Jesuitis), Calmeto (Benedictino) describant).

[373]) Id ceteroquin solum de effatis dogmaticis S. Scripturae intelligendum; nam ex adverso multa eg. historica, geographica ect. ad parallelismum realem referuntur, quae ad analogiam fidei non pertinent, ut adeo intuitu horum pa-

Influxum negativum analogiae fidei in S. Scripturae interpretationem concedere significat: nullum SS. Literarum sensum ceu verum admittere, qui aliquid enunciat, quod analogiae fidei repugnaret. Positivum autem influxum ei concedere dicimur, dum, de quodam doctrinae revelatae articulo plenarium iudicium ferre cupientes, non subsistimus in certo effato sacro, ubi fors pars tantum illius articuli continetur sed consulimus analogiam fidei, ex eaque, quod ad adaequatum conceptum de illa doctrina formandum insuper requirebatur, haurimus.

§. 67.

Fundamentum Legis quartae.

Pars prior legis quartae, qua praecipitur, ut analogiae fidei negativus influxus in S. Scripturae interpretationem concedatur, — innititur sequenti veritati: Idem Paracletus, qui Apostolis scribentibus adstitit, praesidio suo adest quoque Ecclesiae, iudicium de doctrina revelata ferenti; adeoque eodem Spiritu S. assistente doctrina divina formulis vestita est. Quapropter S. Scriptura et analogia doctrinae Catholicae sibi adversari non possunt; seu, nec Scriptura potest quidquam enunciare, fidei Ecclesiae adversum; nec Ecclesiae doctrina potest quidquam continere, quod verbo Dei scripto non conveniret. Igitur, quisquis de his veritatibus convictus est, certe sollicite vitabit, cuiquam sententiae in S. Scripturae interpretatione talem tribuere sensum, qui publicam Ecclesiae doctrinam ulla ratione laedere vel evertere posset. Profecto Catholicus, sensum,

rallelismus dici possit amplior. cf. Czerny (n. 55.) L. I. p. 286. s.

fidei Ecclesiae repugnantem, tamquam genuinum S. Scripturae sensum propugnans, secum ipso pugnaret, non dubitans quippe, et S. Scripturam, et Ecclesiae doctrinam a Magistris, pariter divinitus illustratis, esse profectam, sicque pugnam omnem inter S. Scripturam et doctrinam Ecclesiae ipso facto exclusam [374]). „Sic ex eo, quod Paulus ad Coloss I. 24. scribit: „adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea ect." nequaquam inferre licet, afflictiones, quas Christus pro redimendo homine sustinuit, insufficientes fuisse ad redhibendam condignam satisfactionem: cum hoc manifeste analogiae fidei repugnet, quae docet, satisfactionem Christi nedum sufficientem fuisse, sed et superabundantem, Hebr. V. 9. X. XIV. Commoda ergo interpretatione, quae analogiae fidei respondeat, verba Apostoli sunt exponenda. Nempe passionibus, et adversis, quae propter praedicationem Evangelii sustinebat Paulus, adimplebat, quae desunt passionum Christi, quoad applicationem. Quippe, ut satisfactio Christi in hominibus fructificaret, opus erat mundum peragrare, homines salutari doctrina imbuere, quorum occasione varias poenalitates libenter tolerabat." [375])

---

[374]) Cf. Czerny, l. c. (n. 55.) L. 1. p. 288. s. 295. Anon. l. c. (n. 370.) p. 214. — Tobens l. c. (n. 238.) p. 445. s. — C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 59. 61. — Möhler l. c. (n. 265.) p. 393. ss. — M. Luther quoque Epist. ad Marchion. Brandenb. ait: „horrendum est quidquam credere, quod adversatur unanimi traditioni, testimonio fidei, et doctrinae sanctae et catholicae ecclesiae, quam illa inde ab initio per annos mille quingentos servavit."

[375]) Czerny l. c. (n. 55.) L. 1. p. 295. 6. cf. quoque Rambach l. c. (n. 8.) p. 104. 5. — Viser l. c. (n. 370.) p. 222. ss. — Vogl, l. c. (n. 76.) p. 38. 39.

Intelligitur itaque mensura afflictionum, corpori Christi mystico destinatarum [376]. Atque hunc sensum revera etiam cetera hermeniae praecepta commendant.

Ceterum quamvis omnis sensus, analogiae fidei repugnans, certissime falsus sit: hinc tamen nemo existimet, sensum, analogiae fidei conformem, eo ipso verum esse; etenim multum potest esse verum, et analogiae doctrinae convenire, quin tamen id S. Auctor certo, aut recte eo loco, qui actu exponendus est, expresserit; quapropter sensus, analogiae conformis, tunc tantum genuinus censendus est, si etiam reliqua legitimae interpretationis criteria accesserint [377].

Altera autem legis quartae pars, qua praecipitur, ut analogiae fidei etiam positivus influxus in S. Scripturae interpretationem concedatur, — stabilitur sequentibus:

1. Ipsa SS. Literarum indoles, insuper quotidiana experientia, ex historia exegeseos sacrae resultans, docet, S. Scripturam non ubique sic esse perspicuam, ut quilibet, qui expositionem aggreditur, etiam verum eiusdem sensum semper assequatur; neque enim vel eruditi, qui requisitis ad illud negotium instructi sunt subsidiis, sic in interpretatione conveniunt, ut non in diversissimas abeant sententias [378]. Sed ex altera parte aeque verum est, analogiam fidei ecclesiasticae tali et firmitate et claritate gaudere, ut quilibet, verborum intelligendo-

[376]) Cf. B. Szepesy Ignátz, Szent Irás, új szövetség. 2. köt. Posony. 1835. p. 316—317.

[377]) Cf. Rambach l. c. (n. 8.) p. 105. — Czerny l. c. (n. 55.) p. 289.

[378]) Cf. supr. §. 56. et in specie not. 306.

rum capax, dogma quaesitum, in quantum patet hominibus, accurate agnoscat; patet id cuique doctrinam ecclesiasticam inspicienti.

Ex his sponte sua fluit sequens argumentatio: quoniam et doctrina Ecclesiae et S. Scriptura, eadem gaudet auctoritate, nempe divina, — et quoniam obscurum e clariori capit explicationem: indubium est, SS. Literarum sensum plene explicandum esse ex analogia fidei Catholicae [379]). eg. S. Scriptura talia de Christo praedicat, quae altiorem in Illo naturam indigitant: iterumque talia, quae Eum, hominem statuunt, et Patre minorem. Haec aegre explicabit interpres, sibi relictus; si enim coniungat ambo, talis sistetur natura, cuius analogon nuspiam deprehenderis: quare, vel cespitasse S. Auctorem, dum illa magnifica de Christo praedicaret, asseret, vel certe anceps haerebit, notionem de Christi persona formaturus, quibusnam attributis praerogativa concedenda sit. Ast clare proponit ecclesiastica praedicatio Christum, Deum-hominem, in una persona coniunctum, et id quidem iudicio infallibili. Atque

[379]) „Traditio et explicat, et integrat scripturam: viva haec in ecclesia Christi vox literae mortuae spiritum inflat, ita, ut, si in codice S. interpretando eam neglexeris, finem exoptatum nunquam assequi possis." C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 65. — Ita quoque protestans H. L. Heubner, miraculorum ab Evang. narr. intpt. gramm.-hist. Wittbg. 1807. p. 22. „Quam (institutionem apostolicam) quo magis tenemus, eo propius accedimus ad ipsam apostolorum et scriptorum N. T. mentem." — cf. (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 220. ss. 302. ss. — Paralipomena ect. Sabar. 1817. p. 461. — Kozelka l. c. (n. 4.) 5. Jgg. 2. B. p. 296. s. 298. ss. — Unterkircher, Berichtigung der Recension seiner Herm. Bibl. in kath. Lit. Zeit. von Kerz, Jgg. 1836. 3. B. p. 83.

hanc claram Ecclesiae doctrinam, de ambabus Christi naturis mente teneat interpres, ut sine erroris periculo coniungat diversas S. Scripturae expressiones, de Jesu, modo homine, modo Filio Dei, tractantes, unaque intelligat, S. Auctorem modo de hac, modo de illa Christi natura locutum fuisse.

2. S. Scriptura, utut excellentissimum divinae providentiae donum, divina auctoritate refulgens: tamen non est principium verbi revelati, nec unicus, nec plenarius eiusdem fons [380]), ac et fine et occasio-

---

380) „Id agnosces, si vel advertas, scriptos esse Libros SS. occasionaliter, — tum ad absentes duntaxat, ut praesentiam supplerent praedicationis, essentque in vicem magisterii vivae vocis, quod adesse haud potuit; fuisse proinde interimales praedicationis et magisterii vivae vocis vicarios et supplentes." (Kramer) l. c. (n. 145.) Fragm. V. p. 314. Alioquin „traditio, quae veritates viva voce proditas complectitur, prima fidei regula fuit, quum Christum viva voce docuisse, et apostolos suos praedicare, non vero scribere iussisse sciamus." C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 61. cf. Dr. Gratz, Apologet des Katholicismus. Mainz 1820. 1. Hft. p. 44. Alzog l. c. (n. 199.) p. 52. — Kath. Lit. Zeit. von Kerz, Jgg. 1834. 4. B. p. 195. — Dr. J. Scheiner, ein Wort zur Ehre der Bibel, in d. n. theol. Zeitschr. von J. Pletz. 5. Jgg. 1. B. p. 221. ss. — item 2. B. p. 370. — Quare Dr. Claudius, (protest.) Uransichten des Christenthums 1808. idem agnoscit: „Ueberhaupt kann sich aus den Schriften des N. T. kein zusammenhängender Lehrbegriff hernehmen und erweisen lassen." Pariter Dr. Tieftrunk, (protest.) Censur des protestantisch. Lehrbegriffs. 1795. 1. Th. „Es ist ein falscher Anschlag, wenn man jene Quellen (die h. Schrift) als vollkommene Lehrbücher der christl. Religion ansehen will. — Jeder unbefangene Protestant muß es gestehen, daß die N. T. Schriften das Gepräge der Rhapsodie nur zu deutlich an sich tragen, als daß sie als ein vollendetes Ganzes betrachtet werden könnten." cf. quoque Münscher, l. c. (n. 331.) tom. 1. p. 332. Ceterum, quum, ut ait Lactantius, de divin. inst. L.

ne accidentali conscripta; ex adverso, praedicatio ecclesiastica plenarie revelationem in se continet, adeoque ambitu amplior est, quam sunt SS. Literae [381]), neque accidentali aliqua occasione magisterium ecclesiasticum institutum est, sed eo fine, ut servet et doceat omne verbum Dei revelatum. Sane

a.) Principium verbi revelati Christiani e mente Christi est vivum depositum in Ecclesia Catholica per Spiritum S. asservatum plenarie, et, per donum infallibilitatis, certissime; et, quia Christus voluit ut doctrina sua, quam hominum beandorum caussa attulit, integre tradatur hominibus: magisterium Petro-Apostolicum instituit vivum, infallibile ac semper durans, quod viva voce edoceat homines doctrinam salutarem. — Cuius dispositionis caussam, si humanas velis consulere rationes, facile perspicies: est quippe illa docendi methodus omnibus omnino hominibus, cultura adeo diversis, accommodatissima omnium, quae cogitari possunt, quadransquè sicut ad omnes homines, ita etiam ad omnia omnino tempora. Et recte in hac methodo et infallibilitatis dote iure reponitur possibilitas universalitatis seu Catholicitatis Ecclesiae Christianae.

---

4. C. 12. p. 440. ed. Valch. „satis firmum sit testimonium ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis," plura addere iis, quae §. 55. nott. 271. 272. dixi, nolui.

[381]) Hinc Doederlein, (ipse protest.) l. c. (n. 272.) p. 184. scribit: „nec praeteriri h. l. poterit, vetuisse consilium Librorum N. T., quin totum et luculentum doctrinae christianae systema — proponeretur; merito itaque ad monumenta doctrinae publicae refugimus, cum, quid vere tradiderint Apostoli, definiendum sit."

b.) Apostoli viva voce docuerunt, et sibi in munere successores constituerunt, qui pariter docerent suos, — tum aliqua scripto consignarunt, ast non eó consilio, ut haec scripta superfluam redderent institutionem et explicationem oralem, vel in locum principii assumerentur. Cuius rei testes sunt ipsa horum Scriptorum conformatio, omnisque historia: potest quippe in multis horum Scriptorum occasio valde accidentalis ostendi, cur exarata sint. Sunt ergo SS. Literae tamquam radii e sole vivi depositi profluentes et illuminantes, non tamen ipse sol. — His praemissis ita licet argumentari:

Sententia, veritatem quamdam e parte tantum continens, explicatum et lucem capit ex alia sententia, quae eandem veritatem continet plenarie: quare recte asseritur, sensum S. Scripturae plenarie explicandum esse ex analogia doctrinae Catholicae[382]). eg. SS. Auctores hierarchiam ecclesiasticam non descripserunt modo scholastico, sed huc spectantia dicta et facta Jesu more historicorum literis consignarunt; et hinc verba Jesu de collata divinitus potestate ligandi, solvendi, et pascendi, iam ad omnes Apostolos directa occurrunt, iam fere eadem verba repetita, ad solum Petrum. Haesitabit hic interpres, aliunde plenius non informatus: vel enim verba illa ad solum Petrum dicta arbitrabitur, sed tunc quae-

---

[382]) „Da, wo die ganze göttlich-geoffenbarte Lehre sich findet; wo das Wort Gottes nach seinem ganzen Wesen, nach seinem vollen Umfange hinterlegt ist, — ist das rechte Verständniß des geschriebenen Gotteswortes zu suchen." Vogl l. c. (n. 76.) p. 32. — cf. Dr. Herbst, die Kirche und ihre Gegner in d. drey letzten Jahrhunderten. Landshut 1833. p. 28. — Kath. Lit. Zeit. von Kerz. Jgg. 1836. 3. B. p. 93. — 4. B. p. 41.

ret, quomodo ea componenda sint cum illis, quae ad omnes dicta sunt; vel putabit, in persona Petri, utpote ferventis omnino Apostoli, et pro honore Domini zelantis, ad omnes dicta esse. Atque hinc ad omnem ambiguitatem et errorem praecavendum prae oculis habenda est analogia fidei Catholicae, quae magisterium Petro - Apostolicum plene exhibet, sicque certitudine infallibili determinat subiectum, ad quod verba illa directa sint: scilicet ad omnes Apostolos quidem, sed seorsim, propter specialem finem, nempe propter uniforme regimen totius aedificii ecclesiastici ad solum Petrum.

Ad pleniorem legi huic lucem affundendam iuvat notare: assertum, „partem explicandam, illustrandam, et supplendam esse ex toto," non ita esse intelligendum, quasi semper plena, totaque ecclesiastica praedicatio circa aliquod doctrinae punctum esset adhibenda ad textum aliquem exponendum adeo, ut, ubi aperte de parte solum doctrinae sermo est, *inferenda* et *supplenda* sint reliqua, quasi S. Auctor tunc quoque totam doctrinam voluerit sistere, ubi aperte tantum de parte eiusdem agit. Id esset sensum inferre in s. textum, non interpretari. Id unum commendo: si plenarium iudicium ferendum sit de integra quadam doctrina, — in praesenti, exponendo effato vero tantum de parte eiusdem doctrinae sermo habeatur: non esse subsistendum in hac parte, h. l. fors occasionaliter memorata, sed consulendam esse analogiam fidei [383]). eg. Ephes. II. 8—10. scribit Paulus: „Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur; ipsius enim su-

[383]) Cf. Kozelka, l. c. (n. 4.) 5. Jgg. 2. B. p. 308.

mus factura." Hic Apostolus iustificationem fidei adscribit ita, ut opera excludere videatur: ecclesiastica praedicatio autem ceu iustificationis media exhibet fidem et opera, sicque plenarium illius doctrinae conceptum indigitat. Quid ergo? num sic haec doctrina ad textum cit. applicanda erit, ut in illis Apostoli verbis suppleantur et opera, ac dicatur, Apostolum propter analogiam doctrinae h. l. docuisse, etiam opera esse necessaria ad iustificationem? procul absit; dicendum potius: hic loci Apostolum certe tantum de fide iustificante loqui, sed in hoc loco non esse subsistendum, si *plenarium iudicium* ferendum sit de doctrina, huc spectante. Insuper, cum Apostolus h. l. excludere videatur opera, huius rei caussa in aliis circumstantiis quaerenda est, quas ipsa Scriptura, scopus, occasio scribendi, aliaque adiuncta suppeditant.

Legibus Hermeneuticae Catholicae iuvat subiungere verba S. Vincentii Lirinensis, quae, sive de interpretatione ecclesiastica, (quod maxime probabile), sive de analogia fidei (prout volunt nonnulli), ceu norma interpretandi intelligantur, — doctrinam, in hac Hermeneuticae parte propositam, insigniter commendant. Ita autem Vir hic loquitur: [384]) „Saepe magno studio, et summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa via Catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus retuli, — — divinae legis auctoritate, tum Ecclesiae Catholicae traditione. Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat,

[384]) L. c. (n. 271.) Cap. 1. et 2. p. 16. 17.

quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam S. pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Caelestius; aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticae et Apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur."

HERMENEUTICAE BIBLICAE GENERALIS

SECTIO II.

DE SENSU INVENTO EXPLICANDO.

§. 68.

Species sensum inventum explicandi.

Praecipuae species sensum inventum explicandi sunt tres, nempe Paraphrases, Scholia et Commentarii; his attamen, si liber exponendus peregrino idiomate scriptus esset, praemittenda est versio: nam verba singula, et integrae dictiones, nexus orationis, ceteraque, a quibus sensus cognitio pendet, denique res ipsae multo diligentius examinantur, et clarius percipiuntur, si verba auctoris verbis alterius lingvae ad amussim exprimere contendimus [385]). Itaque de his singulis paucis agendum.

§. 69.

Versio.

Versio est permutatio idiomatis alterius cum altero, inprimis vero peregrini cum vernaculo vel do-

[385]) Hinc saepe fit, ut, dum quis, quae intellexisse videbatur, vertere adnititur, observet, se mentem auctoris penitus non perspexisse, atque, ut in intima scriptoris penetrare valeat, novo ac ulteriori examine explorandum esse, quid defuerit.

mestico. Suprema lex in adornandis versionibus observanda haec est: ita adornanda est versio, ut praeter lingvam nulla re differat ab originali suo. Inde iam fluunt leges speciales quoad materiam, formam, et perspicuitatem observandae: et quidem

1. Quoad materiam seu argumentum libri vertendi requiritur, ut translator summam adhibeat fidem in ideis auctoris alia lingva exprimendis, i. e. nec plus nec minus dicat, quam auctor scripto suo complectitur.

2. Formam quod spectat: idem dicendi genus in versione retinendum est, quo auctor usus fuit: nam etiam ab eo pendet originalis character auctoris, qui prout in opere originali, ita etiam in versione elucere debet; igitur prosaicum prosaico, poeticum poetico, figuratum figurato dicendi genere est exprimendum; id tamen conformiter fiat genio illius lingvae, in qua versio adornatur; simulque cavendum, ne originalis character operis ratione aetatis, praecipue antiquae, et patriae violetur. Denique

3. Intuitu perspicuitatis, qua etiam, in quantum id genius lingvae originalis, inprimis orientalis, admittit, gaudere debet versio, — notandum est, hanc eatenus omnino sectandam esse, quatenus id citra iacturam fidei intuitu materiae et formae, item citra violationem characteris originalis auctoris quoad eius indolem, culturam, aetatem, mores, ceteraque adiuncta fieri potest. Secus autem praestabit in versione obscuritatem inevitabilem retinere, locumque obscurum in adiicienda paraphrasi aut annotatione illustrare [386].

---

386) De versionibus rite adornandis plura tum generalia tum specialia praecepta scripserant: Glassius l. c. (n. 55.) p. 306. ss. — J. Griesbach, im Repertor für bibl. u. morgenländ. Lit. 6. Th. Lpz. 1780. p. 262. ss. — C. Keil, Herm. N. T.

E dictis intelligitur, versionis adaequatae condendae negotium haud leve, sed omnino gravissimum esse, quod praeter vastam lingvae utriusque et rerum plurimarum peritiam, porro acumen ingenii, acre iudicium, ac diuturnam exercitationem requirit.

§. 70.

Paraphrasis.

Paraphrasis est uberior, attamen continuae orationis terminis adstricta, sensus elocutio, ad perspicuam eius cognitionem promovendam. Huius itaque est, obscurum membrorum nexum clariori in luce collocare, notiones medias, a loquente suppressas aut tantum implicite indicatas, supplere, plura e locis parallelis inserere, quae ad uberiorem sensus cognitionem conferre possunt, — ambigua circumscribendo figere, obscura perspicue exponere, atque doctrinas et res definitionibus, ex aetate et regione auctoris petitis, et, ubi opus est, insertis rationibus explicare. Dotes paraphraseos sunt perspicuitas et brevitas; cavendum tamen, ne nimio studio seu perspicuitatis prolixa, seu brevitatis obscura evadat. Porro caveat paraphrasta, ne, quae alioquin clara sunt, multis exponat, aut sua cogitata ceu sensum auctoris venditet [387]).

lat. red. C. Emmerling, Lips. 1811. p. 197. ss. — H. A. Schott et J. Winzer, Libri A. F. in lat. translati, vol. 1. Lips. 1816. praefat. — Arigler l. c. (n. 10.) p. 249. ss. — cf. Journal f. th. Lit. v. Gabler, 2. B. 1801. p. 365. ss. item v. Bertholdt, 12. B. 1821. p. 203. ss. et 15. B. 1822. p. 177—82.

[387]) Inter paraphrastas praecipua laude digni sunt: D. Brentano, die h. Schrift d. N. T. ed. 5. Grätz 1813—4. — Des. Erasm. Rot. Paraphrases in N. T. ed. ult. Berol. 1778—80. 3. vol. 8. — His accensetur S. Morus, Praelect. exeg. in Joan. Epp. cum periphrasi, Lips. 1796. — minus laudatur

§. 71.
Scholia et Commentarii.

Scholia et Commentarii non re, sed nonnisi ambitu ab invicem differunt; quod enim Scholia angustiori, id Commentarii ampliori praestant ambitu. Quare, praetermissa doctrina de Scholiis, unice Commentariorum indolem exponere iuvat, ex hac enim illorum quoque naturam intelligere pronum erit.

Est autem Commentarius solida, erudita et argumentis firmata sensus expositio. Commentarius itaque non tantum sensus intelligentiam adjuvat, sed etiam sensus inventi veritatem scientifice demonstrat, ac subtiliores quoque quaestiones, dubia et difficultates dilucidat. Id autem ut praestet, sequentibus proprietatibus instructus sit, oportet: 1) Variantes lectiones adferantur, critice expendantur et diiudicentur. 2) Quae vel philologice vel hermeneutice dubia aut minus certa et liquida sunt, vel quacunque demum difficultate laborant, serio expendantur, et ad leges hermeneuticas severe exigantur, tum vero sensus stabilitus argumentis comprobetur, contrarius autem solide refutetur. 3) Personae occurrentes loca geographica, res historicae, item allusiones ad mores, ritus et consvetudines auctori coaevas et domesticas, atque etiam doctrinae dogmaticae et morales, eae inprimis, quae sunt obscurae aut difficiliores, vel ab adversariis impugnatae aut depravatae, illustrentur et vindicentur. 4) Denique sententiae aliorum, quae habent aliquam veri speciem, sive ad criticam, sive ad exegesim spectent, adferantur et diiudicentur, atque tum de-

J. S. Semler, paraphr. Evang. Joan. — item Epp. SS. Pauli, Petr. Joan. Hal. 1771—84. et Rig. 1792.

mum sententia feratur, eaque clare proponatur, et rationibus idoneis firmetur.

Cavendum vero magnopere, ne aut quidpiam difficile vel obscurum intactum relinquatur, aut superfluae de rebus et verbis, aliunde notis, vel ad mentem auctoris perspiciendam nihil conferentibus, cumulentur explicationes et disputationes.

§. 72.
Exercitatio exegetica.

Qui ad maiorem in interpretando perfectionem assurgere, aut saltem Libris SS. rite interpretandis idoneus evadere cupit, requisitae regularum hermeneuticarum, lingvarum, critices, introductionis et antiquitatum cognitioni frequentem et continuam exercitationem iungat, oportet. Et ab initio quidem eiusmodi exercitatio instituenda est aliquo duce, qui de regulis cuilibet loco opportunis moneat, easque rite applicare doceat. Dein plura [388]) optimorum interpretum opera legenda, invicem conferenda, et diiudicanda sunt. Et quidem lectio haec attenta sit, et coniuncta cum continua ad leges hermeneuticas reflexione; observandum scilicet, quomodo hic vel ille interpres regulas interpretandi observet et applicet, quomodo illis satisfaciat, an non verba vel phrases invitis interpretandi principiis ad sua sensa detorqueat, an usum loquendi perspiciat, an non loco cuidam inferat potius sensum, qui inde efferendus erat; nullus enim interpretum nun-

[388]) Nam in quolibet haud pauca recte tractata invenies, aut dissensu attentior redditus, errores facilius deprehendes, et verum, fortasse nondum observatum, ipse comperies. Porro iuvabit singulorum virtutes et vitia notasse, ut, in singulis difficultatibus quos consulas, constet.

quam peccat. Diligenti hac lectione longiori tempore continuata, demum exercitatio interpretationis propriis viribus tentanda, saepiusque iteranda est, ut commissa fors errata perspiciantur, et emendari possint, appareatque simul profectus hucusque factus; quod ipsum novos animos addet, ut in coeptis sedulus progressus fiat. Exercitio hocce diutius nonnihil continuato fiet, ut theologus alio interprete non iam ceu magistro, in cuius verba iuret, sed ad summum qua monitore utatur, habilisque evadat interpretationem S. Scripturae proprio marte, eo cum laudabili fructu suscipiendi, ut, aliena minus indigus ope, proprio, ut decet, iudicio niti possit.

§. 73.

Praecipui Interpretes SS. Bibliorum.

I. Ex antiquis praecipua laude insigniri merentur in Ecclesia orientali: S. Joannes Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Theodoretus, Theophylactus, S. Ephraem Syrus, S. Basilius M. ect. — e latinis vero: S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Gregorius M. Beda Venerabilis [389]).

[389]) S. Hieronymi merita in rem exegeticam omnibus sunt notissima. S. Joannem Chrys. vero his celebrant Ernesti l. c. (n. 8.) P. 3. C. 9. §. 17. p. 288. „In epistolas Pauli nil melius aut par tota antiquitas habet. In historicos libros optimus est et plenissimus Commentarius in Matth. imprimisque dignus lectu." — et Morus l. c. (n. 42.) v. 2. p. 240. „In illo sane viro fuerunt omnia, quae a grammatico interprete exspectantur." Tum p. 306. quaerens: „ad quale tandem exemplar bonae interpretationis nos conformabimus?" respondet: „e priscis nominem Chrysostomum." — De meritis S. Ephraemi cf. A. G. Hoffmann, Geschichte der syrischen Lit. im Krit. Journal v. Bertholdt, 14. B. 1822. p. 258—63. — C.

Inter recentiores eminent: C. Sanctius, E. Sa, J. Maldonatus (qui primum hebraismos, praesertim difficiliores, recte explicat, deinde sententias Patrum super unoquoque loco diligenter exhibet), G. Estius (quem, quod mireris, ipse P. Bayle, alias nimis severus similium scriptorum censor, im histor. Krit. Wörterbuch. Lpz. 1741—4. s. h. v. impense laudat), J. S. Menochius, J. Tirinus, Cornelius a lapide, A. Calmet, Ludovicus de Deo, ect.

E recentissimis laudari merentur:

Die h. Schrift d. A. u. N. Test. mit Erklärg. v. H. Braun, 13. Bde. Augsb. 1788—97. — ed. 2. cur. M. Feder, 3. Bde. Nürnb. 1803.

D. h. Schrift d. N. T. mit Erklär. v. C. Fischer, Trier 1794.

D. h. Schrift d. A. u. N. T. erklärt v. D. Brentano, neu bearb. v. T. A. Dereser, u. J. M. A. Scholz (qui praecipuas quasque Europae bibliothecas et regiones orientales ipse sedulo lustravit, atque editis pluribus, iisque communiter celebratis operibus archaeologicis, criticis, et exegeticis inclaruit), 5. Thle. in 17. Bden. Frankfrt. 1820—37. (I. Th. 1—3. B. 5. Büch. Mosis, 2. Ausg. v. Dereser, 1820—32. — II. Th. 1. 2. B. Jos. Richt. Ruth. Sam. Kön. Chron. Esr. Neh. 2. Ausg. v. Dereser, 1827. 3. 4. B. Tob. Jud. Esth. Hiob. Makk. 2. Ausg. v. Scholz 1833. — III. Th. 1. B. Psalm. 3. Ausg. v. Scholz 1837. 2. B. Sprichw. Pred. Hohel. Weish. Sirach. 2. Ausg. v Dereser 1825. — IV. Th. 1. B. Jesa. 3. Ausg. v. Scholz 1837. cf. Theol. Quartalschrift v. Drey ect. Tübing. 1838. p. 136. s. — Katholik v. Weis, 68. B. 1838. 4. H. p. 71. s. — 2. B. Jer.

---

a Lengerke, de Ephraemi Syri arte hermeneutica. Regiom. 1831. — cf. supr. §. 7.

Bar. 2. Ausg. v. Scholz. 1835. 3. B. Ez. Dan. 2. Aufl. v. Scholz. 1835. 4. B. 12. Kl. Proph. v. Scholz 1833. — V. Th. v. Scholz. 1. B. Evang. 1828. 2. B. Apgesch. u. kath. Br. 1830. 3. B. Brief. Paul. 1829. 4. B. Apok. 1828.) Opus omnigena eruditione refertum, a nemine citra fructum uberrimum unquam legendum.

D. h. Schrift d. A. u. N. T. mit kurz. Anmerk. v. J. F. Allioli, ed. 2. Münch. 1837. 6. Thle. cf. recens. in theol. Quartalschrift v. Drey, ect. Tübing. 1836. p. 169. ss. et 1837. p. 387. ss.

Szent Irás, v. az ó s új Szövetségnek sz. könyvei, magyarúl Káldi Gy. után a köz diák fordításból az eredeti betűre is figyelmezve, Jegyzetekkel. 6. kötet. Négyesi Báró Szepesy Ignátz Pétsi Püspöknek felügyelése alatt. Posony 1834—6. Opus hungaricum, in hoc genere, primum, eximia huius Praesulis munificentia (duodecim millibus Rhenensium Florenorum Conventionalis Monetae) Patriae donatum, eo inprimis celebrandum, quod praeter claram, textu originali quoque consulto adornatam, versionem, etiam generalem et specialem introductionem in Libros SS. — item interpretationem ss. effatorum eruditam, capitum synopsim adaequatam, et loca parallela exhibeat, adeoque utilitatis sit amplissimae.

Die Psalmen, übers. u. erklärt v. J. B. Gerhauser, Landsh. 1817.

D. h. Schrift d. N. T. übers. u. erklärt v. J. H. Kistemaker. 7. Bde. ed. 2. Münst. 1825—6.

Canticum Cant. illustr. J. H. Kistemaker, Monast. 1818.

D. h. Schrift d. N. Bundes mit erklär. Anmerk. v. B. M. Schnappinger, 4. Bde. ed. 4. Grätz 1818. Notis exegeticis observationes morales subiiciuntur. Opus inprimis sacris curionibus commendandum.

Kommentar üb. d. Evang. Matth. v. A. Gratz 2. Bde. Tüb. 1821—3. add. A. J. Binterim kath. Bemerk. zu Gratz Komm. üb. Matth. Mainz 1823.

D. 12. Kl. Prophet. übers. u. erkl. v. J. A. Theiner, Lps. 1828.

Prophetae minores illustr. a P. F. Ackermann, Vien. 1830.

H. Klee, Commentar üb. d. Evang. nach Johan. Mainz 1829. —— über d. Ap. Paul. Sendschr. an d. Römer. ibid. 1830. — Ausleg. des Brief. an d. Hebr. ibid. 1833.

M. J. Mack, Commentar üb. d. Pastoralbriefe des Ap. Paul. Tüb. 1836.

F. X. Maszl, Erklärung der h. Schrift d. N. Test. 1—5. Bd. (quatuor Evang.) Straubing u. Wien 1831—7. cf. recens. im Katholik, rel. Zeitschr. v. Weis, 67. Bd. 1838. p. 88. ss.

II. Ex acatholicis longe plurimis paucos notasse sufficiat:

Hug. Grotii, Annotationes in V. T. ed. recss. cur. G. J. L. Vogel et J. C. Doederlein, 3. voll. 4. Hal. 1775—6. — in N. T. ed. nov. cur. C. E. Windheim, Erlang, 1755—7. et Hal. 1769. 2. voll. 4. Commentarios hos diligenter terunt et transcribunt nostri aliique; et est sane operae pretium eos frequenter consulere.

J. J. Vetsten, N. T. cum. comm. plenior. 2. tom. in f. Amstelod. 1752. ed. 2. cur. Lotze, Rotterd. 1831. vol. 1. quatuor Evang. — Judice Cl. J. Jahn „Promtuarium praestantissimum, quo nullus interpres N. F. sine incommodo carere potest, — fons ex quo omnes subsequentes meliores interpretes N. T. hauserunt."

J. D. Michaelis, Anmerkungen zu sein. Uebers. des A. T. ed. 2. Gött. 1773—87. 13. tom. 4. — zum N. T. 1790—2. tom. 4. — add. J. C. F. Schulz, Anmerk. u. Zweifel üb. Michaelis Anmerk. Hall. 1790—4. 6. fasc.

J. A. Dathe, Versio V. T. cum notis, ed. 3. Hal. 1831. — ed. 2. 1782. ss.

J. C. F. Schulz, Scholia in V. T. Norimb. 1783—97. voll. 10. (Pent. Jos. Jud. Ruth. Sam. Reg. Par. Esr. Neh. Esth. Psalm. Prov. Eccl. Cant. Job. Proph. min. Jes. Jer.)

S. F. N. Mori, Praelectiones in Luc. Evang. ed. C. A. Donat, Lips. 1795. — in Evang. Joan. ed. T. J. Dindorf, Prag. 1795. — Act. Ap. ed. G. J. Dindorf, Lps. 1794. — in Ep. ad Rom. ed. J. T. Holzapfel, Lps. 1794. — in Epp. ad Gal. et Eph. Lps. 1795. — in Epp. Jac. et Petr. ed. C. A. Donat, Lps. 1794. — in Epp. Joan. (ed. C. A. Hempel) Lps. 1796.

J. G. Rosenmüller, Scholia in N. T. ed. 5. Norimb. 1801 —8. voll. 5.

E. F. C. Rosenmüller, Scholia in V. T. ed. 2. Lps. 1815. ss. — ead. in comp. red. Lips. 1828. ss. — Saepe saepius ipsa Patrum, item Sanctii ect. verba transcribit.

N. T. perpet. annot. illustr. a J. B. Koppe. Vol. 3. Act. App. cur. J. H. Heinrichs, Gott. 1809—12. — V. 4. Ep. ad Rom. cur. C. F. Ammon, ed. 3. Gott. 1824. — V. 5. Epp. ad Cor. cur. D. J. Pott, 1826. — V. 6. Epp. ad Gal. Eph. Thess. cur. T. C. Tychsen, ed. 3. 1823. — V. 7. Epp. ad Tim. Tit. Philem. Philipp. Col. cur. J. H. Heinrichs, ed. 2. 1826 —8. — V. 8. Ep. ad Hebr. cur. J. H. Heinrichs, ed. 2. 1823. — V. 9. Epp. cath. cur. D. J. Pott, ed. 2. et 3. 1810—16. — V. 10. Apoc. cur. J. H. Heinrichs, 1818—21.

H. E. G. Paulus, philolog. krit. hist. Kommentar üb. d. N. T. ed. 2. Lübeck 1804—5. 4. tom. — et exeget. Handbuch der drey ersten Evang. Lps. 1830. ss. — Permultas exhibet interpretationes a longe petitas, quaesitas, artificiosas, argutas, audacissimisque hypothesibus superstructas, ideoque diligenti examini subiiciendas; praeterea merito carpitur, quod haud raro etymologiam prae usu loquendi sectetur, coneturque miraculorum narrationes promiscue in eventuum naturalium de-

scriptiones convertere; ut adeo maturiori iudicio praeditum, atque in interpretandi principiis satis obfirmatum esse oporteat, qui eo recto utatur. cf. Kritik des Komm. üb. d. N. T. v. Dr. Paulus. Jen. 1804. — et A. Sandbichler, eine Stimme des rufenden in der Wüste, oder Bemerk. zu d. Komm. üb. d. N. T. v. Dr. Paulus. 4. Hfte. Linz. München Salzburg. 1805—16.

C. T. Kuinoel, Comm. in Libros N. T. historicos. V. 1. Ev. Matth. ed. 4. Lps, 1837. — V. 2. Evv. Mar. et Luc. ed. 3. 1824. — V. 3. Ev. Joan. ed. 3. 1825. — V. 4. Act. Ap. ed. 2. 1827. — (add. F. A. Bornemann, Addenda et corr. ad Kuinoel. Comm. in Act. XIX. ss. im bibl. exeg. Repertor. v. E. F. K. Rosenmüller, 2. B. Lps. 1824. p. 231. ss.) Comm. in Ep. ad Hebr. Lps. 1831. — Opus lectu utilissimum, in quo praeter auctoris observationes eruditas, varias variorum sententias rite expensas invenies.

F. J. V. Maurer, Comm. in V. T. V. 1. Lps. 1835. Vol. 2. 1836.

H. Ohlshausen, Comm. üb. d. Schriften des N. T. 1. Bd. (Evang. Matth. Marc. Luc.) ed. 3. Königsb. 1837. — 3. B. (Epp. ad. Rom. et Cor.) 1836.

G. C. R. Matthaei, Auslegung des Evang. Johan. 1. Bd. Gott. 1837.

His merito accensentur celeberrimi in re exegetica viri acatholici:

J. A. Ernesti, Opuscula theol. ed. 2. Lps. 1792. — Lectiones acad. in Ep. ad Hebr. ed. G. J. Dindorf, Lps. 1795. — Neue theol. Biblioth. 10. Bde. Lps. 1760—71. — Neueste theol. Biblioth. 4. Bde. Lps. 1773—9.

J. G. Eichhorn, Comm. in Apoc. Gott. 1791. — Allg. Biblioth. der bibl. Lit. 10. Bde. Lps 1787—1801.

G. C. Storr, Opusc. acad. Voll. 3. Tub. 1796—1803. — Brief an d. Hebr. Tub. 1789.

J. A. Noesselt, Opusc. ad intr. SS. Script. fasc. 2. Hal. 1785—7. Exercitat. ad SS. Script. interpr. 1802.

S. F. N. Morus, Diss. theol. Voll. 2. ed. 2. Lps. 1798.

C. C. Tittmann, Opusc. theol. Lps. 1803.

G. Less, Opusc. theol. exeg. Gott. 1780.

H. C. Gehe, Comm. philol. theol. Lps. 1792.

E. A. Frommann, Opusc. philol. tom. 2. Coburg. 1770.

L. Bertholdt, Opusc. acad. ed. G. B. Winer, Lps. 1824. — Krit. Journal der neuest. theol. Liter. 15. Bde. Sulzb. 1814—22.

G. B. Winer, neu. krit. Journal, 9. Bde Sulzb. 1824—9.

J. J. Griesbach, Opusc. acad. ed. J. P. Gabler, 2. voll. Jen. 1824—5.

F. G. Süskind, Symb. ad illustr. quaed. Ev. loca PP. 3. Tub. 1802—4. — Magazin f. Dogm. u. Mor. v. J. F. Flatt u. F. G. Süskind, 17. St. Tub. 1796—1812. Idem hic

J. F. Flatt, Opusc. acad. ed. C. F. Süskind, Tub. 1826.

F. A. G. Krause, Ep. ad Cor. illustr. Frfrt. 1792.

H. A. Schott, Opusc. exeg. tom. 2. Jen. 1817—8. — Comm. in eos Jesu serm. qui de reditu Eius ad iudic. agunt. Jen. 1820. — Epp. ad Thess. et Gal. illustr. Lps. 1834. cf. Tholuck, lit. Anzeig. 1835. p. 427. ss.

J. V. Henneberg, Comm. üb. d. Evang. Matth. Erf. 1829.

E. W. Hengstenberg, Christologie des A. T. u. Comm. üb. d. Mess. Weissag. Berl. 1829. ss.

F. Lücke, Comm. üb. d. Schriften des Johann. 2. Th. Bonn. 1820—4.

G. C. Knapp, Scripta var. argum. tom. 2. ed. 2. Hal. 1823.

F. W. C. Umbreit, Comm. üb. d. Sprüche Salomos, Heidelb. 1826. — D. Buch Hiob. ed. 2. ibid. 1832. — Theol.

Studien u. Kritiken, v. D. C. Ullmann u. Umbreit, Hamb. 1828. contin.

W. M. L. de Wette, exeg. Handbuch zum N. T. Lps. 1836. 1. B. (1. Th. Matth. — 2. Th. Marc. u. Luc. — 3. Th. Johan. Evangel. u. Briefe. — 4. Th. Apostelgesch. 1838.) contin. — Comm. üb. d. Psalm. Heidelb. ed. 4. 1836. ect.

C. F. A. Fritzsche, quatu. Evang. cum comm. ed. Lps. 1826. t. 1. Ev. Matth. — t. 2. Ev. Marci. 1830. (cf. Tholuck, lit. Anzeig. 1830. p. 508.) — Ep. ad Rom. Hal. 1836. — Euphrosyne, eine philolog. Zeitschr. Rostock. 1. B. 1836. cont. — add. C. F. A. O. Fritzschiorum opuscula academica. Lps. 1838.

A. Tholuck, Comm. zum Evang. Johan. ed. 5. Hamb. 1837. — Brief an d. Hebr. ibid. 1836. — Brief an d. Röm. Berlin 1824. — Lit. Anzeiger für christl. Theologie. Hall. 1830. contin.

K. R. Jachmann, Comm. üb. d. kath. Briefe, Leipz. 1838.

Item: Vater, Schulthess, Ewald, Schmidt, Eckermann, Gesenius, Lang, ect.

§. 74.

Rectus horum usus.

Qui de variorum horum operum selectu et usu qualiter faciendo quaereret: eum prae ceteris monitum velim, veterum auctorum observata haudquaquam esse negligenda; lapides profecto, atque arenam illi ministrarunt, iuniores praeter calcem non multa. Laudandi hi sunt, quod rationem ac viam paraverint, qua negotium hoc facilius et commodius explere liceret, at vero seniores ii sunt, qui multarum rerum copiam in hanc disciplinarum theologicarum partem invexerunt. Habeantur sane recentiores antiquis pares, vel etiam

superiores, quod presse dicant, quae fuse olim proposita sunt; illi tamen *priores* divitem adeo doctrinae supellectilem suppeditarunt, ut in rerum, ad Scripturae intelligentiam pertinentium, inventione omnibus ceteris palmam praeferant. — Quodsi tamen quaedam in veterum scriptis deessent, quae ad perfectam, nostrisque adiunctis conformatam aedificii huius structuram iuniorum industriam, veluti necessariam, deposcerent, ea sarcire oportebit diligentia recentiorum. Et his quidem acatholicos quoque accensere licebit, meritoque interpres omnia circumspiciet, atque, exemplo virorum magnorum pariter ac sanctorum [390]), ad aliena etiam castra, non quidem tamquam transfuga, sed tamquam explorator, excurret, i. e. et nostrorum et aliorum scripta excutiet, non nimis sollicitus, quis hoc aut illud scripserit, modo bene scriptum intelligat. Haud enim congrueret, cum de veritate Scripturae constet, litem de calamo facere. Attamen nunquam non meminerit, heterodoxos haud pauca suis placitis accommodare, adeoque lectorem desiderare et eruditum et cautum quam maxime; quare, collatis omnium sententiis, formicarum diligentiam, et apum, mella colligentium, discretionem imitetur, i. e. ad legenda scripta tam varia sedulitatem afferat impigram, tum vero prudentiam advocet, quae bona a noxiis, utilia a superfluis secernat. Postremo, quoniam apud acatholicos silva quidem rerum exegeticarum deprehenditur amplissima, attamen plurimis aedificio nostro necessariis arboribus de-

[390]) Sic ipse S. Hieronymus, quaerenti Damaso Pontifici, quid sibi velit, quod Gen. IV. 15. legitur, respondet, ad haec ante se iam respondisse Tertullianum et Novatianum, haereticos utique. Epp. 27. et 28. L. I. Epp. S. Hier. ed. Tyrn. 1762. p. 69. 71. — add. Viscr. l. c. (n. 8.) P. I. p. 33—42.

stituta: defectuum horum, inprimis vero fragilitatis humanae perpetuo memor, praesidia saluberrima, quae interpreti Christiano-Catholico provida ac benigna Sapientiae divinae cura, in summum rei vere Christianae emolumentum, in magisterio ecclesiastico, obtigerant, gratus memoria foveat perpetua, et perpetuo recolat usu! Atque sic demum fiet, ut, scopulis, in quibus multorum fides naufragium fecit, feliciter evitatis, ad portum veritatis divinae securus et salvus appellat!

APPENDIX.
PSEUDO-INTERPRETATIONIS SPECIES.

§. 75.
Praenotata.

Interpres, qua talis, unice quidem sensum dictorum examinat, cetera parum sollicitus, an, quae seu historica seu doctrinalia exponit, etiam obiectiva veritate nitantur: eapropter praeposteras, quibus veritas historica cunctorum, quae in Bibliis extraordinaria proponuntur, a priori negatur, aut certe in summum discrimen adducitur, similesque SS. Literarum exponendarum rationes silentio praeterire liceret, eo a fortiori, quod eas quisque cordatus, legentium pietati consulturus, perpetua oblivione obliterandas cupiat utique. Ast vero parallelismi et historici et didactici, haud postremi adiumenti hermeneutici, ratio aliud exposcit: ope huius enim interpres saepe saepius locum alterum ex altero, ubi idem seu narrari seu doceri intelligit, illustrare conatur; quod ut rite praestet, omnino noverit, necesse est, an, quae utrobique leguntur, historice vera sint, an vero fors seu prorsus ficta, seu figmentis adulterata? — Porro haud raro etiam e parti-

bus historicis sensum partium didacticarum metitur et confirmat; quo in negotio frequenter et multum a vero aberraret, si, quae ficta sunt, historice vera reputaret, et qua talia in usum transferret. — Accedit, quod interpres Christianus, hoc nomine dignus, de SS. Librorum non tantum plena fide historica, sed et divina auctoritate intime persvasum habeat, — praeposterae autem illae interpretandi rationes hisce SS. Literarum praerogativis e diametro adversentur: quapropter e re fore videtur, mythicam, moralem, psychologicam et panharmonicam Bibliorum exponendorum rationes paucis notare. Itaque examinanda venit

I. MYTHICA.

§. 76.

Notio et divisio mythi.

Haud pauci [391]) mythicam interpretationem, qua cuncta, quae in V. et N. F. extraordinaria narrantur,

[391]) Uti, praeter alios, J. G. Eichhorn, im Repertorium f. biblisch. u. morgenländ. Literat. Lpz. 1777—86. 18. Thle. item in sein. allg. Biblioth. der bibl. Lit. 10. Bde. Lpz. 1787—1801. et in sein. Einl. in d. alte Test. 5. Bde. edit. 4. Göttg. 1823—4. — denique in sein. Urgeschichte, herausg. v. Gabler. 1792. II. 1. p. 481. ss. — G. L. Bauer, in sein. Einleit. in d. alte Test. Nürnb. 1794. item in sua Hermen. S. V. T. (Glassii Philologia S. tom. 2. sect. poster.) Lps. 1797. p. 357. ss. — et Hebr. Mythologie d. a. u. n. Test. Lpz. 1802. add. recens. im Gabler'sJournal f. auserles. theol. Literat. 2. B. 1806. p. 40. ss. — D. J. Pott, Comm. in Gen. II. et III. Helmstad. 1796. cf. Theol. Journal v. Haenlein, Paulus, Gabler. 12. Bd. Nürnb. 1798. p. 309. ss. — Meyer l. c. (n. 1.) 2. Th. p. 552. ss. — Fritzsche ll. cit. (§. 73.) — Thiess l. c. (n. 201.) — P. Bohlen, d. Genesis hist.-krit. erläutert. Königsb. 1835. adde crisin huius operis, quam exhibet: „F. Bleek, solemnia nat. Reg. Frid. Wilhelmi indicit; insunt de libri Geneseos origine et indole historica

ficta ponuntur, inducere conabantur. **Est** autem mythus, qualis hic quidem in censum venit: facti, statusve alicuius, aut ideae vel problematis philosophici, aut veritatis religiosae vel moralis rationalis, symbolica, et aut prorsus ficto aut figmentis, iisque plerumque miraculosis exornato involucro historico vestita repraesentatio.

Dividuntur communiter mythi in historicos, philosophicos, poeticos et mixtos. — Mythi *historici* dicuntur: narrationes priscae de rebus vere gestis (uti de origine mundi et hominum, de inventoribus artium et scientiarum, de auctoribus cuiusdam stirpis insi-

---

observationes contra Bohlenium. Bonn. 1836." Auctor hic doct. inter cetera evincit: „quam parum certa sint, quae Bohlenius certissima esse vult, quantopere indulserit auctor praeiudicatis opinionibus, quas aliis librorum V. F. interpretibus vehementer exprobrat, quam parum denique ipse in iis, quae hic illic de libri conscriptione atque ingenio profert, sibi constet." Quibus subiungit votum, ut alii, veritatis studiosi, „hoc iniunctum sibi habeant, ut, quantum in ipsis sit, pseudocritices arrogantiam proterviamque castigent, eiusque assertiones sanioris critices usu redarguant, ita vero, ut ne cum falsis vera simul abiiciant." — Wegscheider l. c. (n. 255.) p. 156. — Riegler l. c. (n. 243.) §. 22. (secutus, quae L. de Wette, hist.-krit. Einleit. in d. Bücher d. a. Test. edit. 3. Berlin 1829. §. 136. scripsit.) cf. Der Katholik v. Weis. 59. Bd. Speyer 1836. p. 98. — Krit. Journal v. Bertholdt, 5. B. Sulzb. 1816. p. 236. ss. — Nuperrime vero, et specioso sophismatum apparatu Strauss l. c. (n. 113.) Quomodo autem huius molimen a simili aliorum differat, ipse 1. B. p. X. pandit: dum scilicet alii tantum *singulis*, hic *omnibus* historiae evangelicae partibus mythice exponendis studuit; ast de modo ac successu, quo id praestiterit, recte iudicat Censor eruditus, dum in der Jenaischen allgem. Literaturzeitung 1836. Nro. 166—71. evincit, quod in hoc Dris Strauss opere „das Wahre nicht neu, das Neue nicht wahr, und nicht einmal wissenschaftlich ausgeführt sey."

gnis aut sectae e. g. religiosae, denique de ipsius huiusmodi instituti religiosi initiis primisque progressibus), iuxta antiquum cogitandi loquendique modum propositae, et ante ipsam historiarum conscriptionem hominum, prisca pleraque in miracula vertentium, ore diu propagatae, sicque variis modis auctae et exornatae, postea vero hac ipsa, quam fando traditae progressu temporis acquisiverant, forma literis consignatae. — Mythi *philosophici* aut *philosophemata* sunt: perantiquae sapientiorum de rebus abstrusioribus, inprimis moralibus, earumque caussis et originibus, opiniones ac reflexiones, habitu historico donatae [392]). — Mythi *poetici* sunt: aut nova quaedam poetarum de rebus quibuscunque demum commenta, quorum ratio magis in auctorum facultate imaginandi, quam in ipsarum rerum natura quaerenda sit, — aut mythi seu historici seu philosophici, poetarum figmentis mirum in modum amplificati atque exornati. — Denique mythi *mixti* vocantur, qui e singulis, breviter descriptis, aut saltem duobus prioribus mythorum generibus aliquid continere censentur [393]).

[392]) Itaque mythus historicus quidem a re in facto posita progreditur, et meditationes ac iudicia, quibus sensim insertis ampliatur, secundo loco habet, — mythus philosophicus vero ab ipsis orditur meditationibus, et factum aliquod in suam rem convertit.

[393]) E dictis patet, vocem *mythus* nonnisi tamquam euphemismum loco vocum synonymarum, *fictio*, *fabula*, usurpari. — Mythi notionem et species, exemplis variis illustratas, pluribus exponunt: Damm, Lex. Homer. s. v. μυθος. — Bohlen l. c. (n. 391.) p. XVII. — J. E. Osiander, Apologie des Lebens Jesu. Tübing. 1837. p. 18—25. — Bauer, Symbolik u. Mytholog. 1. B. p. 28. 89. — P. B. Zimmer, über Begriff d. Geschichte, üb. die vorgeblichen Mythen im 1. Buch Mosis. München

§. 77.

Momenta, quibus mythorum patroni mythicam interpretationem fulcire nituntur.

Si de rationibus quaeratur, quibus haec pseudointerpretationis species passim superstruitur, illae fere sequentes sunt: inprimis scilicet

Quotquot mythicae SS. Librorum interpretationis patrocinium suscipiunt, in Libris SS. multas narrationes mythicam speciem portendere, ex analogia inferendum existimant, quum nempe constet, aliarum quoque gentium primas origines, vetustamque historiam plus minus fabulis esse obvolutas. Si enim, inquiunt, apud alias quaslibet gentes antiquas facta memorabilia diu nonnisi ore tradita sunt, scribendi arte necdum seu inventa, seu vulgo recepta, — si, quae ore traduntur, per fallacem narrantium memoriam temporis decursu longe alia apparent, quam vere accidissent, — si priscorum inops sermo, vivida imaginandi vis, et

1817. p. 142. ss. — F. Werner, Bemerkungen über das angeblich Mythische in d. Evangelien; im Literar. Anzeiger v. Dr. Tholuck, Halle 1837. p. 395. — D. Theile, zur Biographie Jesu. Lpz. 1837. p. 111. ss. — Studien u. Kritiken v. Ullmann ect. Hambg. 1836. p. 783—806. — M. Dobmayer, Systema Theol. cath. T. V. P. I. Solisb. 1818. p. 334. — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. B. 1833. p. 173. — Wegscheider l. c. (n. 255.) Prol. C. I. §. 8. b. p. 28. — Meyer l. c. (n. 1.) 2. Th. p. 543. ss. — Morus. l. c. (n. 42.) V. 1. p. 285. ss. — Glassius l. c. (n. 55.) p. 351. ss. — Strauss l. c. (n. 113.) 1. B. p. 75. edit. 1. mythos relate ad Christianismum definit: „Geschichtartige Einkleidungen urchristlicher Ideen, gebildet in der absichtslos dichtenden Sage." Sed adde notionis huius censuram, scriptam a M. J. Mack „Bericht über die kritische Bearbeitung des Lebens Jesu v. Dr. Strauss;" in d. theol. Quartalschrift v. Drey ect. Tübing. Jgg. 1837. p. 39—42.

crassa rerum naturalium ignorantia eos modo ad dicendi formulas minus proprias minusque aptas usurpandas coegit, modo ad quamplurima luxuriantis ingenii commenta sectanda permovit, modo denique ad prodigia ac portenta quaerenda aut saltem facile credenda impulit, ut sequior aetas, quae ab illis tradita percepisset, fabellarum potius quam historiae formam referre censeret, — si primigenia sapientia, rerum naturalium et caussarum latentium indagatrix, sed perquam imperfecta, rudis, et abstractarum notionum minime capax, suas coniecturas, suasque saepe hallucinationes historica quadam veste induit, qua oculis quasi conspicerentur eorum, qui solis afficerentur rebus, in sensus incurrentibus, — verbo, si ceterarum priscarum gentium historia ac philosophia a mythis orditur, cur non idem hebraeae quoque genti cum his commune fuisse dicamus? an decet, mythorum usum omnibus omnino vetustis adscribere gentibus, hac duntaxat sola excepta? (Argumentationis huius vis mox directis infringetur momentis, quapropter eos, qui ita arguunt, h. l. tantum monitos velim, parallelismum illum nequaquam merito statui, nam a.) Hebraei in omnibus magnopere differunt ab aliis nationibus, et in specie quidem tales de Deo et hominis dignitate notitias, tamque defaecatam disciplinam moralem in hac natione inde a primordiis invenire est, quales ne cultissimis quidem temporibus habuit Graecia aut Latium; quod ipsum clarissimo est indicio, Hebraeis illas modo extraordinario, ut refertur, innotuisse; — b.) Hebraei vetustissimam historiam non, velut aliae gentes, a *poetis*, sed hanc non secus ac sequiorem ab *historicis* conscriptam receperunt: quantum vero discriminis scripta poetica inter et historica obtineat, neminem

latet; — c.) triplex illud aevum, quod Varro distingvit, omnibusque gentibus tribuit, et cui adducta argumentatio superstruitur, nempe *αδηλον*, *μυθικον*, et *ιστορικον*, Hebraeis adeo non convenit, ut apud illos nec *αδηλον*, nec *μυθικον* obtineat, sed omnia sint *ιστορικα*; atque hinc — d.) ubi apud alias gentes mythi cessant, apud Hebraeos, una illa eademque manente ***historia***, eadem perseverat narrandi ratio, imo sequioribus temporibus, historia universim largiori fluente fonte, extraordinaria quoque plura narrantur.) Porro

Patroni mythicae interpretationis aiunt, quamplurima, in Bibliis relata, si historice vera habeantur, gravissimis premi difficultatibus, ideoque iam dudum Religionis nostrae adversariis visa esse incredibilia, ridicula, et absona, neque a sanae mentis homine admittenda; quae igitur cum per historicam interpretationem eo modo exponi nequeant, in quo omnes acquiescere possent, peropportune suppetere mythicam interpretationem, quae Codicis sacri narrationibus corticem, nempe extraordinariam suam ac portentosam speciem eximere, sicque eas, genuinae puritati restitutas, naturali suo habitu exhibere nitatur haud infeliciter, atque ita ad vindicandam et tuendam SS. Librorum dignitatem conferat adeo, ut haec ipsa mythicam illam interpretationem impensius exigat. (Astvero in Bibliis adeo nihil Deo indignum invenitur, ut ea quoque, quae fors, leviter considerata, offensae caussam praebere possent, penitius examinata, e sublimi fine profecta, adeoque Deo dignissima deprehendantur. Ex adverso per mythicam interpretationem dignitati SS. Librorum non tantum non consulitur, ut potius eminentissimae eorum praerogativae, nempe fides historica, et auctoritas divi-

na summo discrimini exponantur. Quapropter verissime dicitur, quod totum illud de mythis tamquam corticibus *sophisma* nihil sit aliud, quam terribilis quidam mythus, continens *nucleum* hostilitatis in Religionem positivam: etenim positivorum omnium et extraordinariorum e Bibliis eliminandorum studium abs dubio principalem praebuit fingendis mythis occasionem.) In specie vero

Mythorum in N. F. admittendorum rationem plerique [394]) in Prophetarum V. F. vaticiniis, hisque superstructis Judaeorum, Christo coaevorum, exspectationibus de Messia eiusque characteribus reponunt, asserentes, primos Christi sectatores, e Judaeis Messiam anxie exspectantibus collectos, animo pie poetico, tristi Salvatoris, viri insignis, exitu potissimum inflammato, e Messiae characteribus, in V. F. adumbratis, totidem narrationes rerum tamquam vere gestarum mente effinxisse, easque sensim uberius expositas, acsi vere contigissent, vitae Jesu inseruisse. (Argumentationem hanc arbitrariam esse, multisque involvi difficultatibus ac contradictionibus, mox ostendetur, quare eius auctores h. l. tantum meminisse velim, Jesum Messiam in N. F. *talem* quoque describi, qualis a *Judaeis*, Jesu coaevis, minime exspectabatur. Atque hinc mythorum patroni, si in hac maximi momenti re, utpote quae, velut praetendunt, uberrimus fuerit mythorum fons, provide agere, sicque mythologiae evangelicae firmum fundamentum ponere voluerunt, — *Judaeorum*

---

394) Signanter Strauss l. c. (n. 113.) 1. Bd. p. 89—102. — adde lectu dignissima, quae respondit Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 65—81. coll. Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. B. p. 174.

de Messia exspectationes, adeoque *iudaicam* Christologiam ab *illa*, quae *Christi* et *Apostolorum*, messiana V. F. vaticinia explicantium, doctrinae innititur, probe discernere, et tum solummodo secundum *illas* pericopas evangelicas, quae *Judaeorum* opiniones et exspectationes pandunt, imaginem Messiae pingere debebant, quae dein mythis fingendis occasionem praebuerit; quod cum praestare neglexerint, vereantur, ne fors speciosum suum aedificium super arenam aedificasse dicantur.)

Et his similibusque e rationibus obtenditur, permultas narrationes biblicas, et inprimis quidem illas de factis extraordinariis, tantum formam esse et involucrum, sub quo, tamquam cortice, mens auctoris, tamquam medulla, veritatem quamdam, vel factum, aut statum proponentis, recondita lateat; ut adeo intuitu similium narrationum munus interpretis sit, cavere, ne externum corticem, et formam narrationis pro interna veritate et mente auctoris habeat,— atque solerter eniti, ut veritatem, quae narrationi subsit, caute ac sagaciter inde exsculpat, suisque additamentis ac ornamentis externis exutam pure proponat. — Quo iamvero intelligatur, quid de mythica hac interpretatione ex aequo iudicandum sit, quaestio solvenda venit, an in Bibliis mythi occurrant? ad quam quaestionem tuto reponere licet:

§. 78.

In Bibliis mythi non dantur [395]).

In asserto hocce comprobando distincte spectare iuvat primum Libros SS. Veteris, tum Novi F. et quidem

[395]) Libros SS. a mythis, praeter alios, vindicarunt: Hess, „Grenzbestimmungen dessen, was in der Bibel Mythus

I. In Bibliis V. F. mythos non dari, sequentia evincunt:

ect. ist;" in seiner Bibliothek der heil. Geschichte, 2. Bd. Zürich 1792. p. 152—254. Dissertatio multiplici cruditione, et sagaci antiquitatis examine insignis. — C. G. Heusler, Bemerkungen über Stellen in d. Psalmen, u. in d. Genesis. Hamburg. 1791. Praecipue contra J. G. Eichhorn disputat. — K. G. Kelle, Würdigung der mosaischen Schriften. Freyberg 1812. 2. Hft. cf. Krit. Journal v. Ammon u. Bertholdt, 1. Bd. 4. St. 1814. p. 395. ss. — Zimmer l. c. (n. 393.) — Theol. Zeitschr. v. Frint, 2. Jgg. 2. Bd. 1822. p. 101. ss. — Jahn l. c. (n. 17.) 1. Th. 1. Bd. 1797. Vorr. p. 9. ss. — et l. c. (n. 18.) 2. Th. 1. Abschn. 1803. p. 104. ss. — Ackermann l. c. (n. 18.) p. 168. ss. — M. Hagel, Apologie des Moses. Sulzb. 1828. coll. Katholik v. Weis, 33. Bd. p. 125. et n. krit. Journal v. Winer, 9. Bd. p. 356. ss. — Unterkircher l. c. (n. 189.) p. 135. ss. — F. Pritz, über d. Alter u. d. Glaubwürdigkeit der Genesis. in d. n. theol. Zeitschr. v. Pletz, 2. Jgg. 1. Bd. 1829. p. 206. ss. Fortsetz. im 3. u. 4. Jgg. — J. Guzmits, Theologia christ. fundamentalis. Jaurin. 1828. p. 276. ss. — A. L. C. Heydenreich, über die Unzulässigkeit der mythischen Auffassung des Historischen im N. Testam. Herborn 1831. cf. Jenaisch. Liter. Zeitg. 1833. Nro. 81. — Tholuck, Comment. z. Evang. Joh. ect. p. 113. ss. — C. H. Sack, christl. Apologetik. Hambg. 1829. p. 100. ss. — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. Bd. 1833. p. 172. ss. — Werner l. c. (n. 393.) — Osiander l. c. (n. 393.) — Mack l. c. (n. 393.) — M. Gelpke, das Unhaltbare der Ansicht des Lebens Jesu nach D. Strauss. Grim. 1836. — J. Heinroth, Prof. d. Med. Bemerkg. eines Layen über Strauss's Leben Jesu. im lit. Anzeig. v. Tholuck, 1836. Nro. 46. — W. Hoffmann, d. Leben J. v. Strauss, geprüft. Stuttg. 1836. — C. B. Klaiber (praemature mortui) Bemerkungen üb. d. Leb. Jes. v. Strauss. Stuttg. 1836. — J. P. Lange, üb. d. geschichtl. Charakter d. Evangelien. Duisb. 1836. — A. Tholuck, d. Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte, zugleich eine Kritik des Lebens Jesu v. Strauss. Hambg. 1837. coll. Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 292.* — Tuebinger Zeitschr. f. Theologie. 1835. 3. S. p. 117—200. 4. S. p. 63—80. 1836. 2. S. p. 14. ss. — J.

Mythicae relationes, antiquis gentibus usitatae, omnes tunc finem habuisse communiter idque recte censentur, cum, introducto scripturae usu, existerent, qui facta, *literis consignata*, non autem *ore* tantum tradita, posteritati mandarent. Nemo igitur, horum memor, si modo sibi constare velit, mythos quaesierit aut admiserit in Libris SS. V. F. utpote qui (exceptis prioribus Geneseos documentis) relationes exhibent, minime fors *fando* diu propagatas, sed mox literis consignatas; et quidem signanter Pentateuchus conscriptus est a Mose, qui omnibus, quae quatuor posterioribus Pentateuchi Libris (exceptis primis Exodi capitibus) narrantur, ipse praesens adfuerat, interfuerat, praefuerat, imo omnia ipse gesserat, administraverat, ac gubernaverat, ut ipsum nihil eorum, quae et quomodo acciderunt, latere potuerit, — denique Libros hos, a se sincere con-

Vaihinger, über die Widersprüche, in welche sich die mythische Auffassung der Evangelien verwickelt. Stuttg. 1836. — J. Zeller, Stimmen der deutschen Kirche üb. d. Leben Jesu v. Strauss. Zürich 1837. (42 opuscula, adversus Drem Strauss edita, recenset.) — A. Neander, d. Leben Jesu, in seinem geschichtlichen Zusammenhange dargestellt. Hamb. 1837. — J. Hartmann, d. Leben Jesu geschichtlich dargestellt. Stuttg. 1837. — Ceterum gratulabundus subscribo illis, quae de venerando *nostro* J. L. Hug scripsit A. Tholuck (protestans) in seinem Literar. Anzeiger, Halle 1836. Nro. 53. p. 428. „Dr. Hug ist ein theologischer Schriftsteller, der seines Gleichen sucht, der eine Vielseitigkeit der Gelehrsamkeit für seine Zwecke zu handhaben weiß, wie sie kaum einem andern Theologen unserer Zeit zu Gebote steht. Gerade der mit seiner ausgedehnten und dabey so gründlichen Belesenheit, mit seinem kritischen Scharfsinn, mit seiner klaren und übersichtlichen Darstellungsgabe, mit seiner Nüchternheit des Urtheils wäre der Mann, den wir vor Vielen am liebsten mit Dr. Strauss im Schlachtfeld sehen möchten!"

scriptos, publice tradidit primoribus nationis, et universo etiam populo praelegit ac praelegi curavit, — atque omnes unanimes, qui gesta haec omnia suis oculis conspexerant ac experti fuerant, Libros, doctrinam de uno Deo (tunc temporis haud acceptam) et legem onerosam continentes, ut fide dignos — imo ut opus legati divini, venerabundi susceperunt.

Reliqui Libri historici, uti Judicum, Samuelis, Regum, Paralipomenon ect. e documentis domesticis, publicis, et coaevis religiose excerpti, — illis temporibus, quibus documenta illa adhuc existebant et conferri poterant, editi, — atque a lectoribus fide digni habiti et prae antiquis illis ac coaevis documentis probati fuerant, cum illi quidem diligentius custoditi posteris commendarentur, haec vero temporum iniuriis relicta perierint.

Documenta vero, in Genesi collecta, gestis quidem, quae referunt, recentiora sunt, ut notitiae historicae, in illis propositae, aliquo tempore nonnisi ore propagatae fuerint; substantia tamen narrationis non fuit corrupta, nam

1. Recentiores quidem historiae, uti Abrahami, Isaaci, Jacobi, et Josephi Aegyptii paullopost scripto exaratae fuerunt; antiquiori autem aetate, de qua vetustiores relationes, diutius fando traditae, sonant, adeo longaevi érant homines [396]), ut opus non fuerit, eas per ora multarum generationum transire, donec literis mandarentur: nam Methuschelach

[396]) De longaevitate hominum primae mundi aetatis, praeter alia, legi merentur, quae in pagellis periodicis: Századunk. Szerkeszti Orosz József. Első esztendei folyamat. Pozsonyban, 1838. Nro. 21. et 39. hanc in rem erudite scripta habentur.

primis 243 vitae annis Adamum, et postremis sexcentis annis Noachum coaevum vidit, qui et ipse rursus postremis 58 annis Abrahamo — et Sem 108 annis Isaaco — coaevi vixere. Accedit *religiosos* illos patriarchas relationes has, utpote *religionis fundamentum*, maximi fecisse, filiis inculcasse, et senes, qui libenter narrant, centies repetitas rursus saepius repetiisse, ut non facile minus recte intelligi aut corrumpi potuerint.

2. Narrationes mythicae gentilium, quo altius ad rerum origines ascendunt, eo magis, — et quo propius ad historiam appropingvant, eo minus largo fluunt fonte. Ex adverso relationes, in Genesi conservatae, quo antiquiores sunt et diutius traditione propagatae, eo pauciora referunt; quo vero sunt recentiores, eo etiam locupletiores sunt. Sic historia sedecim et dimidii seculorum ante diluvium paucarum pagellarum ambitu comprehenditur, in quibus creatio, lapsus protoparentum, homicidium Caini, primordia artium, corruptio morum, denique tabula genealogica Noachi paucis proponuntur. Amplus hic Auctori patebat campus, commenta diffundendi, si consilium eius, velut mythologorum gentilium, fuisset fingere aliqua, aut genuinis spuria, factisque veris mythica adiicere. Ast ille, velut dicta docent, omnia incerta aut suspecta, quae ex antiquiori aevo fors aderant, repudiavit, nec, nisi omnino certa, recepit, posteritati transmittenda. — Argumento huic affine est sequens, quod pro omnibus Libris SS. pugnat, nempe:

3. Mythica commenta, quo sunt vetustiora, eo magis videntur paradoxa et mirabilia; ex adverso in antiquissimis relationibus biblicis quaedam rerum ex-

traordinariarum velut inopia cernitur, harumque plura posteriori aevo recurrunt exempla, nempe temporibus Abrahami, Mosis, aliquorum regum idololatrarum, Jesu et Apostolorum. Sed ex ipsis his temporum periodis, earumque adiunctis manifeste liquet, talium eventuum, supra ordinarias naturae vires positorum, finem fuisse sublimem Deoque dignissimum; si enim adiuncta illa, hominesque et universim et signanter in illis adiunctis positi psychologice examinentur, profecto patebit, nunquam adeo salubria, imo necessaria fuisse signa illa, quam, ubi patrata sunt, ut recta Dei veri cognitio radices ageret, et maiora in dies caperet incrementa.

4. Biblia breviter, simpliciter et sine ullo ornatu referunt res gestas absque omni vel levissimo indicio philosophematis aut lusus poetici. Sic mythi aliarum nationum initia rerum humanarum speciosis exornant fabellis, stupendaque de viribus ac scientiis primorum hominum narrant, — eorundem prodigiosis factis volumina replent, taliaque de gentis humanae origine referunt, quae prout ignorantiam rudiorum delectabant, ita a sapientibus contemnebantur aut certe risu excipiebantur. Ex adverso in Bibliis tenuia sistuntur primi hominis initia: e terra formatus et rursus in pulveres reversurus praedicatur, — mox in miseram sortem detruditur, atque ex amoenitatis loco terram asperiorem inhabitare compellitur. Imbecillitas, inopia ac ignorantia primorum parentum vivide non secus ac candide depingitur. A primo homine non reges ac principes, sed agricolae et pecorum pastores descendunt. — Neque in ceteris seu huius seu sequioris aetatis relationibus biblicis ullum mythorum, aliis gentibus usitatorum, ve-

stigia cernuntur. Sic, dum mundi inundatio describitur, quin aliquid mythici figmenti Deucalionis et Pyrrhae admisceretur, immensitas aquarum, quindecim cubitis montium cacumina transcendentium, inde derivatur, quod coelorum cataractae apertae fuerint et fontes marium rupti. — Eadem simplicitas regnat, ubi utilissimae, hincque alias a diis derivatae, rei agrariae aut pecuariae consignantur initia: ita nempe habetur Gen. IV. 2. „Fuit autem Abel pastor ovium et Cain agricola;" addit porro sacer textus v. 19—22. „Lamech accepit duas uxores, nomen uni Ada et nomen alteri Sella; genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum; et nomen fratris eius Jubal, ipse fuit pater canentium cithara et organo; Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri;" (e quo fabula de Vulcano ficta fuit). Nullibi igitur apparet deus aut semideus, qui tibiam aut ignes de coelo adferret. Denique pariter simplici modo Gen. IX. 20. 21. prima vinearum mentio iniicitur: „Coepitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est." — Sed nullibi opportunior mythis fuisset locus, quam ubi de astris disseritur; in vulgus quippe notum est, antiquitatem, maxime in oriente, hoc vitio laborasse, ut constellationum interpretationi operam daret, imo sidera tamquam divina numina coleret; qui error adeo invaluit, ut ab ipsis philosophis et probaretur et defenderetur: sic Balbus nomine Stoicorum apud Ciceronem (de natura Deorum L. II. C. 16.) ait: „Quae (astra) qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget;" .... esse igitur „deos ita perspicuum est, ut, qui id neget, vix eum sanae mentis existimem." Tantum

vero abest, ut Biblia errorem hunc doceant, ut potius eum non secus, ac ceteras idololatriae species, maxime improbent. Sic iam in antiquissimo documento, nempe Gen. I. 16. sol, luna et stellae inter res *creatas* connumerantur. Quare tardius, Jerem. X. 2. monentur Hebraei, ne coelorum signa expavescerent, quae tantum gentibus incutiant terrorem. Item Jerem. XIX. 13. et 2 Reg. XXIII. 5. cultus, astris exhibitus, damnatur. Demum in Psalmis et Libro Job tam sublimis, et minime fabulosa de astris proponitur doctrina, ut vel hodie vix dignius quis de iis disserere valeat. — Quae cuncta, quo simpliciora sunt, — quo longius distant a commentis mythologicis, eo securiori in loco ponunt SS. Auctorum fidedignitatem, et relationum biblicarum veritatem historicam. — Itaque, prout vel e paucis h. l. indigitatis liquet,

5. A praeiudiciis libera narrationum biblicarum cum fabellis gentium comparatio invictissimum fundit pro illarum fide historica argumentum; etenim tam ingens inter utrasque obtinet discrimen, ut, si narrationes priscae gentium mythicae sunt, (quod nemo prudens negaverit,) biblicas omnino antimythicas esse, nullum supersit dubium. Scilicet

a.) Relationes biblicae, *universim spectatae*, prorsus dissimiles sunt illis, quas aliarum gentium fabulosi libri de aevo antiquissimo proponunt; quodsi in quibusdam tenuis quaepiam cum eisdem deprehenditur similitudo, apparet tamen, has aut prorsus fictas esse, aut certe figmentis corruptas, biblicas autem genuinam veritatem simpliciter exhibere [397]), prout illi ethnici

[397]) Neque id mirum: sunt enim Libri SS. V. F. longe antiquiores omnibus aliarum gentium scriptis religiosis; unde admodum probabile evadit, si fors quae similitudo inter re-

quoque, tam eruditi quam rudes, qui primis fidei temporibus ab his mythis ad veritatem biblicam transiverant, ultro agnoverunt. — Pariter

b.) Haud leve discrimen cernitur, si *in specie* documenta Scripturarum divinarum *genealogica* et *chronologica* consulantur: et quidem

א) Genealogia biblica, tantum abest, ut mythica sit, ut potius primo statim obtutu mythis prorsus opposita deprehendatur. Genealogiae scilicet apud Aegyptios, Graecos, aliasque gentes antiquas, quo altius ascendunt ultra tempora historica, eo plures continent, qui a diis duxerint originem, et inprimis quidem stirpium insignium auctores, artium inventores, heroes, et principes e genere deorum aut semideorum de-

---

lationes sacras et mythos gentium obtineat aut obtinere videatur, gentes genuinas illas relationes, quacunque demum via ab Hebraeis acceptas, adscitis ornamentis deformatas, posteritati transmisisse. Sed eo ipso mythi pristinae puritati iuxta tenorem relationum biblicarum restituendi, minime vero hae in eandem cum illis classem reiiciendae, aut eadem prorsus ratione iuxta regulas quasdam ex illis depromtas exponendae aut plane refingendae sunt. Accedit, Hebraeos antiquos a Graecis et Romanis non tantum aetate, sed et religione, institutis civilibus, ratione vivendi dissitos, — tum his ipsis, item origine, patriisque legibus ab aliis quoque gentibus seclusos, atque nulla cum iisdem consvetudine propingviori iunctos fuisse. Quare et hinc perperam agunt, qui, narrationes biblicas illustraturi, comparationis exempla a scriptoribus horum populorum repetunt! — Quam multum discriminis intercedat historias biblicas inter et fabulas gentium, J. Pletz l. c. (n. 10.) in d. theol. Zeitschr. v. Frint, 3. Jgg. 1. Bd. 1815. p. 309. ss. docet, comparans historiam trium angelorum, ab Abrahamo hospitio susceptorum Gen. XVIII., et mythum de Philemone et Baucide, Ovid. Metamorph. L. VIII.

rivant. Ast in tabulis genealogicis SS. Librorum, ab ista mythica superstitione purissimis, nullibi recensentur dii aut semidii, neque populorum auctores, — neque artium inventores ante diluvium, — neque Abrahamus, licet nobilissimus gentis hebraeae conditor, — neque Moses, legislator, ac reipublicae stator celebratissimus, — neque David, quo rege nemo maioris fuit aestimatus, — neque demum vel ipsi, qui cum aliarum nationum heroibus comparantur, Gedeon vel Samson a deo aut semideo quodam originem repetunt. — Primus, e quo omne mortalium genus descendit, Adamus dicitur *homo*, e limo terrae formatus. Nimrod potentissimus quidem vocatur venator, attamen tantum *homo* Gen. X. 9. — Quin imo, dum Abrahamo peregrino, alienamque provinciam occupanti, plurimum auctoritatis accessisset e vulgi persvasione, eum cum suis originem habere e stirpe deorum: nihil tamen mythici aspergitur historiae sacrae, et maiores Abrahami perinde appellantur homines, sicut et Moses, reges, vates, et sacerdotes. Aeque

ב) Antimythica est etiam chronologia biblica. Quippe mythi gentium stupendam mundo tribuunt antiquitatem, — quaelibet nationum illarum originem suam ab aevo vetustissimo repetit, atque primaevae generationi plurium millium annorum longaevitatem tribuit. Sic iuxta chronologiam Aegyptiorum, Indorum, et Berosi, qui temporibus Alexandri M. scripsit, ab origine mundi multa centena annorum millia effluxerant, et homines antiquissimi multa millia annorum vixerant [398]). Solus Moses ab hoc multiplicandi pru-

[398]) Commenta haec, in specie enumerata, invenies apud Cl. Jahn l. c. (n. 18.) 2. Th. 1. Abschnitt 1803. p. 114. 115. — Aegyptiorum, Indorum, aliorumque populorum, compu-

ritu alienus est: mundo ab origine eius usque diluvium sedecim secula [399]), et antiquissimis hominibus nec

tationum astronomicarum laude inclytorum, annales maximam partem fabulosi sunt, quia antiquitatem mundi non ex historia, sed ex astrologicis deliriis divinando derivare tentarunt. Quare ipse Confucius, summus Indiae philosophus, qui quingentis annis ante Christum floruit, in libro suo „Lun-Yu" ultro largitur, antiquam historiam regum Indiae nullam fidem mereri ob defectum genuini fontis historici. cf. F. L. Com. Stolberg, Geschichte der Religion Jesu Christi. I. Th. neue Ausg. Wien 1817. I. Beylage, „Die Zeitrechnung der h. Schrift." p. 292. Unde consequitur, similes annales nonnisi e sacris nostris paginis illustrari posse.

[399]) Quidam e recentioribus revelationis hostibus, quo chronologiam Mosaicam erroris arguerent, sicque Librorum sacrorum V. F. auctoritatem labefactarent, terram nostram multo antiquiorem esse, quam in documentis Geneseos traditur, contendunt, idque e montibus ignivomis, quos testes appellant, eorumque effluviis demonstrare nituntur, ita ratiocinantes: ivenitur lava aliquot millium annorum, in qua hucadusque nulla cernitur vegetatio; sic teste Thucydide eruptiones montis Aetnae destruxerunt urbem Siciliae, Naxos dictam, atque usque hodiernum diem in circuitu exstinctae huius urbis post bismille annos nulla cernitur plantarum vegetatio, quod recentissima itineraria confirmant: e quo, inquiunt, pronum est concludere, terras, quae, testibus vestigiis montium ignivomorum adhucdum apparentibus, quondam id generis eruptionibus devastatae fuerant, et tamen a mille et amplius annis copia silvarum luxuriant, claro esse indicio, terrarum earundem, et consequenter etiam mundi aetatem ultra illam a Mose assignatam, esse extendendam. — Quod de eruptione illa montis Aetnae, cuius cineres quondam urbem Naxos vastaverint, oggeritur, verum est, confirmante id ipsum illustri Comite de Stolberg, qui ipse regiones, circa Aetnam et Vesuvium sitas, inspexerat. Sed idem hic illustris testis oculatus affirmat quoque (loc. cit. (not. 398.) p. 284.), se vidisse multo recentioris aetatis lavam circa Aetnam et Vesuvium, quae tamen omnis generis vegetatione ornata erat;

mille quidem annorum longaevitatem tribuit. — Itaque, si genealogicae et chronologicae relationes biblicae

imo in specie circa Vesuvium in locis, qui vix ante viginti quinque annos cineribus montis huius perfusi et vastati fuerant, inchoatae vegetationis haud tenuia indicia se reperisse testatur. Lava scilicet iam serius iam citius vegetationi apta redditur pro diversa partium ratione, e quibus coaluit. — Ac proin e similibus exemplis mundi aetas definiri nequit. — Ceterum celeberrimus naturae scrutator, omniumque geologorum facile princeps Cl. de Luc, qui quinquaginta vitae suae annos studio rerum physicárum, et inprimis quidem geologicarum sacravit, in operibus suis (uti: Lettres physiques et morales sur l'histoire de la terre et de l'homme, adressées à la Reine de la Grande-Bretagne. Paris 1779. — item: Lettres sur l'histoire physique de la terre, adressées a Mr. le professeur Blumenbach. 1798. — alterum hocce opus inscribitur etiam; Lettres geologiques ect.) perhibet ac ostendit, historiam naturae mirifice consentire relationibus biblicis, et ex antiquitate mundi, qualem Moses assignat, omnes omnino naturae eventus ac telluris mutationes insigniter explicari. (Hoc ipsum affirmant quoque Saussure, La Metherie, et Dolomieu, qui duo posteriores aperti sunt revelationis hostes; — lectu dignissima quoque est Dris J. Reisinger Dictio de Telluris universae generatim, speciatim vero Soli Hungarici mutationibus. Budae 1828.) — Porro laudatus doctissimus de Luc in praeclaris suis (paullo ante citatis) operibus ostendit, faciem mundi hodiernam ab illa, qualis fuit ante diluvium, omnino esse diversam, nempe, maria nunc occupare locum antiquae terrae, et hodiernam continentem occupare locum antiquorum marium; cacumina hodiernorum montium, iuxta illius opinionem, sunt insulae maris antiqui, et hodiernae insulae olim fuere cacumina montium. Ex his intelligitur, cur hodierni montes usque ad media segmenta e calce constent, congeriemque cadaverum, tum marinorum, tum terrestrium, contineant, a quibus animalium ossibus vacui sunt montium vertices, qui durissimo lapide constant. Scilicet vix ullum dubium est, ante diluvium, priusquam hominum numerus auctus fuisset, animalia terrestria nimis fuisse multiplicata, quorum cadavera per flumina

cum iis comparentur, quae desuper aliae gentes narrant: primo mox obtutu manifestum evadit, narrationes sacras cum mythicis prorsus nihil commune habere, adeoque Libros sacros, etiamsi ceu mere humani considerentur, quibuscunque demum gentium documentis longe multumque praestare.

6. Mythi sunt tantum singularia fragmenta, quae nec inter se invicem, neque cum cetera continua populorum historia nectuntur: biblicae autem relationes omnes tum inter se, tum cum reliqua historia, aliunde quoque cognita atque certa, exacte ac indissolubili nexu cohaerent ita, ut eventus subsequentes perpetuo innitantur prioribus, adeoque aut omnia, ut vere gesta, credenda sint, aut universa historiae sacrae, aliunde quoque gravissime confirmatae, series in fabulam sit vertenda, quod certe absonum est [400]). Sic,

tandem in maria sunt deportata; atque hoc modo explicatur, qua ratione in nostris quoque montibus elephantis, rhinocerotis, verbo talium animalium cadavera inveniantur, quae in nostris terrarum plagis domestica non sunt. cf. C. Stolberg, loco, superiori nota citato, p. 288. et eodem in libro, zwote Beylage über die Sündfluth, p. 298. ss.

[400]) Inde consequitur, quod decantatum illud Varronis (vid. supr. §. 77.) de populorum aetate primum *obscura*, tum *mythica*, et tandem *historica* — de Hebraeis prorsus non valeat, quum ex adverso de aliis gentibus recte praedicetur. Sed eo ipso, cum omnes gentes ab Adamo, cuius et ipsius et posterorum historia usque ad recentiora tempora in Bibliis texitur, originem ducant, — per ipsas illas relationes biblicas admirabilis quaedam lux accenditur, quae remotissimam historiam variorum populorum secus obscuram, feliciter illustrat; — profecto sine face hac, quam Biblia praeferunt, in densissimis ubique tenebris per plurima secula oberraremus, donec tandem in variis terrae tractibus gentes comparerent, coelitus quasi delapsae, utpote quarum pleraeque, unde descenderint, ipsae quoque ignorasse deprehenduntur.

ut saltem unum proferam exemplum, Mosis miracula quidam mythis deputant; ast hi *assertum suum*, quod ipsum verius mythus diceretur, nec cum egressu Hebraeorum ex Aegypto, neque cum subsequente certa historia conciliare, neque etiam originem purae illius ac sublimis ideae Dei, quae in scriptis Mosis exhibetur, explicare possunt, ut adeo ipse hic egressus, et subsequens historia verissima, atque haec Dei idea testetur, illa miracula vere patrata fuisse, adeoque historice vera, minime autem mythos esse [401]).

7. Mythi multa comminiscuntur de diis et deabus, de semidiis, eorumque connubiis, imo et adulteriis obscoenisque commerciis et inter se et cum hominibus, — porro de heroibus, nymphis, variis metamorphosibus, de inventoribus rerum utilium et auctoribus familiarum illustrium, quos passim e concubitu deorum dearumve cum hominibus descendere fabulantur, — denique et aliis plurimis figmentis, a ratione sana damnatis, scatent, uti e. g. dum homines cum sole, luna et astris inter divina numina collocant, iis de throno deiectis, quos prior aetas tamquam immortales deos coluit [402]). — Ast cum figmentis his similibusque, quae

---

[401]) Pluribus haec et similia exponit Cl. Jahn l. c. (nota 17.) III. Th. 1805. §. 12. not. p. 64—66. et l. nota 18. citato II. Th. I. Abschnitt, edit. 2. 1803. §. 18. nr. IV. p. 108—109. — atque, quae his locis eruditus Auctor scripsit, legenda cuivis impensissime commendari merentur.

[402]) Hinc mythos gentium ipsi Graecorum Romanorumque viri gravissimi nec veros omnes, nec magno in pretio habuerunt, neque eodem tenore retulerunt. Sic minus veros esse, docet Thucydides, contestans primum, a se omnem antiquitatis rationem esse investigatam, tum addens L. I. C. 21. „Ne quis credat, res antiquas esse tales, quales poetae eas celebrarunt, cum ornatu in maius extollentes (επι το μειζον κοσμουντες),

fabulosa ac superstitiosa in mythicis gentium libris conspiciuntur, nihil prorsus commune habent relationes

---

neque quales memoriae prodiderunt orationis solutae scriptores, qui verborum illecebras potius, quam veritatem consectantur; pleraeque etiam ob ipsarum vetustatem in fabulas (επι το μυθωδες in mythos) abierunt ita, ut nulla fides ipsis habeatur." Eadem saepius profitetur Livius, e. g. Histor. L. XXI. 62. XXIV. 44. XLIII. 15. Ea tantum, quae L. I. 16. de ultimis Romuli fatis narrat, referam. Postquam dixerat: „Subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum eius concioni abstulerit. Nec deinde in terris Romulus fuit;" subdit haec, quae profecto exegetis nostrae aetatis liberalioribus silentio premenda non erant: „Fuisse credo tum quoque aliquos, qui discerptum regem patrum manibus taciti arguerent; manavit enim haec quoque, sed perobscura, fama. Illam alteram admiratio viri et pavor praesens nobilitavit. Consilio etiam unius hominis addita rei dicitur fides." (Quis iam ausit, talia conferendo, ac solo hoc infirmo argumento nixus, fidem eorum extenuare, quae de Henocho et Elia, velut manifesta in SS. Literis referuntur Gen. V. 23. 2 Reg. II. 11. quaeque ut indubia repetuntur Eccl. XLIV. 16. XLVIII. 9. inculcantur in Ep. ad Hebr. XI. 5. atque a Christo de Elia saepius confirmantur?) Non secus Pindarus de vanitate mythorum gentis suae iudicat; sic tractans in carmine Olympico primo fabulam de Tantalo ac Pelope, haec praemonet: „Saepe exornatae ingeniosis commentis fabulae, ultra quod verum est, mentes hominum decipere solent; gratiaque (poetica), quae omnia efficit svavia mortalibus, etiam quod incredibile est, adferendo ei dignitatem, efficit credibile saepenumero. At hominem decet dicere de diis honesta." Plato in dialogo, qui Phaedrus inscribitur, interrogatus, an mythum de Orithya, a Borea rapta, veram esse putet, respondit: „Si negarem, absurdus non essem; — ego venusta quidem haec existimo, ast hominis arguti nimis et male seduli. Mihi vero ad haec otium non est, quia nondum queo me ipsum cognoscere. Ridiculum vero puto, eum, qui hoc ignoret, ea quae nihil ad se, perquirere velle." (Obiter notatum velim, hanc Platonis reprehensionem et cadere in eos hermeneutas novissimos,

biblicae. Nulla in his fictionis, lusus aut ornatus species detegitur, sed omnia, prout simplicia, ita simul Deo dignissima sunt, — neque dii, neque semidii inveniuntur, neque ulla alia quaecunque demum polytheismi, qui uberrimus est fabularum fons, aut materialismi vel fatalismi indicia, sed ubique ideae omnino purissimae, vere sublimes, talesque reperiuntur, quales vel inter ipsos philosophos celebratissimos et Mose longe recentiores frustra quaeruntur. Sic prima omnis sanae philosophiae, omnisque sanae religionis principia statim ab initio proponuntur, dum rerum omnium origo, modo rationi maxime consentaneo, a voluntate et sapientia *unius* et *summi* et *aeterni* Dei repetitur, quo *iubente* omnia existere incipiunt, quo imperante: Fiat lux! facta est lux. Atque Mosaica haec creati orbis descriptio naturali quodam et eximio rerum ordine conspicua est adeo, ut vel hodierni aevi philosophus eundem merito admiretur. Porro haec cosmogonia manifesto spirat primaevam illam ac infantilem loquendi simplicitatem, et simul nihil detrahit de maie-

qui tantum operae impendunt, ac tantum placent sibi in mythis extricandis, aliisque minutiis ostentandis, incuriosi eorum, quae usui sunt et aedificationi. Nae illi, ut cum Plauto dicam, magno conatu magnas nugas agunt!) Idem L. II. de Republica inter alia praecipit: multas, quae celebrantur, fabulas esse prorsus reiiciendas, in quarum numerum referenda sint permulta, quae Hesiodus et Homerus canunt. cf. Kistemaker loc. cit. (nota 37.) p. 36 — 44. Temere itaque ad mythorum, quos gentiles ipsi *ridebant*, normam refingenda postulatur V. F. Scriptura, quam *commendavit Christus*, quam *Apostoli docent utilem* esse ad erudiendum, quamque dicunt esse paedagogum nostrum in Christo Jesu, quam et olim Hebraei *omnes verissimam venerabantur*, quam denique et nos fundamentum suspicimus legis novae perfectissimae.

state divina, verum hanc sensibus ita subiicit, ut in ea generis humani infantia nihil seu Deo dignius quaerere liceat, seu ad hominum usus accommodatius: mox nempe, cum res aspectabiles in duas partes maiores dividerentur, coelum nempe et terram, utriusque creatio uni Deo adscribitur; deinde, quaecunque ab hominis, in terra constituti, conspiciuntur oculis, iusto quodam ac naturali, sed in illa antiquitate facile concipiendo ordine, ea, quam in posterum retinerent, forma, ad eumque, quem perpetuo haberent, usum exstitisse narrantur. Ubique Deus agens, et quidem sapientissime agens inducitur, qui et hic et deinceps quoque perpetuo sistitur: *unus*, creator et gubernator universi omnipotens et sapientissimus, rector mundi moralis sanctissimus, (qui religionem et morum probitatem curat, et omnia ad condendam, tuendam et promovendam hanc eandem religioni innixam probitatem disponit et exigit,) iudex iustissimus ect. [403]). — Jam vero si — quod serio perpendi velim, — si multis seculis tardius Plato, iam florente licet inter Graecos

[403]) Religio haec progressu quidem temporis in S. Codice perfectior et perfectior proponitur, verum iam inde a rerum primordiis ab omni polytheismo non modo pura, sed huic plane opposita et inimica deprehenditur; ita vero etiam foecundissimum hunc mythologiae fontem penitus sibi interclusit. Atque ipsa huius rei evidentissima veritas effecit, ut Cl. Wagner (in suo libro: Ideen zu einer allgem. Mythologie der alten Welt. Frankf. 1808.) solos Hebraeos a generalis mythologiae contagione immunes fuisse pronunciaret, apud quos *pura religionis ratio* ipsam quoque *historiae rationem puram* conservaverit, ut, si alicubi in antiquitate sit veri nominis historia, haec apud illos omnino reperiatur, utpote quum sola horum religio se ipsam a mythis progrediente etiam tempore penitus puram praestiterit.

philosophia, profitetur, nimis arduum esse, Deum etiamsi solummodo ceu architectum mundi cognoscere, — si ipse Socrates, vir ceteris omnibus omnium iudicio superior, candide fatetur, (Xenoph. Memorab. IV. — Plato Alcibiad. II.), tenuem admodum esse in hominibus rerum divinarum cognitionem, atque adeo optandum, ut lux aliunde affulgeat, exspectandumque esse, donec ab aliquo discatur, quomodo nos erga Deos, hominesque habere deceat, — si Cicero (de nat. deor. I.) difficilem suo adhuc tempore dicit doctrinam deorum, de qua adeo dissentientes sint doctissimorum sententiae, prudenterque Academicos a rebus tam *incertis* abstinuisse, — si denique omnes hi in summo scientiarum flore, culturaque omni ad summum paene apicem provecta, multa aut erronee, aut incerte docent: estne prudenter credibile, puram illam ac sublimem doctrinam biblicam hominum priscorum *sibi relictorum*, aetate non secus ac cultura Graecis Romanisque multo inferiorum, esse partum, — adeoque Deum in hominibus illis immediate instituendis nullam habuisse partem, sed revelationes et apparitiones divinas, quae narrantur, non esse nisi involucra historica, quibus sapientes inventa sua vestiverint, vulgi oculis subiicienda et captui eius accommodanda[404]), —

[404]) Quidam creati orbis et introductorum inter homines variorum malorum historias biblicas ad philosophemata prisci aevi referunt. Ast non video, quo probabili modo in tam remota antiquitate, cui philosophemata haec praetensa adscribenda essent, iam tanta vis fuisse ponatur philosophiae, ut et de rerum aspectabilium, et de vitii malorumque origine non inquisiverit modo, sed et nodum hunc felicissime solverit, simulque periculum fecerit, faustum faustae meditationis fructum quasi vulgi oculis subiiciendi. Quodsi enim naturae caussarumque latentium tam felix investigatio apud Grae-

verbo, cuncta, quae in Bibliis extraordinaria referuntur, nequaquam historice vera, sed nonnisi mythos esse? — Profecto ipsa illa eximia doctrina theoretica pariter ac practica, iam in infantia generis humani obvia, qualem nullus unquam Graeciae aut Latii philosophus in summa cultura docuit, manifeste *extraordinariam* ac divinam poscit originem, adeoque invictissimo est argumento, extraordinaria illa, quae ad eandem illam doctrinam hominibus cummunicandam, stabiliendam, et propagandam patrata in Bibliis narrantur, historice verissima, minime vero mythos esse. —

---

cos et Romanos — adeoque aevo longe recentiori et in cultura multo maiori frustra quaeritur, licetne eam aevo longe remotiori minusque culto fidenter adiudicare? Enimvero utrumque hoc documentum remotissimam antiquitatem, imo ipsam spirat generis humani infantiam; at in ipsa, ut ita dicam, infantili simplicitate et simplici infantia tantam simul spirat maiestatem, ut omnes aliarum gentium cosmogonias incomparabili sua praestantia longissime superet. Estne igitur credibile, haec — vera adeo, et adeo sublimia et concinna — non esse, nisi nascentis philosophiae tentamina? Profecto prius, quam homines de rerum, quas conspicerent, et de peccati malorumque, quibus affligerentur, prima orgine philosophari, et quidem tam egregie sola, ut sumitur, ratione duce philosophari discerent, oportebat, ut multo altiorem culturae gradum attigissent, quam qui priscorum adeo temporum hominibus prudenter adscribi possit. Alioquin philosophia, caussarum indagatrix, iam in ipsa generis humani infantia stupendos progressus fecisse censenda, infantibusque adeo tribuendum esset, quod ne maturae quidem aetati convenisse deprehenditur. cf. Pritz l. c. (n. 395.) 2. Jgg. 2. Bd. 1829. p. 223. ss. — Ideen üb. d. alten Bund, in d. theol. Zeitschr. v. Frint, 5. Jgg. 1. Bd. 1817. p. 137. ss. — Jahn l. c. (n. 17.) 1. Th. 1. Bd. p. 36. ss. 3. Th. p. 29. 51. 66. item l. (n. 18.) c. 2. Th. 1. Abschn. p. 110. add. Ackermann l. c. (n. 18.) p. 218.

Denique, — quod et his in specie momentis robur addit, et ceterorum quoque omnium Librorum SS. V. F. fidei historicae, quae mythos excludit, patrocinatur,

8. Adest aliud adhuc argumentum, gravissime prohibens, quominus in Bibliis V. F. mythis locus concedatur: ex ipsis nimirum SS. hisce Literis luculenter patet, consilium SS. Scriptorum V. F. fuisse, fabulosis de diis gentilium narrationibus facta genuina opponere, ut hac ratione saltem penes populum Israeliticum genuina documenta historica deponerentur, hique a fraudibus et fabulis ethnicorum sibi imponi non paterentur. Sic, vanitatem deorum exprobrans, Psaltes regius Psalmo CXIII. 4—8. dicit: „Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt: manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis." Pariter etiam Ps. CXXXIV. 15—18. Ast de vero Deo Moses Deut. IV. 7. sic instituit sermonem: „Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropingvantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris;" et vv. 32—36. „Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo coelo usque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut unquam cognitum est: ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti; si fecit Deus, ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, et robustam manum, ex-

tentumque brachium, et horribiles visiones, iuxta omnia, quae fecit pro vobis Dominus Deus vester in Aegypto, videntibus oculis tuis: ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum. De coelo te fecit audire vocem suam, ut doceret te; et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis." Haec manifeste docent, Mosen et Davidem de maxime mirabilibus sic loqui, ut clare pateat, ipsis persvasissimum fuisse, omnia illa vere evenisse, adeoque factis historicis esse annumeranda. Non absimilia leguntur apud Jesaiam XLI. 21—23. XLV. 19—21. Itaque, cum finis SS. Scriptorum fuerit, Judaeos hortandi, ut sibi caverent a mythologicis somniis gentilium, satis inde elucet, eos, loquendo de Dei apparitionibus et collocutionibus, has non mythice intelligi voluisse, quia secus, fabellas refellendo, alterius generis commenta substituissent, quod indigitato eorum scopo e diametro adversatur. — Pariter

II. Tutissimo asserere licet, neque in Novo Foedere ullos dari mythos, et asserto quidem huic tum proposita hucadusque pro Veteri Foedere argumenta patrocinantur, tum sequentia praesidium, idque firmissimum addunt. Et quidem

1. Quominus res gestae evangelicae iure mythicae habeantur, prohibet *aetas*, qua res has gestas fuisse narratur, et proin qua mythi evangelici nasci debuissent. Scilicet gentium mythi, quotquot ad nos usque propagati sunt, nonnisi remotissimis, iisque adhuc admodum obscuris temporibus nati deprehenduntur, quibus populi hi adhuc in infantili veluti, vel certe iuvenili aetate constituti, nec historice nec philosophice culti, phantasiae vel uni vel huic in-

primis indulgebant, ideoque mythicis talibus figmentis, quibus maiores sui celebrarentur, potissimum delectabantur, historiam genuinam negligentes; quare et historia horum populorum, quantum ad vetustissima illa tempora mythica attinet, actu densis nebulis tegitur, nisi hinc inde aliquid lucis ex historia biblica nanciscatur. Sed, ubi populi hi sensim evolvi, et historice excoli coepissent, — atque in cultura historica eos progressus fecissent, ut res gestas suas *historice* notare, et posteris genuine transmittere niterentur: mythica figmenta sensim cessasse — atque tandem plene exstincta fuisse cernere est adeo, ut inter nationes cultas nulli mythi aevo historice iam claro primum nati inveniantur.— Qui iamvero, horum non immemor, serio perpenderit, res gestas evangelicas in illa incidere tempora, quibus populi fere omnes, et signanter Judaei, in quorum medio illae gestae referuntur, eum culturae omnigenae et in specie quidem historicae attigerant, ut, mythis gentilismi antiqui iam paene communiter vilipensis ac spretis, de annalibus suis genuino-historice et adornandis et posteritati commendandis solliciti essent adeo, ut nobis actu de eorum gestis memorabilibus, de statu eorundem domestico et publico, sacro et profano, civili et militari plene constet, — verbo, qui perpenderit, Jesum et Apostolos temporibus vixisse universim *historicis* et *historice claris*, quibus aevum mythicum iam dudum exstinctum fuerat, ut adeo gentiles ipsi non modo *novos* iam non sectarentur mythos, sed *antiquos* quoque deriderent et respuerent: res gestas evangelicas, utpote temporum iam *antimythicorum*, profecto haudquaquam censebit mythicas,— prout in ge-

nere *his iam temporibus* nemo mythos neo-natos iure quaesierit [405]).

2. Perperam adstrui, narrationes evangelicas aut prorsus esse mythicas, aut saltem mythicis figmentis perspersas, luculentissime docet origo SS. Librorum N. F., perbreve scilicet illud temporis spatium, quod Jesu mortem inter et dictorum factorumque Eius consignationem intercesserat. Enimvero, si verum est, — quod verissimum esse, viri rerum mythologicarum peritissimi amplo rationum et exemplorum apparatu evincunt [406]), — mythos nonnisi *multorum* annorum decursu, per *plurium* generationum ora transeundo, adiunctis aliis quidem iisque fors genuinis sensim depositis, aliis vero iisque fictis sensim assumtis, *pedetentim* nasci, paullatim amplius ornari, ac tandem plene evolvi: profecto, — cum relationes evangelicae nequaquam diutius aut plane a generatione ad generationem fando propagatae, sed *paullopost* ab Auctoribus, gestis his rebus non so-

[405]) Cf. Vaihinger l. c. (n. 395.) p. 11. ss. — Werner l. c. (n. 393.) Nro. 50. p. 397. et Nro. 51. p. 401.

[406]) Celebratissimus O. Müller, Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie. p. 110. s. de origine mythorum iudicans ait: „daß sie (die Mythen) sich successiv, unter der Einwirkung gar verschiedenartiger, äußerer und innerer Zustände und Ereignisse, deren Eindrücke die im Munde des Volkes fortlebende, durch keine Schrift befestigte und erstarrte, immer bewegliche Tradition sämmtlich aufnahm, im Laufe langer Jahrhunderte zu der Gestalt, in welcher wir sie nun erhalten, ausgebildet haben." cf. Osiander l. c. (n. 393.) p. 23. ss. Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 81—91. — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1833. 1. B. p. 185.* — add. Bauer, Herm. ect. vid. not. 391. §. 82. p. 353. — Strauss l. c. (n. 113.) 1. Bd. p. 90—94.

lum coaevis, verum et *αυτοπταις*, nempe Apostolis horumque sociis, qui vel ipsi rebus illis gestis interfuerant, vel certe a talibus proxime instructi fuerant, sint conscriptae, — profecto ipsa haec Evangeliorum origo et aetas rebus gestis, quas complectuntur, paene coaeva omnem mythorum vel levissimam suspicionem imo et possibilitatem a relationibus evangelicis longe removet. Idque ipsos mythorum patronos, si modo sibi constare velint, eo pronius largituros esse, sperare licet, quo firmius *hypotheseos* suae praesidium in ea *hypothesi* reponunt, Evangelia nonnisi dudum post facta, quae narrant, et non ab Apostolis, neque Apostolorum sociis, sed aliis quibusdam fuisse literis consignata [407]). Ast vero

Evangelia, quae actu possidemus, ceterosque Libros SS. N. F., velut innui, revera illis temporibus et ab illis Auctoribus, — nempe ab Apostolis et Apostolorum sociis, — quibus eos Christiani

[407]) Sic D. Strauss, postquam l. c. (n. 113.) 1. B. p. 64. scripsisset: „Allerdings würde es für die Glaubwürdigkeit der biblischen Geschichte von entscheidendem Gewichte seyn, wenn es bewiesen wäre, daß sie von Augenzeugen, oder doch nahen Zeitgenossen der Begebenheiten beschrieben ist." mox pagg. ss. usque p. 76. (cf. edit. 1. p. 62. 630.) fatetur, sententiam suam de mythis evangelicis illi praecipue superstrui opinioni, Evangelia nec ab Apostolis nec horum sociis esse conscripta. Cum vero auctores introductionis in Libros SS. N. F. (vid. not. 18.) contrarium invictis comprobaverint argumentis: sententia Dris Strauss, fundamento subtracto, corruit. cf. Osiander l. c. (n. 393.) p. 24. s. 33. ss. 43. ss. — Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 71. ss. 81. ss. — J. Guzmits, Theologia christ. fundamentalis. Jaurin. 1828. p. 276. s. — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. B. p. 183—186.

communiter adscribunt, exaratos fuisse, verbo authenticos esse, plurima eaque gravissima tum *interna* tum *externa* evincunt argumenta. Sunt autem in specie argumenta haec, quae hic loci, ob angustiores libello huic praefixos terminos, summis tantum digitis attingere licet [408]), sequentia:

A.) Argumenta *interna*; *a.*) *negativa*: scilicet in Libris SS. N. F. nullibi historice commemorantur facta, sententiae, opiniones, nomina sive locorum sive personarum ect. quae ea aetate, cui Libri hi tribuuntur, nondum praestofuissent; ac proin, quae arguerent, Libros hos tardioris esse aetatis. Id quod indubium reddit octodecim seculorum experientia, — innumerorum, acutorum, doctorum, solertium authentiae Librorum N. F. hostium moliminibus, effectu nunquam non frustratis, — confirmata: nullum enim tardioris aetatis indicium in praesens improbus hic adversariorum conatus proferre potuit. Quin potius, quo severius Libri hi hostili quoque consilio discussi sunt, tanto clarius patuit, velut

b.) Argumenta interna *positiva* evincunt, materiam seu argumentum Librorum SS. N. F. cum omnibus, aliunde notis, adiunctis historicis, hisque et religiosis et civilibus, — geo-ac topographicis, hisque etiam minutissimis, quae saepe intra brevissimum temporis spatium mutantur, — item individualibus personarum illius aetatis accurate consentire, cui Libri hi adscribuntur; et signanter quidem postremus hic cum adiunctis personarum consensus aeque accuratus deprehenditur, sive cogitandi sentiendique

---

[408]) Alioquin e professo authentiam Librorum SS. evincere, spectat ad Introductionem in Libros SS. — cf. itaque opp. not. 18. citt.

ratio et mores integrorum populorum, sive character et indoles singularum personarum, de quibus in Libris N. F. mentio iniicitur, examinentur et cum illis conferantur, quae de iisdem his et integris nationibus, et singulis personis — e. g. de Herode Magno, de Archelao, de Herode Antipa, de Philippo, de Pontio Pilato, de Agrippa rege, de Felice procuratore ect. profani scriptores memoriae prodiderant. Denique Libri N. F. consentiunt etiam adiunctis illarum personarum, a quibus ceu Auctoribus derivantur. Quemadmodum nempe traditio perpetua Libros N. F. *octo* diversis auctoribus tribuit, qui quidem, antequam Christo nomen dedissent, omnes saltem religione *Judaei*, uno alterove demto *illiterati*, attamen maximam partem *immediati* Jesu Messiae *discipuli*, dictorumque Eius et factorum *praesentes testes* fuerint: ita ipsi etiam N. F. Libri *talium* omnino Auctorum indolem praeseferunt. — Et quidem, — quod ad praesentem rem plurimum confert, — Auctores N. F. tamquam factorum Jesu praesentes testes sistit *vividissima*, simul tamen *simplicissima* factorum horum repraesentatio. Qui enim factum memorabile, cui ipse interfuerat, et quo ipse affectus fuerat, refert, eius, nisi omni sensu careat, oratio non poterit non vivida esse, etsi ceterum summa in narrando simplicitate utatur; quia animi affectio sponte se orationi communicat, — unde de vivide narrantibus proverbium: „ita loquitur, acsi praesens adfuisset." Ex adverso, qui res unice audiendo perceptas describit, is, si orationi vivacitatem quamdam conferre voluerit, id (inprimis literarum rudis) non sine artificio praestabit, ita, ut ex hoc ipso, quem adhibuit, conatu, appareat, eum rebus

ipsis minime affectum, adeoque nec praesentem adfuisse. Jamvero tam vivide a nostris eventa delineari, ut quisque suis oculis ea subiecta putet, quin tamen oratio a summa, quae in talium rerum narratione prudenter desideratur, simplicitate desciscat, nulli, vel obiter Libros hos lustranti, dubium aut obscurum fuerit. — Id ipsum clarius adhuc apparet e summa, qua in referendo utuntur, confidentia: ita enim scribunt, tamquam quibus fidem denegare, non modo nefas, sed plane ineptum et imprudens esset. Ubi scilicet ipsi rerum, a se relatarum, testes immediati non fuerunt, non negligunt, ad alienam auctoritatem provocare, qua relatis suis fidem conciliarent: astvero alias perpetuo nonnisi propriam auctoritatem ceu testium solent notare; id quod nemo facit vir cordatus et ingenuus, nisi rei narratae praesens adfuisset, neque sane a nostris Auctoribus factum fuisset, nisi, auctoritatem suam prorsus sufficere, nullamque aliam hoc in momento ipsa superiorem esse, plene persvasum habuissent. Atque ita se gerendo, tamquam quorum fidei nulla fundata exceptio posset opponi, manifestum reddunt, se immediatos factorum relatorum fuisse testes. — Summam hanc

B.) De Librorum N. F. authentia probabilitatem, quam argumenta interna pariunt, ad certitudinem historicam evehunt argumenta *externa*, seu fidedigna *testimonia a.)* Orthodoxorum, primorum Ecclesiae seculorum, qui iusto principio, requisitaque severitate usi sunt in libris genuinis a spuriis discernendis, — *b.)* heterodoxorum antiquorum, imo et *c.)* ipsorum primorum Christiani Nominis inimicorum, qui omnes unanimi voce perhibent, Libros N. F. omnino ea aetate et ab iis Auctoribus scriptos esse, quibus ho-

die communiter tribuuntur. Testimonia haec singula (in Introductione in Libros SS. N. F. e professo enumeranda) recensere, non est huius loci; satis sit notasse, *Eusebium*, diligentissimum et sagacissimum antiquitatum Christianarum omnium, signanter vero Canonis Librorum N. F. acutissimum scrutatorem, — plerosque N. F. Libros, et in specie quidem quatuor Evangelia inter scripta ὁμολογουμενα connumerare, tamquam quorum authentia semper et ab omnibus fuerit agnita. — His accedit testimonium, quod a fide et traditione publica ac perpetua desumitur, et cui haud paucorum operum classicorum authentia aut *unice*, aut certe *potissimum* innititur. — Omnibus his perpensis, citra temeritatem asserere licet, tot tantaque argumenta pugnare pro authentia Librorum N. F. quot et qualia pro genuinitate ne ullius quidem priscorum sive Graecorum sive Romanorum libri suppetunt, de qualium tamen authentia vix quisquam dubitat.

Quominus vero quis iure existimet, Libros hos non ita, prout e manibus SS. Auctorum prodierant, ad nos pervenisse, sed tardius demum additamentis quibusdam, signanter narrationum prodigiosarum, ornatos ac auctos fuisse, prohibet, — quae illis recte vindicatur, — eorundem *integritas dogmatica*. Nam a.) Libros N. F. non fuisse dogmatice seu in substantia argumenti corruptos, luculenter docent, qui actu praesto sunt, N. F. codices manuscripti, versiones, et adaequata citata biblica, in operibus SS. Patrum obvia, quae omnia e prioribus Christianitatis seculis descendunt, et tum inter se, tum cum hodierno nostro textu vulgari consentiunt. Sed b.) prout nec ullum assignari potest tempus, — vigilantibus perpetuo, et

primum quidem ipsis Apostolis, et discipulis apostolicis, tum vero horum successoribus, ipsisque fidelibus, argumentum Librorum SS. e praevia institutione orali compertum habentibus, — ita neque ulli homines — utpote cunctis illis vigilantibus, insuper vero orthodoxis et heterodoxis se mutuo nunquam non severe observantibus, et, si e quacunque parte corruptio tentata fuisset, certo reclamaturis, — possunt assignari, quo, vel a quibus pleraque N. F. exempla in essentialibus partibus vel potuissent corrumpi, praecipue, cum exempla haec mox admodum multiplicata, et in diversas ac maxime dissitas provincias propagata fuerint.

3. Assertum, quo relationes evangelicae ab omnibus omnino mythis immunes praedicantur, extra omne prorsus dubium collocat plena *fides historica*, qua Libri N. F. prae omnibus aliis scriptis antiquis illustres sunt adeo, ut nulli prorsus vetusti auctores proferri valeant, quorum fidem historicam tot tantaque, ac illorum N. F. tam A.) *scientiae*, quam B.) *veracitatis* argumenta commendarent [409]). Et quidem

---

[409]) Ex hac Librorum N. F. praerogativa fidedignitatis consequitur, vitam Jesu prorsus aliam ac diversam fuisse ab ea, quam Dr. Strauss l. c. (n. 113.) fingit, ut adeo non possim non assentiri iudicio, de hoc Dris Strauss opere in d. neu. theol. Zeitschr. v. J. Pletz, 10. Jgg. 3. Hft. 1837. p. 375. depromto: „Die Herren Doktoren Strauss und Paulus geben ihren Kritiken der Evangelien nur sehr-uneigentlich den Titel: „„Das Leben Jesu."" — Ceterum de fide hist. Librorum N. F. cf. opp. not. 18. cit. et add. J. G. Herder, Briefe üb. d. Studium d. Theol. 2. Th. Wien 1819. 14. Brief. p. 159. ss. — Osiander l. c. (n. 393). p. 59. ss. 84. ss. 122. ss. 392. ss. — Denique, quod huc facere videtur, liceat monere, commento illi, quo narrationes de miraculis Jesu inter philosophemata

A.) SS. Scriptores N. F. plenam rerum, a se relatarum, habuisse cognitionem, nemo prudens in dubium vocaverit, qui perpenderit: eos a.) rerum relatarum omnes vel testes praesentes, vel saltem a talibus immediate institutos, — tum vero b.) sufficientibus facultatibus instructos fuisse et ad doctrinam et ad facta Jesu, eaque tum ordinaria tum extraordinaria — utpote quae e. g. repentina sanatio aegrotorum, ambulatio super aquis, resuscitatio vere mortuorum ect. usitatissimis ac quotidianis *naturae* effectibus opponuntur, — recte percipienda, — denique c.) eos in dictis factisque Jesu rite diiudicandis debita usos fuisse diligentia et severitate. Et ut hoc quidem examen quo severius instituerent, singularia quaedam, hisque historicis priva postularunt adiuncta. Erant quippe, Luca demto, nativitate Judaei, quorum institutum religiosum, ne Christiani quidem dubitant, esse divinum, — erant homines de plebe, quos non facile quis ad patrum fidem dimittendam induxerit, — persvasum cum tota natione habebant, Messiam fore regem *terrenum*, qui suos orbis bearet imperio, aeternum cum illis regnaturus in terra, — gentiles cane peius oderant, nec participes fore arbitrabantur commodorum Messiae, nisi prius Judaismum amplecterentur: et ecce *hi talesque* nostri Scriptores, admissa legis Mosaicae divina auctoritate, illam, quatenus positiva est, ringente licet natione, abrogant, imo veteri deserto, novum

---

numeranda, et allegorice de moraliter infirmis per Jesum sanatis exponenda praecipiuntur, repugnare vel iudicium Judaeorum incredulorum: siquidem ridiculum fuisset, dicere, Christum ope principis daemoniorum eiicere daemonia, si facta non fuissent vera et externa, quae narrantur in Evangeliis.

amplectuntur religionis systema minime abstractum, in quo rudiores fors decipi potuissent, sed factis insignibus innixum, de quibus persvasissimum ipsis erat, — Jesum, *inter latrones crucifixum*, venerantur Messiam, doctrinamque Eius tam firmiter et constanter profitentur, ut nulla — prorsus nulla ratione se ab illa dimoveri paterentur, — gentiles omni contentione inducere conantur in regnum Messiae, nulla legis antiquae necessitate imposita. In tanta igitur novi systematis diversitate ab eo, quod nostri a teneris suxerunt, — in tanto conflictu novi moliminis adversus indicia et sensa totius nationis omnino supponendum est, Scriptores nostros, priusquam novam admitterent persvasionem, in dicta factaque Jesu diligentissime inquisivisse; — quod ipsum, praeter alia, vel illud Thomae luculenter confirmat Joan. XX. 25. „Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam." — Tum vero

B.) Scriptores SS. N. F. dicta factaque Jesu, — prout ea rite noverant, — etiam sincere ac veraciter retulisse, docent *argumenta veracitatis*

a.) Interna, et signanter quidem

α.) Indoles ac *character ipsorum horum SS. Auctorum.* Quippe si viro probo ac ingenuo secure fides habetur, hanc profecto Auctoribus his eo minus licebit negare, quo clariora in universa eorum et *docendi* et *agendi* ratione exstant documenta religiosae pietatis, studiique ingenui veritatis sincere profitendae: cuncta nimirum, quae *docuerant*, nonnisi Deo celebrando, et hominibus edocendis, emendandis, ac fide viva Christo habenda salvandis inservire voluerunt; cui egregiae religioni sincerum veritatis amorem iun-

gebant: quum enim Salvator et ipse nihil antiquius haberet, quam ut veritatem vita quoque immolanda profiteretur,— et animos suorum ubique ad Deum *veracem* converteret, verissime affirmare licet, Apostolos, qui universim quidem praeclarum Magistri exemplum et sibi et aliis ubique imitandum proposuerunt, qui in specie sanctissimum veritatis studium ubique discipulis suis constanter iniunxerunt, — profecto non potuisse ab illo veritatis tramite deflectere. Et revera singulare sinceritatis huius documentum ediderunt eo, quod nec ea dissimulaverint, quae sibimet ipsis vitio verti potuissent. — Pariter, quae de actis Scriptorum N. F. constant, non admittunt, ut de lectoribus decipiendis unquam cogitasse censeantur. Et quidem praeter alia, quae in moribus eorum laude dignissima apparent, constantia illa spectanda est et animi fortitudo, qua Evangelii, ab ipsis praedicati et scripti caussa, ipsi quoque vitae renunciare non dubitarunt; quamquam, quae de doctrina et factis Jesu tradiderunt, adeo commodum aut dignitatem externam nullam Auctoribus attulerint, ut potius aerumnis ect. exponerent. — Atque haec ipsa *pia*, *ingenua* et *constans* Auctorum N. F. indoles indubium reddit, nullam cogitari posse caussam, quae illos a veracitatis tramite abducere quivisset: non spem lucri, mori enim et esse cum Christo reputabant lucrum, — non studium honoris et dignitatum, ea enim, quae Jesu Christi, non quae sua essent, quaerebant in omnibus, — non denique metum hominum, ab hocce enim longe abfuerant ii, qui a Magistro edocti probe noverant, non esse timendos, qui corpus quidem occidere, non tamen animam perdere possent,— qui Deo magis quam hominibus obediendum esse, vel coram iudicibus declarare haud verebantur, — qui fla-

gellati gaudebant, quod digni habiti sint, pro nomine Jesu contumeliam pati, — qui vitam in confirmationem eorum, quae praedicassent, ponere non renuebant. — Sed firmius adhuc, imo

β.) Firmissimum sententia de veracitate Auctorum N. F. capit praesidium ex *indole argumenti Librorum*, ab ipsis conscriptorum, utpote quod *necquidem potuit fingi*, ut adeo *necesse sit*, quae his in Libris narrantur, vere et ita, prout narrantur, contigisse, consequenter Auctores N. F. omnino veraciter scripsisse. Scilicet tam eminens in Libris his proponitur א) *doctrina*, tam ב) excellens, quo Jesus refulserit, exhibetur *character*, ut illico pateat, Scriptores hos, pro sua imbecilli animi conditione, eiusmodi doctrinam atque characterem nequaquam potuisse fingere, adeoque necesse esse, Jesum revera ita docuisse, talemque, velut referunt, vitam egisse [410]), — seu (quod idem est, et, spectata praesenti quaestione de praetensis mythis biblicis, singulari attentione dignum censeo,) *critice impossibile esse*, ea, quae in Evangeliis de gestis Jesu referuntur, conficta, adeoque mythica esse; id quod de extraordina-

---

[410]) Adeoque aut Scriptores hi habendi sunt fidedigni, aut admittendus effectus, isque illustrissimus, cuius nulla sufficiens ac adaequata caussa posset assignari. — Hoc idem de sermonibus Jesu, in tribus prioribus Evangeliis, exhibitis ipse Strauss fateri videtur, dum l. c. (n. 113.) 1. B. p. 716. scribit quod „von der Sage jene Reden nicht können fingirt seyn, wegen ihres nicht bloß höchst originellen, sondern auch völlig zeit- und ortsgemäßen Gepräges." — Ceterum de doctrina et charactere Jesu cf. Hug l. c. (n. 18.) I. Th. p. 90. ss. — Ullmann, d. Sündlosigkeit Jesu, p. 36. ss. — Osiander l. c. (n. 393.) p. 382. ss. — Vaihinger l. c. (n. 395.) p. 42. ss. — Konstitutionelle Kirchenzeitung v. A. Lerchenmüller, 3. Jgg. 1. Hft. Kempten 1832. p. 74. ss.

riis non secus, ac ordinariis Jesu factis valet, obtinet enim haec inter et illa doctrinamque Eius nexus omnino indissolubilis. — Jam in specie

א) *Doctrinam* Jesu quod attinet: prae ceteris meminisse iuvat, *rectam*, qua recentior orbis gaudet, *Dei notitiam* — necessarium hunc genuinae moralitatis fontem — Jesu deberi auctori, utpote Quem primum unicumque esse monotheismi inter gentes statorem, adeo in confesso est, ut iam Hoc duce, quod pauci olim obscure ominati sunt philosophi, id hodie ad pueros usque pervulgatum videamus. Hoc auctore tristibus illis de ineluctabili fato placitis laeta et consolationis plena successit doctrina de *universali providentia divina*, vi cuius nec capillus de capite nostro pereat inscio aut invito Deo, et Deo quidem, quem, Jesu magistro, non iudicem trepidi metuimus, sed *Patrem filiali* fiducia veneramur, „clamantes Abba Pater!" — Cuncta, quae *de moralitate* unquam recte praecepta fuere, non modo illustravit, sed et perfecit, imo omni loci, temporis, ordinisque civilis vinculo exemta in quotidianum vitae usum traustulit ita, ut — nunquam viso antea exemplo — *universalis religionis systema* orbi induceret. — *Socialibus officiis* normam, qua perfectior cogitari nequit, praescripsit, dum dilectionem et beneficentiam erga amicos et inimicos commendaret. — Gravissimam *de nostra post mortem existentia* veritatem, ancipitem quondam inter ipsos philosophos, ita suis persvasit, ut simul ope veritatis huius tantum virtuti stimulum adderet, quantum nullus antea. Prout universim nemo tam *nobile virtuti statuit pretium*, nemo eam mediis in impedimentis tam efficaciter firmavit atque provexit, nemo legibus tam *gravem sanctionem* addidit, nemo denique *de nexu vitae praesentis cum al-*

image
not
available

ratione digna iure censentur, in Jesu summa sunt omnia, Illi uni propria. Sic *ingenio* universim *egregio* fuerat utique, Qui adolescens aetate omnem de virtute morumque honestate doctrinam ita mente animoque complexus est, ut, omnes alios longe superans, orbis meditaretur culturam moralem, quod ipsum molimen inauditum anno aetatis 30. aggressus, et revera, licet cruci affixus, gloriose exsecutus est. — In specie *ingenii acumen* manifestum reddidit in intricatis ac controversis quaestionibus nunquam non promte ac expedite decidendis Matth. XXII. 16—46. Joan. VIII. 2—11. — Quanta fuerit Eius *in docendo gratia*, aestimare licet e multitudine, doctrinae Eius tam avida, ut, neglecta corporalium necessitatum cura, Eum biduo triduoque sequeretur ad desertum. — *Maiestatem* Eius vel inde metiri licet, quod ministri, ad comprehendendum Eum a Synedrio missi, ubi docentem audierant, re infecta reversi, suis retulerint: „nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo," Joan. VII. 46. — imo quod cohors ipsa, ad Eum intercipiendum missa, agnito Eo, prociderit in terram Joan. XVIII. 6. — In cunctis ea *sapientia*, ea fuit *moderatione*, ut, quod in se nobilissimum, quod adiunctis convenientissimum simul tamen honestum fuisset, eodem perpetuo tenore praeseferret; nil in Eo leve, nil inconstans, et, quod tunc magistris solitum, nil rixosum erat. — In omni Eius agendi ratione *humilitas* sine abiectione, *auctoritas* sine fastu, *fortitudo* sine rigore refulget. — Quo ductus fuerit *veritatis* et *virtutis studio*, vita Eius ac mors loquitur. — *Pietate erga Deum* et *reverentia* flagrabat, cuius specimen exhibet oratio, quam ad Patrem, priusquam interciperetur, dixit Joan. XVII. ubi an pietatem an maiestatem mirer potius? anceps hae-

reo. — *Vivum hominum amorem* universa, quae egit et passus est, testantur. — *Tenerae* erga infelices *commiserationis* exemplum dedit, sorti Jerosolymorum illacrymatus, ubi frustra laboravit avertere exitium. — *Excelsus* Eius *animus* illustri ratione eluxit praecipue in adversis sub finem vitae: quum nempe, prostrata cohorte, liber posset abire, pio erga Patrem obsequio, vivoque erga nos amore impiorum in se manus admittit, suorumque consulens libertati, ducitur ad iudicium; eadem hic *constantia* eademque refulsit *moderatione;* in iudice, etsi iniquo, legitimam suspicit auctoritatem, et ad quaesita *ingenuo candore* respondet, etsi probe novisset, in perniciem suam vertendum responsum; tandem cruci affixus in supplicio teterrimo, quod prius verbis, id nunc exemplo suo docet, *pro hostibus Patrem exorans*, „dimitte illis, quia nesciunt, quid faciant;" denique, commendans Patri spiritum, piam posuit animam Luc. XXIII. 46. — Qui non verentur, Socratem Jesu, si non praeferre, certe comparare, quod cicutam animo tranquillo hauserit, illi meminerint, mire distare adolescentem hebraeum a graeco philosopho; nisi fors facta Jesu, utpote in vulgus nota, non tantum novitatis gratiam, sed meritum quoque amiserint. Sed advertere oportet: Socratem anno aetatis 70. Jesum in medio aetatis flore animam posuisse, — Socratem nulla iniuria nullo probro lacessitum, Jesum praevie tota nocte illusum tum flagris dire dissectum fuisse, — Socratem mortem proprio iudicio facillimam, Jesum in supplicio omnium acerbissimo obiisse, — Socratem mortem oppetiisse, itidem proprio iudicio ea iam aetate expetendam, quoniam ne aspectu quidem aliquid indignum praeseferret, Jesum vero nudum cruci affixum, sex horis

ad omnia probra et ludibria proiectum obiisse, — Socratem privatos inter parietes, Jesum in conspectu totius nationis, — Socratem in discipulorum amicorumque consortio, Jesum coram inimicorum insultantium multitudine mortuum fuisse. Graecorum hic *sapientissimus* iis vitae annis ne auspicatus quidem est magisterium, quando Adolescens iudaeus opus iam consummavit inauditum, quod hodie implet orbem, cum ille nec inter coaevos, nec inter modernos vel viculum censeat sectatorum. — Exhibetur itaque in Jesu tale sapientiae, virtutis et perfectionis exemplum, quale nunquam vidit orbis, quale nec Graecia nec Latium in suis scriptis unquam proposuit; eo minus itaque Apostoli, rudes, quorum cogitandi ratio a principiis Jesu longe aberat, pares fuerant tam excellenti characteri fingendo, sed hunc eo nonnisi exhibere potuerunt, et revera veraciter exhibuerunt, quia ita sensibus ipsorum obiectus fuerat: adeoque (velut praemisi,) prout *necesse est*, Jesum omnino talem, qualis in Evangeliis sistitur, vitam egisse; ita ex adverso *critice impossibile est* ea, quae de Jesu ibidem narrantur, ficta seu mythica esse.

b.) Scriptores SS. N. F. iure praedicari veraces, docent etiam *argumenta externa;* et quidem (ut nihil dicam de Juda proditore, qui, se peccasse declarando, Jesum et Apostolos ab omni fraudis suspicione liberat, item de scriptoribus profanis illius aetatis, et primis Christianitatis hostibus, qui historicam narrationum evangelicarum veritatem agnoverunt,) insigne veracitatis Auctorum horum testimonium perhibent primi Christianitatis sectatores, saepe saepius *cultissimi* (uti Nicodemus legis peritus, Josephus ab Arimathaea, qui, prout et prior, magni

Synedrii membrum erat, sacerdotes iudaici Act. VI. 7. Apollo vir doctissimus, Manahen Herodis tetrarchae collactaneus Act. XIII. 1. Cornelius centurio, Paulus Sergius proconsul, philosophi Corinthii et Athenienses, signanter Dionysius *Areopagita* Act. XVII. 34.), *numeroque plurimi*, qui, de veritate ab Apostolis seu ore seu scripto traditorum intime convicti, Religionem Christianam amplexi sunt, imo fidem suam etiam sangvine contestari non dubitarunt. Quomodo iam, si Auctores SS. sua finxissent, tam mature tot tantique, etiam iudicii acumine insignes et literarum studiis exculti, severam adeo ac tunc periculi plenam Religionem amplecti potuerint, nemo explicuerit, nisi quis eos omnes sana mente destitutos velit, id est, maius admittat prodigium, quam sint universa, in Libris his SS. narrata. — Et argumentum quidem hoc eo gravius est, quo graviora primis hisce Christianitatis sectatoribus omnibus, sive iudaismo sive gentilismo prius addicti fuissent, erant motiva, in veritatem cunctorum, ab Apostolis traditorum, severe inquirendi, — item quo facilius fraus, si Apostoli aliqua finxissent, tunc detegi potuisset. Etenim, quoad primum, *universi hi* studia sua principiis novis, suisque e diametro oppositis conformare, talemque doctrinam amplecti provocabantur, quae non tantum nullatenus commendabatur externe, quae non tantum commodorum temporalium consequendorum aut saltem conservandorum spem faciebat nullam, sed potius omnium horum iacturam, imo et positiva mala plurima adferebat, nulla alia compensatione promissa, quam quae pios ac constantes doctrinae huius sectatores in futura demum vita esset mansura. *In specie Judaei* positivam partem

legis mosaicae, cui a teneris innutriti erant, nunc abrogatam reputare, Jesum *crucifixum* ceu Messiam venerari, spem *temporalis* imperii, per Messiam procurandi, dimittere, ac regno *morali* ad mortem usque etsi violentam et acerbam adhaerere, denique *gentiles* ceu fratres et cohaeredes agnoscere iubebantur; — *gentiles* vero, qui fidem non noverant, moresque salvo ordine civili praesetulerunt, quos libuit, nunc mores ad severam disciplinam componere, et Evangelio, quod, testante ipso Paulo 1 Cor. I. 21—23. Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia erat, firma fide ita adhaerere obligabantur, ut nunquam non essent parati, ipsa vita ponenda contestari novae disciplinae veritatem. — Motiva haec singulos eo magis incitare debebant, quo facilius fraus, si aliqua ficta fuissent, potuisset detegi. Evangelia namque miracula Jesu referunt fuisse splendida, patrata palam, integro triennio, in conspectu totius nationis per totam provinciam, quae proin domesticorum nemo, exterorum autem Judaeorum, qui quotannis et Sacrorum et commercii caussa Jerosolymis comparuerant, vix quisquam ignoraverit, — porro scribebantur Libri, facta haec insignia referentes, tunc temporis, quo maior pars adhuc superstes fuit eorum, coram quibus illa gesta narrabantur, ut adeo innumeri illi proselyti et centena illa millia Judaeorum, qui „ex omni natione, quae sub coelo est," Jerosolymis quotannis convenerant, partim ab oculatis rerum a Jesu gestarum testibus, partim ab iis, qui ab his proxime edocti erant, an et quae contigerint, discere potuerint, ita, ut facillime cognoscerent, verane sint, an falsa, quae de Jesu dictis factisque legerant in Libris SS. Jam si Jesus nulla edidisset miracula, nec quidquam circa Illum factum fuis-

set eorum, quae in vitae, passionis et resurrectionis Eius historia leguntur, — si proin Palaestinenses, se horum nil unquam vidisse nil audivisse, reposuissent, sicque primi Christiani, quae ab Apostolis tradita perceperant, conficta comperissent: Christianismus, tamquam usquequaque fabulis superstructus, ab omnibus sanae mentis reiici, atque mox sponte exstingvi debuisset. Verum non tantum nil horum evenit, ut potius tum in ipso factorum Jesu theatro, tum foris Christianorum numerus in immensum augeretur. — Quoniam vero fides plurimorum e primis Christianis praecipue Jesu miraculis, tamquam divinis divinae religionis argumentis, innitebatur: opportune hic monere licet, per ipsa illa laeta, quae Religio Christiana in dies ceperat incrementa, veritatem quidem historicam factorum Jesu insignium mire commendari, assertum autem illorum prorsus infringi, qui, miracula illa ficta fuisse, fingunt.

4. Quominus narrationes evangelicae, et signanter quidem miraculosae, quae nunc inprimis censentur mythicae, iure tales censeri possint, gravissime quoque prohibet *scopus*, SS. Scriptoribus in miraculis Jesu narrandis, lectoribusque suis persvadendis praefixus: retulerant scilicet insignia illa facta, ut lectores ex illis, velut praecipuis imo divinis argumentis divinitatem Religionis novae agnoscerent, eamque, *spretis ac desertis tandem gentilium fabellis seu mythis,* amplecterentur [412]); quod ipsum saepissime gravissimis monitis innuunt. Sic Paulus 1 Tim. I. 4. hortatur Timotheum, ut moneret Ephesios, „ne intenderent *fabulis μυθοις*;" idem commendat ipsi Timotheo 1 Tim.

[412]) Cf. Kozelka, l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. Bd. 1833. p. 175—183.

IV. 7. scribens: „ineptas *fabulas μυθους* devita." Sed ad firmandam hanc nostram persvasionem plurimum confert, quod Petrus 1 Petr. II. 16—18. apostolicas de factis insignibus, Jesu maiestatem comprobantibus, relationes a *fabulis μυθοις* gentium probe distingvat, imo illas his opponat eo, quod Apostoli Jesu miracula propriis oculis spectaverint, et signanter quidem transfigurationi Jesu in monte (Matth. XVII. 1. ss.), quam exempli instar adducit, praesentes adfuerint; sed iuvat effatum hocce gravissimum referre, cuius sensus huc fere redit: Nos in annuncianda Jesu virtute et potentia non sumus secuti aut imitati *fabulas μυθους*, arte compositas, sed maiestatem Illius, quam *his oculis conspeximus*, vobis praedicamus; quum enim Deus Pater Illum totum gloria ac honore ornasset, accessit et honorificentissimum paternae huius vocis testimonium: „hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite;" — demum subiungit: et hanc vocem *nos audivimus* de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto." — Quis iam aequus, Auctores *hos*, — qui antiquas fabellas quasvis tanto nisu cupiebant animis lectorum evulsas aeternum, imo his suas relationes opposuerunt, — de novis fabulis sectatoribus suis instillandis unquam vel cogitare potuisse, prudenter censebit, praecipue (quod nunquam satis moneri potest) cum facta Jesu extraordinaria, quae quidam mythis annumeranda volunt, tamquam praecipua Religionis novae amplectendae argumenta praedicent! — Denique

5. Accedit *sublimis finis*, quo miracula evangelica patrata referuntur: scilicet ad doctrinam, velut purissimam ac perfectissimam adeoque aeternum valituram, ita quoque saluberrimam, et hinc hominibus,

quo fieri posset, firmius, imo fide divina, quae omnes possibiles vel levissimas dubitationes perpetuo excluderet, persvadendam. Atque finis hic sublimis altera quidem e parte docet, miracula illa moraliter *necessario* patranda fuisse, adeoque Deo hominibusque dignissima esse, —.altera vero e parte aeternum prohibet, quominus mythicae rerum mirabilium narrationes, utpote ridiculae, cum factorum evangelicorum relationibus unquam ulla ratione vel a procul comparari queant.

Ex omnibus his pronum est concludere, narrationes biblicas nec quoad argumentum nec quoad formam ullam mythorum speciem praeseferre. Si autem falso asseritur, mythos in Libris SS. dari, etiam mythica eorundem interpretatio prorsus repudianda est; idque intuitu Librorum SS. in specie N. F. eo tutius affirmare licet, quo plura et graviora numerantur tentatae a quibusdam

§. 79.

Mythicae SS. N. F. Librorum interpretationis incommoda et absonae sequelae.

Mythica N. F. interpretatio, ut dicta §. praecedenti docent, omni prorsus fundamento destituitur, quapropter nihil mirum, eam gravissimis involvi difficultatibus, plurimisque premi incommodis, e quibus tamen nonnisi pauca paucis indigitabo, nam vel haec quoque satis clare loquentur, quid de infausto illo molimine ex aequo iudicandum sit. Sic

1. *Contradictionibus implicatur*, aut certe *parum sibi constat.* eg. Dr. Strauss, facile princeps inter patronos huius pseudo-interpretationis, alias quidem asserit, sectatores Jesu, quum de messiana Eius digni-

tate intime persvasum habuissent, summo, e persvasione hac enato, enthusiasmo concitatos, tristique Salvatoris exitu inflammatos, finxisse insignia, quae Evangelistae de Jesu referunt, facinora, eaque historico involucro vestita vitae dilecti Magistri inseruisse [413]), — alias autem historice vera vitae Jesu momenta tantum haec statuit: Eum nempe adolevisse in oppido Nazareth, a Joanne baptizatum, discipulos collegisse, docendo peragrasse Palaestinam, Pharisaeorum errores et fraudes impugnasse, regnum messianum amplectendum commendasse, demum irae invidiaeque inimicorum succubuisse et cruci affixum obiisse, — adeoque Eum prorsus nihil insigne gessisse ponit. Unde ergo illa firma in primis Christianis de messiana Jesu dignitate persvasio, unde ille, hinc enatus, enthusiasmus? — nam Judaeos miracula, a Messia patranda, exspectasse, imo hanc miracula patrandi virtutem fuisse principalem Messiae characterem, atque hinc coaevos Jesu nonnisi visis miraculis eo inducendos fuisse, ut aliquem ceu Messiam venerarentur, — ipse Dr. Strauss saepissime ac ultro largitur [414]). — *A priori* itaque magnificam omnino mul-

[413]) Quapropter l. c. (n. 113.) I. B. p. 103—111. canonem statuit, vi cuius cunctae narrationes evangelicae, quae ad celebrandam et commendandam eminentiorem Jesu dignitatem conferre videntur, conflctae censendae essent; quem canonem ipse quidem perpetuo „den Verherrlichungskanon," — A. Tholuck autem l. c. (n. 395.) p. 30. merito „den infernalen Anti-Verherrlichungskanon" appellat.

[414]) Vid. l. c. (n. 113.) I. B. p. 81. 103—111. II. B. p. 1. ss. coll. I. B. (ed. 1.) p. 71—73. cf. Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 41. ss. 493. ss. — Theile l. c. (n. 393.) p. 82. 83. 85. signanter vero vir hic p. 102. hanc in rem vere notat, quod Dr. Strauss „eine großartige begeisternde

tisque insigniter gestis necessario illustrem *ponit* personam Jesu, ut nempe mythi de Eo nasci potuerint,— *a posteriori* vero miracula Eiusdem cuncta *annihilat* et *negat.* — Pariter sibi adversatur, dum alias quidem Jesum illustrem adeo *dicit*, qui animos suorum tantopere inflammaverit, — *facto* vero *negat*, asserens, quidquid insigne seu in doctrina seu in factis Jesu nunc legitur, nequaquam a Jesu vere gestum, neque proin ab Eo derivandum, sed Eius sectatoribus adscribendum esse, qui illud omne proprio marte confictum, in Jesum, sic celebrandum, transtulerint.

Idem Dr. Strauss [415]) fingit, Joannem Evangelistam lotionem pedum discipulorum, a Jesu institutam, finxisse, et commode narrationi de *ultima coena dominica* inseruisse, — tum vero addit, eundem hunc Joannem institutionem *ultimae coenae* silentio praeterivisse, quia de hac nihil noverat.

Porro Dr. Strauss generatim ait, primos fideles in fingendis dictis factisque Jesu *Libris V. F.* tamquam *fonte* fuisse usos; quum in his quaedam de Messia sonarent; tum vero ait vaticinia Jesu de passione et morte sua ab illis pariter ficta esse, attamen negat, de adversis Messiae fatis in V. F. quidquam praenunciari, addens, evinci prorsus non posse imo nec verosimile esse Judaeos aetate Christi de Messia patiente quidquam novisse. [416])

Persönlichkeit Jesu a priori, um die Entstehung seiner Mythen erklären zu können, voraussetzt, dieselbe aber a posteriori, in den Einzelnheiten seines Lebens, nirgends zum Vorschein kommen oder stehen läßt, also faktisch vernichtet."

[415]) Vid. l. c. (n. 113.) II. B. p. 422. ss.

[416]) L. c. (n. 113.) II. B. p. 324. ss. add. Mack l. c. (n. 393.) p. 666. 634. ss.

Dr. Strauss vaticinia Jesu de resurrectione sua demum *post eventum* ficta dicit, tum vero ipsam resurrectionem tamquam factum ac eventum negat [417]). Denique

Idem hic Doctor illud Luc. I. 39—56. de Deipara Maria Elisabetham pariter praegnantem visitante e dogmatico fine fictum fingit, ut nempe Joannes Baptista, qui se perpetuo Jesu inferiorem praedicat, etiam in utero matris iam ceu Messia inferior sisteretur [418]). Ast vero hoc illum in finem haud congrue fuisset factum; oportuisset quippe fingere, quod Elisabetha Mariae, non vero haec illi obsequium hocce praestiterit.

Silentio praetereo, quod Dr. Strauss praecipuas narrationes evangelicas fictas ponat, haud raro tamen ad easdem tamquam historice veras provocet, ubi eas commentis suis patrocinari *putat*.

Pariter haud vacat, multis evincere, ipsam inscriptionem operis Dris. Strauss cum scopo, quem sibi praefixum habuisse, singula pagina loquitur, pugnare. Satis sit id indigitasse: inscriptio nempe (vid. supr. not. 113.) promittit criticam disquisitionem vitae Jesu, quam spem praefatio nutrire videtur, ubi pariter inquirendum promittitur, an relationes evangelicae historice verae sint. Ast reipsa opus hoc non exhibet crisin Evangeliorum, neque docet, *an* Evangelia historiam contineant; nam auctor historicam illorum indolem perpetuo et inimice impugnat, manifesto indicio, quod eam non *diiudicare* sed *evertere* intenderit, prout omnino nunquam non ostendere nititur, quod

---

[417]) L. c. (n. 113.) II. B. p. 305—73. coll. 593—667. — add. Mack l. c. (n. 393.) p. 670. ss.

[418]) L. c. (n. 113.) I. B. p. 233—240.

Evangelia mythis *scateant.* Huic praepostero scopo conformiter opus suum inscribere debebat: Vita Jesu (non critice, sed) *mythologice* delineata.

2. *Arbitraria* est ac *violenta* [419]). Sic Dr. Strauss, agens de relatione, quae Josephum inter et Deiparam Mariam intercesserit, inter reliqua ait, nullam esse rationem negandi, quod Maria Josepho praeter Jesum plures adhuc proles pepererit, iuniores, et *fors* etiam seniores [420]). Ast infundatum hocce, clarisque testimoniis biblicis adversum, assertum, quod unico *fors* fulcitur, serio refelli non meretur, quare sufficiat reposuisse: *fors non.*

Dr. Strauss relationem evangelicam de Angelis, Jesu nativitatem pastoribus annunciantibus, more consveto, fictam ponit, rationes autem, quae his fingendis occasionem praebuerint, ita argumentando proponit: Mosi, oves custodienti, apparitio coelestis obtigit, — Davidem Deus a gregibus avocavit, ut pasceret populum suum, — iuxta mythos gentium filii deorum frequenter a pastoribus *educati* narrantur: ergo pronum erat fingere, Messiam in regione, ubi pastores excubias agebant, *natum* esse, (eum a pastoribus *educatum* fuisse, non refertur), — Angelos nativitatem Eius pastoribus significasse, hosque primos Illum salutasse! [421]) Argumentatio similis nemini arriserit.

---

[419]) Verissimum est, quod im krit. Journal v. Bertholdt, 5. B. 1816. p. 231. legitur: „Kein alter Schriftsteller wird so gemißhandelt, als die Bibel."

[420]) L. c. (n. 113.) I. Bd. p. 233. „vielleicht auch ältere." — Recte monet Mack l. c. (n. 393.) p. 280. „Ein „Vielleicht" wäre eigentlich der Schild, welcher an das mythische Gebäude des Lebens Jesu gehörte; aber der Schild müßte sich als ein freyschwebender ausnehmen, man müßte weder Unterlage noch sonst einen Halt wahrnehmen."

[421]) L. c. (n. 113.) I. B. p. 259. ss.

Narrationem illam Luc. II. 22—38. ubi praeter Simeonem *etiam* Anna prophetissa inducitur magnalia neo-nati Messiae celebrans, Dr. Strauss *certo* nihil aliud esse dicit, quam symmetricam plurium consociationem, mythis propriam [422]). — Ast haec *certo non* est narrandi ratio Lucae; neque enim ullibi in eius Evangelio tales, ut ponitur, *quaesitae* coniunctiones reperiuntur: neminem Zachariae, Mariae neminem associat, dum illis Gabriel apparuisset, ect.

De visibili ascensione Jesu in coelum ita loquitur Dr. Strauss [423]): Lucas Act. I. 11. viros „in vestibus albis," qui post abitum Jesu ad discipulos accesserant, ita loquentes inducit: „hic Jesus, qui assumtus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum;" *hoc tantum inverti debet*, ut intelligatur, quomodo opinio de visibili ascensione Jesu orta sit, ita nempe primi Christiani argumentabantur: prout Jesus olim de coelis venturus est, ita profecto etiam eodem discesserit. — Sed utique *inverti* debent relationes evangelicae, ut ex illis tandem contrarium effingi queat, — nempe mythus loco veritatis historicae [424]).

Intuitu narrationum, inter quas antilogia apparens obtinet, ratiocinatio Dris. Strauss hunc in modum pro-

---

[422]) L. c. (n. 113.) I. Bd. p. 310. „Neben den Propheten auch noch eine Prophetin zu stellen, das ist doch gewiß ganz die symmetrische Gruppirung, wie sie die Sage liebt."

[423]) L. c. (n. 113.) II. B. p. 688. s.

[424]) Recte ait F. Grulich, Betrachtg. üb. d. Versuch, das Leben J. in eine Sage zu verwandeln, Lpz. 1836. p. 18. „Die Strauss'sche Ansicht von Entstehung der Evangelien aus lauter spätern Dichtungen, ist selbst die widernatürlichste Dichtung." — De arbitrariis Dris. Strauss figmentis cf. Klaiber l. c. (n. 395.) p. 11. ss.

cedit: utraque narratio simul vera esse nequit, atqui alteri utri, nonnisi alteri iniuriam faciendo, fides historica tribui potest, ergo utraque est mythica! [425]) Denique

Disquisitionem super pericopa Matth. XIV. ubi refertur, Jesum super mare ambulasse, hisce concludit Dr. Strauss: vulgus quibusdam thaumaturgis facultatem tribuebat, super aquis gradiendi: sicque patet, quod ex his similis mythus etiam de Jesu nasci *potuerit* [426]).

3. *Difficultatibus involvitur*, in quibus solvendis profecto nemo unquam felix adeo virium suarum periculum fecerit, ut viro ingenuo ac perito, rem animo a praeiudiciis libero expendenti, satisfiat. — Et primum quidem quaeritur, qui tandem fieri potuerit, ut tantus animi aestus ac enthusiasmus, quem Dr. Strauss uberrimum mythorum suorum fontem ponit, tot tantosque incitaret, ad Jesum tot tamque magnificis narrationibus fictis celebrandum, si omnino nihil vere praeclari, nihil extraordinarii innotuisset, quo omnibus aliis, etsi cetera celebratissimis, longe multumque praestitisset, — quid tandem tot homines impulerit, ut, quodcunque mirifici, egregii et sublimis in V. F. Libris Messiae tributum erat, conferrent in virum, tantis virtutibus revera carentem? Profecto intelligentiae nostrae vim fugit, Jesum, qui vitam prorsus vulgarem egisse ponitur, animos coaevorum incredibili adeo fervore incendisse; praesertim cum negetur, Eum, dum viveret, hominum animos e. g. medendo aut succurrendo vehementer commovisse? — Cur, qui Socratem

425) L. c. (n. 113.) I. Bd. p. 154—167. II. B. p. 451—471.

426) L. c. (n. 113.) II. B. p. 192.

admirabantur, huius vitam simili serto, e mythorum velut floribus contexto, non exornaverunt? Aeque praeclara scilicet de eo constant, ac Dr. Strauss in vita Jesu vera relinquit. Aut cur non similiter negatur, *τα απομνημονευματα* a Xenophonte illius *discipulo* esse conscripta, ut sic eidem mythicae interpretationi subiaceant? Fortasse, quia nihil tam extraordinarii de Socrate, ac Evangelia de Christo, narrant? Quaestio autem, unde hoc factum sit, simplici solvitur responso: quoniam Socrates *Christus* non fuerat. — Porro

Judaei Jesu coaevi *terrenum* exspectarunt Messiam, qui eos ab exoso adeo Romanorum iugo liberaret, et splendido his in terris donaret imperio; sed eo ipso nuspiam sperare licuit, ut *moralis* Messias sectatores nancisceretur, nisi insignibus et omnino extraordinariis inclaruisset factis: nam unice haec contribulibus fidem erga illum instillare, tantamque inter ipsos animorum conversionem parere quiverant. Si itaque Jesus, prout mythicae interpretationis patroni fingunt, nulla edidit miracula, qui tandem factum fuerat, ut qua *moralis* Messias, qui spes suorum popularium adeo non explevit, ut potius religionem annunciaret, quae asseclis negativa pariter ac positiva mala externa adferebat, — fidem nancisceretur; et id quidem in medio inimicorum, qui nunquam non studiose adnisi fuerant, ut facta eius extenuarent aut quacunque demum ratione suspecta redderent, omnemque debitam illi laudem detraherent? — Imo quis digne explicabit, qui fieri potuerit, ut Jesus, nullis, ut ponitur, miraculis clarus, post fata sua magis adhuc, quam antea, mirandam animorum, exspectationum, principiorum, et studiorum conversionem in millenis et millenis hominibus — novumque adeo mundum moralem — progigneret?

Nam novam hanc Religionem, externe haud commendabilem, a fatis Statoris domi forisque medias inter persecutiones acerbissimas laetiora in dies ac laetiora cepisse incrementa, *historia* testis est. Jam vero mors Jesu pro fixis Judaeorum exspectationibus clare innuere videbatur, Eum non esse vocatum a Deo Messiam, quapropter tristia haec Jesu fata revera, prout vel ipse loquitur Dr. Strauss, animos contribulium plene prostraverant, omnesque eorum, in Jesu hucadusque locatas, spes prorsus exstinxerant. Si igitur Jesus a mortuis gloriose non resurrexit, si visibili ratione coelos non conscendit, si divina eius virtus nec antea nec posthac se mirifice exseruit: unde tot tantorumque, etiam cultissimorum, tam firma in Jesu miracula, et haec quidem tamquam splendida, palam, integro triennio, per totam Palaestinam, coram ipsis adeo inimicis patrata, — fides, huicque superstructa ad Religionem theoretice, ut aiunt duram, practice severam conversio, — unde Religionis huius tunc ubique adeo exosae tam miranda propagatio, — unde tanta illa in tormentis atrocissimis constanter tolerandis fortitudo, quam in primis Christianis, iisque omnis sexus, aetatis omnis et conditionis, actu miramur? — Qui haec et cetera, huc facientia, explicare volet, quin insignia Jesu facta historicè vera ponat: profecto maiora pluraque largiri cogetur miracula, quam sint universa in Bibliis relata [427]). — Porro

[427]) Cf. supr. §. 78. Nro. 3. B. b. — Osiander l. c. (n. 393.) p. 392—400. — Theile l. c. (n. 393.) p. 79. s. 87. 116. 150. — D. Kern in d. Tübinger Zeitschr. f. Theologie, 1836. 2. S. p. 19. nostram in rem ita scribit: „Das Christenthum ist eine historische Thatsache, die sich in der Weltgeschichte,

Haud levibus difficultatibus implicatur Dr. Strauss, dum asserit, praetensos mythos evangelicos intra triginta annorum, inde a morte Jesu numerandorum, spatium, adeoque viventibus adhuc plerisque Apostolis, natos imo et evolutos fuisse [428]). His quippe positis, ita licet argumentari: aut Apostoli ipsi fingebant et mentiebantur, Jesum (etsi nullis miraculis clarum) insignem fuisse thaumaturgum, qui se insignibus factis verum Messiam probaverit; ast vero sic impostores erant, neque unquam explicari posset, qua ratione qua tales sublime adeo ac salubre institutum morale condere quiverint. Aut figmenta illa nata fuerant et inter omnes omnino Christianos pervulgata et firma fide recepta, quin id Apostoli seu adverterent, seu curarent; astvero sic Apostoli prorsus incurii, negligentes, hebetes, — adeoque impares erant, qui seu Christum, qualis in Evangeliis exhibetur, fingere, seu Ecclesiae Christianae fundamenta ponere quivissent. — Denique

Dr. Strauss Jesum a morte redivivum discipulis suis non revera apparuisse, sed phantasma tantum mortui, tamquam vitae redditi, animis eorum inflammatis occurrisse fingit [429]). Astvero aenigma psychologicum: quingentos et ultra homines eodem tempore eandem speciem vidisse, — quis et quomodo solvat, egregie ignoro. Ita quippe scribit Paulus 1 Cor. XV. 4—6.

---

und zwar weltüberwindend entfaltet; so muß sein **Anfangspunkt**, von welchem Alles ausgeht, nothwendig der **Einheitspunkt** der Kraft der Weltüberwindung seyn." — Vaihinger l. c. (n. 395.) p. 15—27. 49—57.

428) L. c. (n. 113.) I. B. p. 100. — add. Theile l. c. (n. 393.) p. 86.

429) L. c. (n. 113.) II. Bd. p. 661. ss.

„Resurrexit tertia die; et visus est Cephae, et post hoc undecim: deinde visus est *plus quam quingentis fratribus simul:* ex quibus *multi manent usque adhuc,* quidam autem dormierunt."

4. Ut aliquam saltem veri speciem nancisci videatur, varias *praeconceptas opiniones* [430]), variasque *hypotheses*, quae nemini perito rei iudici arriserint, tamquam verissimas praesupponere cogitur et revera praesupponit. Sic Doctori Strauss fixa sunt axiomata: mythis fingendis et plene evolvendis triginta annorum spatium sufficere, — Evangelia *omnia* demum post septuagesimum a morte Jesu annum, et quidem non ab Apostolis neque horum sociis, sed ab aliis quibusdam obscuris scriptoribus compilata fuisse, — miracula prorsus impossibilia esse [431]), unde infert, Evan-

---

[430]) Ab his quidem Dr. Strauss l. c. (n. 113.) I. B. p. XIII. se immunem iactitat; ast verum est, quod de hac *ficta* eius indole legitur in d. evangelischen Kirchenzeitg. Jgg. 1836. Nro. 5. „Dr. Strauss ist, was viel sagen will, eben so entleert von religiösen Voraussetzungen, als er angefüllt ist von irreligiösen Voraussetzungen." — item im Layenworte üb. d. Hegel-Strauss'-sche Christologie, Zürich 1836. p. 10. pariter recte dicitur, quod Dr. Strauss „seine persönliche Voraussetzungslosigkeit selbst voraussetzt." Nam D. Theile l. c. (n. 393.) p. 75. ss. evincit: „daß die vom Dr. Strauss versuchte Kritik der evangelischen Geschichte der wissenschaftlichen Unbefangenheit ermangelt, nur ein pruritus ingenii, ein Fürwitz heissen kann, glücklicher Weise aber so vorwitzig und voreilig ausgefallen ist, daß sie sich selbst vernichtet, und mehr nicht, als auf den Augenblick zu blenden vermag." cf. Mack l. c. (n. 393.) p. 46. ss.

[431]) In hocce axioma ita animadvertit D. Heinroth *medicus* l. c. (n. 395.) „Der Gedanke eines übernatürlichen Ereignisses in der Natur ist kein Ungedanke (velut asserit Dr. Strauss), und die biblischen Wunder — tragen den Charakter innrer Nothwendigkeit in sich: die Wunderkraft ist ein wesentliches Attribut der

gelia, quum facta extraordinaria narrent, eo ipso non historice sed mythice esse exponenda, — vaticinia, utpote naturales vires hominis excedentia, seu miracula praescientiae, pariter esse impossibilia, quapropter Jesus passionem, mortem et resurrectionem suam, item excidium Jerosolymorum praedicere non *potuerit*, — resuscitationem et resurrectionem mortuorum non dari, unde nec Jesus a mortuis resurgere *potuerit* [432]), — Judaeos non tantum in genere exspectasse, Messiam insignibus factis fore illustrem, sed et *singula* miracula, quae ab illo patranda essent, praevie et vulgo nota fuisse, quibus dein fictis vita Jesu facile exornari potuerit [433]), ect. ect.

5. Multa ex ea *necessario consequuntur absona*. Sic, admissis mythis evangelicis, nostra praeteritorum notitia ultra tricesimum annum ascendere non posset, omnisque paullo antiquioris aetatis historia, etsi eam viri, cunctis fidei historicae characteribus insignes, conscripsissent, mythis esset annumeranda, adeoque rueret. Quare viri docti evicerunt, iisdem, quibus Dr. Strauss utitur, principiis (si tamen hoc nomine digne compellantur), eademque argumentandi ratione doceri posse, Lutherum, Napoleonem, ipsumque Drem.

heil. Persönlichkeit Jesu, weil derselbe, als Lebensmuster und Lebensbringer auf Erden, der Beglaubigung bedurfte, und an die Wahrheit der göttlichen Thaten Jesu knüpfen sich dann nothwendig die Wunder seiner Herkunft und seines Hingangs."

432) Jam 1 Cor. XV. 12. leguntur quidam asseruisse, „resurrectio mortuorum non est;" ast *opinioni* huic Paulus vv. ss. *factum* opposuit, nempe veram Jesu resurrectionem, factumque hoc *historice* comprobavit, atque sic et hac vice patebat, *opinionem*, si *experientiae* adversetur, vanam esse.

433) Vid. Strauss l. c. (n. 113.) II. Bd. p. 1. ss. 258. ss. 295. ss. 305—309. 648. ss.

Strauss nunquam exstitisse, sed cuncta, quae de viris seu his seu aliis quibuscunque demum seu tradita sunt, seu actu traduntur, mythos esse [434]). — Porro

Stante mythicae huius interpretationis patronorum sententia, Christianismus, cui philosophi hodierni suam metaphysicam et philosophiam moralem, nationes autem Christianae suam praesentem super ceteras longe eminentiorem culturam debent, — figmentis, fraudibus et imposturis suam unice debebit originem. Judaei enim Christo coaevi prodigia tamquam certissimum characterem a Messia exspectarunt, Apostoli vero his ipsis, quae in Evangeliis Jesu tribuuntur, miraculis si non unice, certo praecipue Judaeos et gentiles ad fidem pertrahebant. Si ergo haec, ut ponitur, ficta sunt, suapte sequitur, Apostolos, omnesque Christianismi Auctores, vaferrimos fuisse deceptores; milliones autem, qui illis fidem habebant, prorsus mente ita fuisse captos, ut tam multiplicem fraudem ne adverterint quidem, nec suspicati fuerint. Jam vero ut institutum hoc, mitigandis moribus, erudiendis ad virtutem et veram pietatem hominibus aptissimum, omnique sensu saluberrimum, tam abiecta tam iniqua ratione inductum sit, non tantum cum Auctorum Chri-

[434]) Cf. Das Leben Luthers kritisch bearbeitet v. Dr. Casuar; herausggbn. v. J. F. Wurm, Tübg. 1836. — v. d. Hagen, Beweis, daß Dr. M. Luther nie existirte, Berlin 1838. — Das Leben Napoleons kritisch geprüft, Lpz. 1836. — Dr. Keyserlingk „Dr. Strauss und sein Buch, eine Sage des 19. Jahrhunderts," im Literaturbl. zum Morgenbl. 1836. Nro. 79. — add. Theile l. c. (n. 393.) p. 125—136. 152. 146. — Neander l. c. (n. 395.) p. 7. ss. — E. Kottmeier, quid de periculo, Jesu historiam mythice intptdi iudicandum sit, Bremae 1836. p. 17.

stianismi candore, universoque morali charactere, sed etiam cum nostris de Dei sanctitate ideis tam multipliciter pugnat, ut omnem humanitatis sensum exuisse censendus sit, qui non intelligat, quam haec absona sint [435]). — Denique

Multa in opere Doctoris **Strauss recurrunt audacter asserta** [436]) **fundamento firmo destituta, licentius dicta,** additamenta pro libidine conficta, et argumentationes duriores et contortae, ect. — **Sed singula haec in specie pluribus persequi taedet, — utique nec expedit, ne fors res evangelica adeo minutis opus habere videatur, quibus, utpote verissima simulque tutissimo loco posita, minime indiget.**

§. 80.

II. M o r a l i s.

Immanuel Kant, philosophus Regiomontanus, quum rationem humanam summum iudicem, summam auctoritatem et certissimum criterium esse opinaretur, etiam S. Scripturae interpretationem ad rationis huius purae principia practica exigendam esse praecepit asseverans, haud esse attendendum, quid voces, quid sententiae, secundum adiumenta hermeneutica examinatae, edisserant, sed potius in id enitendum, ut morales notiones et praecepta practica e SS. Literis eruantur, omni-

[435]) Praeclare hanc in rem scribit Vaihinger l. c. (n. 395.) p. 51. ss. add. Theile l. c. (n. 393.) p. 115. 116.

[436]) De quibus haec notat D. Mack l. c. (n. 393.) Jgg. 1837. p. 45. „Solche Redensarten werden Denjenigen nicht verblenden, der es oft mit angesehen hat, daß mit solchen Waffen, die blos klirren, und lärmen, zwar ein Siegesgeschrey bewirkt, aber nie ein Sieg errungen wurde." — add. Kottmeier l. c. (n. 434.) p. 16.

busque locis sensus moralis subiiciatur, etiamsi literam huic expositioni repugnare contingeret [437]).

Verum haec S. Scripturam tractandi ratio, utpote violenta, interpretationis nomine digna non est; qui enim regulas hermeneuticas, a sana ratione probatas, negligit et contemnit, S. Auctori id affingendo, quod lubet, — omnino interpretari desinit, sed potius philosophatur, quomodo e sua ipsius sententia scribendum fuisset. Atvero, velut recte monet S. Hieronymus ad Pammachium, „commentatoris officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere; alioqui si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adversarius eius, quem nititur explanare." — Et profecto vaga haec ac arbitraria methodus vere adversatur SS. Librorum auctoritati, gravissimo discrimini eam exponendo. Possent enim sic quaecunque imaginationis somnia et portenta Bibliis affingi; ut nihil dicam de opinionibus philosophorum perpetuo fluctuantibus, et singulis fere decenniis variantibus, quum ex adverso doctrina divinitus revelata, tamquam verissima, eadem sit aeternum ac immutabilis. — Ut adeo, prout vel ex his patet, methodus haec tolerari non possit [438]). Ceteroquin longe

---

[437]) Hanc suam de SS. Literis exponendis mentem explicuit in libro, cui titulus: Die Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft. Königsberg, 1793. p. 134. ss. Edit. 2. 1794. p. 158. ss. cf. Eiusdem: Streit der Fakultäten, p. 49. ss. — Auctores alios, qui in eandem sententiam abierunt, recenset C. L. Gratz l. c. (n. 6.) p. 39. 40.

[438]) E pluribus, qui adversus hanc pseudo-interpretationis speciem calamum strinxerant, inprimis laudari merentur: G. C. Storr, Annotationes quaedam theologicae ad philosophicam Kantii de Religione doctrinam. Tubg. 1793. — J. A. Nösselt, Animadvers. in sensum SS. LL. moralem.

plurima sunt in SS. Literis moralitati directe et maxime proficua, quin alium in sensum torqueri debeant, imo ipsa quoque malefactorum exempla, ita proponuntur, ut a similibus deterreant.

§. 81.

III. Psychologica

Henricus Eberhardus Gottlob *Paulus*, Doctor et Professor Heidelbergensis adoptavit interpretationem psychologicam [439]). Putat nempe, in narrationibus inprimis eventuum extraordinariorum, quales in Evangeliis recurrunt, literam S. Scripturae ita esse modificandam, ut facta illa extraordinaria tamquam e naturali rerum ordine profecta fuisse conspiciantur, quod fit, si e psychologica hominis, similibus in circumstantiis constituti, natura adiuncta quaedam eventui superaddantur, quae facti speciem in naturalem et ordinariam mutent.

Sed repudianda est haec S. Scripturam tractandi ratio, quae interpretationis nomen tam indigne usurpat [440]). Est enim violenta nimis, dum literae sacrae atque historiae, cuius paene nullam habet rationem, propria effervescentis cerebri figmenta sub-

Hal. 1795. — Observationes ad moralem Librorum SS. interpretationem pertinentes. Scripsit Φιλαληθης Εριδαιρων (Hebenstreit.) Lps. 1796. — Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. Bd. p. 13—21.

[439]) Praecipua eius opera, in quibus hanc SS. Literas inique torquendi methodum praecipue sequitur, vid sup. not. 73. et 143. cit.

[440]) Commenta Dris. Paulus haud pauci strenue impugnarunt, inter quos eminent: A. Sandbichler, eine Stimme des Rufenden in der Wüste, oder Bemerkungen zu d. Commentar v. D. Paulus. 4. Hfte. Linz, München u. Salzburg 1805—1816. — S. Kaulfuss, Judicium criticum de D. Paulus Comment. Hal. 1803. — Kritik des Kommentars v. D. Paulus. Jen. 1804. —

stituit, adeoque Auctores SS. id referre cogit, quod sibi videtur, et falso supponitur, non vero quod illos secundum adiuncta narrationis intendisse clarum est. Insuper perversa est et temeraria, quia corrumpit id, quod in S. Scriptura plane et simpliciter refertur, additque, quod ab ea alienum est. Denique, praeterquam quod Hermeneuticae sanae principiis tota adversetur, etiam SS. Scriptorum fidem et auctoritatem in grave adducit discrimen; ponit enim illos

Kozelka l. c. (n. 4.) 6. Jgg. 1. B. 1833. p. 21—31. (add. 7. Jgg. 1. B. 1834. p. 217. ss.) — inprimis vero Doctissimus noster J. L. Hug, qui in d. Zeitschr. für d. Geistl. Freyburg, 2. Hft. 1828. p. 91. ss. 3. Hft. p. 158. ss. et 7 Hft. p. 115. ss. docet, quam arbitraria sit haec methodus, quantisque involvatur contradictionibus; neque proin mirum quod ipsi quoque protestantes acerbius haud raro in eam invehantur, sic C. Fritzsche in suo Comm. in Matth. Lps. 1826. p. 332. ad VIII. 28—34. haec notat: „Eorum portenta, qui hoc miraculum sibi credibilius reddere annixi sunt, reticeo, quae eiusmodi sunt, ut non homines, qui Matthaeum interpretentur, sed histriones, qui suam quandam fabulam doceant, audire tibi videare." Item p. 505. ad XIV. 13. „Frustra sunt, qui miraculorum impatientes haec loca in omnes partes versant, ut emergat res, quae ipsis fieri potuisse videatur. Quae ratio omni est destituta fundamento, — quum grammaticas linguae leges, quod eos pudere oporteat, violarent, tum suas quasdam narrationes componerent, non Evangelistarum explanarent, ut h. l. fecisse videmus Paulum, contra quem non est, quod fusius disputem." — A. Tholuck vero l. c. (n. 395.) p. 11. ita scribit: „Diese Methode vollendet sich in demselben Manne, in dem sie sich endet und sogar begraben wird, im Dr. Paulus." — cf. quoque Magazin für chr. Dogmat. u. Moral v. Flatt u. Süskind, IX. St. p. 130. 154. ss. X. St. p. 199. ss. XI. St. p. 41. ss. — Hauptpunkte aus Dr. Paulus Leben Jesu vom sittlich-praktischen Standpunkte beleuchtet. Nördling. 1830. — Exempla aliqua super. not. 73. 143. 151. 180. 194. indigitata reperies.

fuisse extreme rudes, superstitiosos imo et fraudulentos, qui ordinaria facta pro miraculis habuerint, et qui vel se decipi siverint, vel ipsi alios decipere voluerint; quae absque summa in eos ignominia dici nequeunt, quos fide dignissimos esse, firmissimis docetur rationibus.

§. 82.

IV. Panharmonica.

Fridericus Henricus Germar interpretationem panharmonicam commendat, praecipiens, cuncta aut saltem praecipua doctrinae capita, in Bibliis proposita, in unum velut systema esse cogenda, ad quod ipsum dein sensus effatorum singulorum exigendus sit, atque sensum ita stabilitum — tamquam primariis doctrinae biblicae articulis e S. Codice primum eruendis omni e parte consentaneum, — panharmonicum compellat [441]).

Astvero haec SS. Libros exponendi ratio nonnisi prius recte adhibita philologico-logico-historica interpretatione locum habere potest, adeoque non tam investigatio sensus, quam potius huius, iam inventi, diiudicatio est secundum normam quamdam externam instituenda; ut nihil dicam, sic circulum vitiosum committi, dum sensus S. Scripturae quae-

[441]) Principia haec in sequentibus suis proposuit libris: Die panharmonische Interpretation der h. Schrift. Schleswig 1821. — Beytrag zur allg. Hermeneutik; ein Versuch zur nähern Begründung der panharmonischen Interpretation. Altona 1828. — Die hermeneutischen Mängel der Tact-Interpretation. Halle 1834. — cf. Wegscheider l. c. (n. 255.) Prol. C. 3. §. 25. e. p. 94. s. — Neu. kr. Journal v. Winer, 2. B. p. 389. s. et 4. B. 1825. p. 360. — Allg. Encyklopädie der Wissenschaften und Künste, v. Ersch u. Gruber. Lpz. 1829. sub voce *Hermeneutik*, p. 317. s.

ritur, et huius ipsius plurimorum simulque gravissimorum locorum sensus nulla legitima auctoritate interveniente certo iam inventus et in unum quoddam velut corpus redactus ponitur, ad quod quaerendus ille exigi debeat. Eo ipso autem, quod haec doctrinae analogia non infallibili quadam auctoritate, quam Cl. Germar non agnoscit, sed privati cuiusque arbitrio stabilienda praecipiatur, patet, frustra exspectari, quod Cl. hic Vir speravit, fore, ut hac ratione dissensiones inter interpretes tollantur; cum enim, experientia teste, interpretes varii in intelligendis effatis ss. in varias abeant partes, etiam analogiam aliam atque aliam alius atque alius sibi normae instar proponet. Et quid, si, quod humanitus haud facile praecavetur, in norma illa statuenda error committatur, — nonne omnis interpretatio, secundum illam instituenda, futura est erronea; ut adeo methodus haec etiam periculi sit plenissima [442]).

§. 83.

Conclusio.

Quod in Hermeneutica Christiana et Catholica opportune monere licuit, interpretem ad devia quaevis deflectere, si Codicem sacrum ut alium librum quemcunque citra securam normam directricem exponere pergat, — id pseudo-interpretationis species inprimis mythica et psychologica ubertim confirmant. Res Christiana quidem, brachio Altissimi, qui etiam e malis bona eruere novit, munita, ex his quoque pugnis gloriose victrix, imo amplis ornata spoliis

[442]) Sic vero ex eorum quoque ore, qui alieni sunt a Sacris nostris, indirecte saltem commendatur et confirmatur doctrina sup. in Hermeneutica Catholica de Ecclesiae in exponendis Scripturis auctoritate, et de Analogia fidei proposita.

discedet, cum, mythicis et psychologicis commentis industria probe sedulorum virorum dispellendis *historia* biblica, utpote his quoque moliminibus longe superior, magis sit commendanda, pariter ac rationalismus *philosophicae* Christianismi veritati altius investigandae praebuit occasionem. Ast quo graviora e perversis hisce studiis Rei Christianae imminere humanitus videntur pericula, — quo certius est, praepostera illa quorundam conamina e neglectu iustae in SS. Scriptura exponenda auctoritatis promanare: eo gravius interpres Catholicus, alieno periculo cautus, iniunctum sibi arbitretur, ne in interpretatione solius acquiescat rationis limitatae dictamini, sed, cum et ratio et revelatio ab eodem Auctore proficiscantur et eodem tendant, rationi quidem, quae rationis, sed et revelationi, quae revelationis sunt, promte tribuat. E ratione scilicet generales genuinae interpretationis promat leges, quarum ductu Literas SS. rite explicet, et, si opus, pseudo-critices ac pseudo-interpretationis arrogantiam castiget ac redarguat. Simul tamen et praesidia, ad praecavenda pericula quaevis, Ecclesiae, quae columna veritatis inter omnia dissidiorum iurgia firma persistit, divinitus concessa, iugiter gratus sequatur. Atque sic demum, si eloquia sacra *Divinis illis Consiliis* conformiter exponere aggressus fuerit, ei fidenter sperare licebit, ut conatibus suis sane gravissimis *eadem Divina Gratia* incrementum largiatur optatissimum!

